e.9. c.4. 7160

CVRSVS PHILOSOPHICVS AD MENTEM B. ÆGIDIJ ROMANI

DOCTORIS FVNDATISSIMI AVGVSTINIENSIVM, ARCHIEPISCOPI BITVRICENSIS, AQVITANIÆ PRIMATIS, ET S. R. E. CARDINALIS, ILLVSTRATAM AVCTORITATIBVS S.P. N. AVGVST. ET PRÆCEPTORIS ANGELICI,

AUCTORE

R. A.P.M. Fr. PETRO MANSO,

AVGVSTINIANO PROVINCIÆ CASTELLÆ IN SALmanticensi Academia Sacræ Theologię Doct. & Philosophiæ Professore: Conventus Salmanticensis S.P.N. Augustini olim Priore, semel, iterùmque Diffinitore Provinciæ, & pro Provincia in Comitijs Generalibus Romæ celebratis.

PERILLUSTRI D.D.

JOSEPH THOMAE DE EZPELETA ET GARI DIVI JACOBI

STEMMATE INSIGNITO ECCLESIÆ CARTHAGINENSIS CANONICO, TRIBVNALIS LLERENENSIS INQVISITORI DIGNISSIMO.

PER R.P.M. Fr. ANTONIVM DE AGVILAR

Dicatus, in lucemque editus.

Reg.° 7.232

TOMUS TERTIUS

Complectens librum primum Physicorum & dimidium secundi.

Cum debitis licentijs. Cordubæ Ex Offic. Aug. Anno 1710.

PERILLUSTRI
INTER HISPANIACOS PROCERES
INSIGNITO HEROI, PROCERI MAJORES
INTER ECCLESIASTICI STATVS IN SAPIENTIA

MAXIMO, D. D.
JOSEPH THOMÆ DE EZPELETA
ET GARI,
MILITARIS ORDINIS EQVITVM DIVI JACOBI STEMmate redimito, jam pridem Civitatis Malacitanæ in Canonicatum electo; quondam Murciæ eodem functo fœliciter munere; ac nunc exinde Regij & fidei Apostolici Senatus Llerenensis Inquisitori eximio.

M. Fr. ANTONIUS DE AGUILAR; QUIA
suæ largitur gratitudini pabulum humilis
sacrat hocce munusculum.

NULLA in animum assiluit dubitandi angustia, præclarissime Dñe, me gratiæ opem hoc esse assequuturum Philosophiæ in opus, te absentem memoria colens auspicio, dum te præsentem observare non potero. Ita evenit fœliciter in mentem, ut valeam facilitèr frigidas inter periculi imminentes umbras tui uitida præsidis nanciscì lumina. Quare jucunda, obsecro; ut fronte recipias hocce meę debile affectionis obsequium, si erga tuam altitudinem minimum, intra tuæ sinum humanitatis conditum abibit magnum, à nullisque despicietur infœlix, sed à cunctis verebitur fortunatum. Nul-

Nullam, inquam, animus ſuffert anxietatem angoris ſecuriùs per ſæcla agitaturam eſſe ſtatibus operam, dum tuæ benignitati oculos in auxilium verto, tam pijs radicitus ſupplantatæ nobilitatis viſceribus, ut benefica tuorum geſta miror in te colligi uno revireſcenti vi'a, tuis qua veteribus dum largiris famam, etiam pulcherrimam benevolentiæ formam indis pignoribus. Sic de Cæſare lyricus muſitabat Poeta.

Nec miretur, Cæſar longeva vetuſtas,
Quidquid fama canit, donat arena tibi.

Tibi tuarum antiquitatum ſtemmata debentur egregia, nam illuſtria progenici merita à veſtia capiunt dominatione panegyrim ultimam. Sed quid immoror linguam priſca tui referendo primordia. Indeficiens exiſtitur laudis materies & exuberãs vocibus, cùm elogia de ſtirpe fari peroptor. Reticeam timidus, ſed non taceam avidus tui ſanguinis culmen auream eſſe buccinam æternaliter fixam, quæ ex hoc arædicat ſuam uſque ad finẽ orbis amplitudinẽ, eximiãque inſtar Phœbeæ lampadis generis claritatẽ, quam aſcendiſti ingens, tal' qu'a natura præditus. Utque nullum neceſſarium decori cultum non requireret nominis altitudo, tui provocavere primicevi ad arma Heroes, nullis temporum ſpatijs circumſcribendã memoriã, in que maximã magnitudinis fidem. Benè noſtra clamitatur Heſperia tuos videns avos aſſequutos regiminis clavũ regalis mobilia rementium æquora claſsis, & ut duces per milites ſuo in rebus imperio fuiſſe obtemperatos parentes. Quid mirum! ſed nil in his mirabile quàm quod laudat tibi admiratio cuncta. Armis tui largiun-

tur

tur honorem, ſed in te omnia litterarum ſtudia magnifiunt, faulta, ut in utroque polo utpot ſuper æneam funderetur tua vaſim majeſtas. De te adhuc memorantur Gymnaſia, ſed te abſente adhuc ſe dedunt triſtitiæ, qua etiam non caret Malacitana Eccleſia, quæ meritiſsima canonicatus ſtola te, ſicut Murciæ, merita fuit ornatum, cùm evectus jure ad Inquiſitoris faſtigium, tuam nimis mœrentur lacrymis familiaritatem, quia contubernium omnes tuum proſequebantur amore, illi, utpotę omnia una utilitate tuis metiebantur pignoribus, & ſuis undique melioritatibus iſti. Scandiſti igitur ad regiam pontificiamque dignitatem Inquiſitoris, tibi juſtitia, referam, accceptam. Quid ultra hoc dicam? niſi quòd ſolùm tuum te laudet culmen, quia tantùm tuæ æquabitur magnitudini. Sic te laudat, te celebrat meus carminibus illis, quæ de quodam ut tui heroe, verus aſtruebat Aguſtinianus affectus.

Non laurus, non aſtra tibi, non gemma revidens;
ſerta tuum cingunt, non ſatis ulla caput;
ſed tua te dignè tantummodo facta coronant;
omne tibi, nomen ſit diadema tuum.

Siſto labia, Dñe ultra exaggerationem ultrõ venerande, & tuorum haud erga me immemor beneficiorum, & quæ erga meos utique primorum olim liberali fuerunt experta manu, ut nihilo nulli fiat mirabile parvitatem meam omne perfugium in te uno poſitum habere, in gratitudinis teſſeram ſub tuo tegmine protectionis & benignitatis auſpicio, utpotę meæ parvum humiliationis votum, tuetur hic

Phi-

Philoſophicus Curſus à R P.M. Fr. Pedro Manſo Provinciæ Caſtellæ in Theologia ſacra dignißimè laureato, & Philoſophiæ Vniverſitatis luſtrante quondam ſalmantinæ Cathedram, arguтè elaboratus, & à me officioſo amore, ſedulitateque alacri preſsioni deditus, gnaritatis ſpectante cupidis profuturum noſtræ Auguſtinianæ Religionis, ad cujus emeritum decus toto nixu noſter collimat affectus: & in cujus amore maxima tua ſpledet benevolentia; & gratia. Accipe, inquam, hocce munuſculum, & non in tuam irruat offenſionem obſequij parvitas, ſed in meam vertito lumina affectionem magnam, quòd nec exile repudias donum, quod tibi pio ſiſtitur affectu.

Vale igitur, & vive, Dñe præclariſsime, fœlicia ſæcula, ut in te meum ſtabiliatur levamen, fundetur perfugium, radicetur ſolatium, & hic aureus curſus denique fœlicem tantum inveniat Patronum tui per Orbem currens ſub umbra patrocinij.

APPROBATIO RR. PP. MM. Fr. CAROLI DE AYLLON QVONdam Cordubensis Regalis delubri studiorum Regentis, postea Giennensis Cœnobij Præsulis, deinde Augustiniensis Bæticæ Provinciæ Secretarij, nec non R. P. N. M. Provincialis Comitis, nunc que hujus Provinciæ Diffinitoris actualis. Et Fr. Petri de Valderrama Cordubensis Regalis fani S. P. N. Augustini studiorum actualis Regentis.

ÆQVIssimo animo obsequentes mandato R. A. P. N. M. Fr. Francisci de Villaran, hujus Bœticæ Provinciæ luminaris maximi, ac præcelsi Ordinis S. P. N. Augustini emeritissimi capitis, Provincialis dignissimi: magna mentis attentione lustravimus, hilarique animo, non pro censorum munere, sed propriæ utilitatis cupidine perlegimus commentaria in octo libros Physicorum Aristotelis ingeniosissimè ac fundatissimè elaborata ab excelso Theosophiæ olympo, Minervæ impireo, Palladis emporio Reverendissimo, inquam, P. M. nũquam satis laudato viro Fr. Petro Manso, in percelebri per universum gyrum Salmantina Academia inter majores Theologos Maximo Theosopho, laureato Doctore, quondam Philosophiæ Cathedræ meritissimo Moderatore, perillustris Cœnobij Salmãticensis, Ecclesiæ majoris Luminaris M. P. N. Aug. ustolim dignissimo Antistite, & Castellæ suæ Provinciæ perinsigni Diffinitore. Vidimus quidem non censuræ titulo, nam ut ait Sydonius: *Nobis autem grandis audacia est, si apud Cathedrarios garriamus,* sed magna voluptate lectitavimus opus sanè absolutissimum, prælo & laude dignissimum, quod lucem videat, & typis mandetur, in quo nihil à Catholica veritate devium, nec bonis moribus adversum reperimus, sed omnia ab hoc scriba docto de thesauro suo nova, & vetera noviter proferenti, tanta vivacitate ingenij, docendi facilitate, scribendi mirabili methodo, & doctrinæ subtilitate, tam consona sanæ menti N. F. D. B. Ægidij Romani, ut illud Quintiliani de quodam magno Oratore, huic optimè vel tadaptari: *Ea, quæ in hoc Oratore maxima sunt, imitabilia non sunt, ingenium, inven-* *Epist. 3. lib. 4.*

Quintilian.

tio,

tio, vis, facilitas, conformitas, & quidquid arte non traditur. Aurcũ certè undequaque opus, omni eruditione jam rationibus N. B. Ægidij Romani fulcitum, jamque autheritatibus D. P. N. Augustini, nec non Angelici Magistri D. Thomæ refertum, ut nostrę præsertim religionis doctrinæ scholasticæ tyronibus utilissimum, fructuosissimum sit, veraciter judicemus. Claritatem, cum claritate profunditatem, & firmitatem conectit: sed quid mirum! Si semper præ oculis habet N.F.D. B. Ægidium, veritatem que illius irrefragabilem, & illibatam. Meritò equidem, nisi præclaram sapientiam indissolubili unione cum altissima humilitatis, & modestiæ virtute in hoc præclaro Doctore inter optimos maximo, inter maximos optimo, non admiremur, tam sanam, & fundatissimam doctrinam, ejusque eruditissimum interpretem è Cœlo demissum boaremus, ut decantavit Virgilius.

Interpres Divum Cœlo demissus ab alto.

Virgil.

Præclarissimus hic liber, sicut & cæteri in lucem editi sapientissimi istius Doctoris omnium ora, omnium que oculos in admirationem rapiunt, siquidem rationum pondere instruunt; acumine ingenij elevant, eruditione pascunt, principiorum soliditate delectant, roborant que mẽtis aulam, ut avidiùs philosophicis veritatibus jam ditata, ad altiores nanciscendas facultates dirigatur. Tanti enim ponderis, valoris, ac dignitatis liber, non alia, prẽter seipsum eget approbatione, ut optimè asseruit Doctor Ecclesię D. Ambrosius loquendo de rerum creatione: *Bonorum operum proprium est, ut externo non egeant commendatore: sed gratiam suam, cùm videntur, ipsa testantur. Plus est, quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur, suo enim utitur testimonio, non alieno suffragio.* Quapropter, ut lumen nanciscatur liber, lucem accipiat & famam, receptus foveatur amanter, nulli non placidus, pluris æstimatus, & cunctis dilectus; neutiquam formidare debet canini dentis morsum, Harpyarum ungues: nec Rhinoceroticum nasum, sic que cum Martiale poteram musitare Poeta.

Ambrosius.

Martial. lib. 6. Epig. *Vivat, ut æternus, totoque legatur in orbe.*

Gra-

Gratias igitur tam præclaro Salmantino Authori, & præcelso interpreti referimus, supplices que exoramus, ut typis quantòcius ad publicam tradatur utilitatem; cùm de ipso, quod in canticis de lylio est eloquutus Ambrosius, egregiè possit asseverari: *Flos sublimis, immaculatus, innoxius, in quo non spinarum offendit asperitas, sed gratia circunfusa clarescit.* Sed quid admiratu dignum? quandoquidem fundatissima Magni N. Ægidij doctrina adeò illustrata, ac dilucidata apparet, ut in præclaro suo Commentatore, N. Ægidius revixisse, & utriusque non absimilis, sed unicus, & idem calamus unaque amborum scribentium dextera videatur. Nec exigua tam inclyti operis, tam que Authoris emeritissimi laus est censenda ista, cùm ingens fuerit Baptistę commendatio, quòd ejus doctrina adeò similis visa fuerit Christo, ut in ipso Baptistam surrexisse judicatum fuerit, ut ait Marcus cap. 6. *Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit.* Et paulò ante: *Propterea virtutes operantur in illo.* Enim verò si ad laudem hujus perillustris Doctoris, ac tanti Magistri ob hoc tam elucubratum opus velimus, nostras resonare voces, adhæret lingua faucibus nostris, & non est sermo in lingua nostra, si encomia illius scribere velimus, impotens supersedet, sistit calamus. Ita differrè cantitabat Poeta, & noster nunc canit verus affectus:

In cant. Cant. 5. & lib. 7. in Luc.

Mar 6. Ibidem.

Non mihi subtilem calamum si cedat Appelles,
quæ tibi sunt dotes posse notare putem.

Augustinian. Poet.

Sed quia *laus in ore proprio non laudat, prolixior & est quæ non quæritur, sed tenetur*, ut inquit D. Ambrosius, jam que multo tempore, nostra imò & N. Bæticæ Augustinensis Provinciæ omnium corda præcelsus iste Author virtute, & sapientia sua firmiter allexit, ut non inquerito illud Claudiani queat modulari:

Ambros. tom. 4. lib. 1.

In quo animis hominum pompa melione triumphas.

Claud.

Cum eodem poteramus decantare de isto, quod de quodam alio inclyto, doctissimo Hero quando è gutture fœliciter cantus fundebat:

Te celebrent alij, quanto dec.. ore, una que
ingenio laudes uberiore canant.

Claud.

Quamobrem hujus laudatissimi Salmanticensis

Do-

Doctoris totum hoc opus dignissimum judicamus, ut
latum, evulgetur, & in lucem prodeat, in nostræ Re-
ligionis splendorem, sanæ fundatissimæ quę doctrinę
præsidium, communem utilitatem, & inclyti Autho-
ris famam. Faullè ergo Doctor, & Magister ad altiora si-
ne cessatione perge. Vive, ut jugiter doceas; doce, ut
Augustinia jugiter vivas.
n. Poet. *Sic tua, Nestoreos Lachesis producat in annos,*
tempora sic carpas, gaudia longa vale.

Sic sentimus, & subscribimus, salvo &c. In hoc Aureliani Solis M.P.N. Augustini Cordubensi Regali Conventu de Gratia die verò 4. Septembris, Anno Dñi 1710.

M. Fr. Carolus de Aylton — *Fr. Petrus de Valderrama*
actualis Diffinitor. — *studiorum Regens*

LICENTIA ORDINIS

NOS M. Fr. Franciscus de Villaran Prior Provincialis Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini in hac Bœtica Provincia de Observantia, tenore præsentium, quantum ad nos attinet, licentiam impartimur R. P. M. Fr. Antonio de Aguilar dicti nostri Ordinis, & Sancti Inquisitionis officij qualificatoris, ut dare typis valeat commentaria super octo Physicorum libros elaborata à R. P. M. Fr. Petro Manso Provinciæ Castellæ Ordinis hostri filio, & in Salmantina Academia Philosophiæ Cathedræ olim moderatori, quia nostra ex cōmissione fuerunt inspecta per aliquos religiosos graves, doctos hujus nostræ Provinciæ viros, & nil repertum est dissonū puritati nostræ fidei Catholicæ, nec rectis moribus adversum. Et immerito salutaris obedientiæ præcipimus nullum inferiorem nostrum obsistere. In quorū fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostri muneris Sigillo minori munitas, & per Provinciæ Secretarium registratas dedimus in nostro Astensi Conventu, die undecima mensis Octobris Anno Dñi 1710.

M. Fr. Franciscus Villaran
Loco Sigillo. ✠ *Provincialis.*

De mandato adm. R. P. N. Provinc
M. Fr. Franciscus Moreno
Secretarius. CEN.

CENSVRA R. P. M. Fr. JOANNIS DE HERRERA ESCV-
lo dero in ſacra Theologia Magiſtri, & Prioris digniſſi-
mi Conventus Ordinis Carmelitarum de Obſer-
vantia B. Mariæ Virginis.

IMPetratis ſatis provinibus juſſui, commiſſionique mihi impoſitis à D. D. Francisco Parada Pizarro Sanctæ Inquiſitionis officij Conſultore, & hujus Cordubenſis Civitatis, ejuſque Diœceſis Provisoro, generalique Vicario, accuratè vidi, & non ſine admiratione, & maxima animi voluptate perlegi librum, cui titulus eſt: *Commentaria in octo libros Phyſicorum ad mentem D. Auguſtini, Angelici Præceptoris, & Doctoris fundatiſſimi*, compoſitum, ac elaboratum à R. P. M. Fr. Petro Manſo Salmanticenſis Academiæ Cathedratico, Ordinis M. P. Auguſtini de gratia. Et antequam vividiſſimam, ſolidamque illius doctrinam perlegerem; approbationem ultrò poſſem illi concedere; cùm certum mihi ſit, fœlicem eſſe partum tantæ, ac tam magnificæ Religionis, ex cujus puriſſimis viſceribus, tanquam ex perenni, & placidiſſimo fontis torrente, diti-ſſimo que theſauro exiliunt, imò cum jucunditate erumpunt odoramenti ſimæ aquæ, tot pretioſiſſimæ gemmæ, ſapientiam, doctrinam & omnium virtutum genera certatim ſpirantia, lauthoremque, illius antiquæ univerſitatis per universum terrarū Orbem, hujus que non ſatis debitis encomiis prædicatæ, atque celebratæ, dignißimum eſſe Magiſtrum, magnique Magiſtri D. Auguſtini diſcipulum, cui generoſo ſuo ingenio fulgentiſſimos ſuæ ſapientiæ radios exhauſit, ac demum verum, amantiſſimumque filium illius Patris, cui ipſemet mundi reparator præexcelſo magnitudinis titulo merito ſuo decoravit: *Magne Pater Auguſtine.*

Gloriosiſſimus quidem ſanè que magnus ſacris omnibus familijs ſub invictiſſimis ejus vexillis ſtrenuè militantibus, ſanctæ ſanè omnium invidia, Auguſtinus ipſe proclamatus cæterùm in illis, qui ſub peculiari ipſius Religione ſuaviſſimis votorum vinculis adſtringuntur multò una ſor, excellentior que cæteris omnibus effulget. Familiæ namque (ut Divinum, ſpiratum que Numen redatur) Patrum ſuorum pulcherrimis

rimis

rimis exornata lapidibus coronâ sunt compertum quæ est omnibus, ut quantò purius, & excellentius laureatum fertum extit rit, tantò major, & fœlicior ab omnibus dijudicabitur tan magni, atque eximij Parentis comparatâ gloria. Cæteris alijs religiosissimis cætibus Divino charitatis affectu conjunctis unius magnæ familiæ notissimus Parens Augustinus extollitur, at observantissimis proprię Religionis claustris vividissimus Parens Magnorum familiæ toto omnium orc proclamatur. Magnorum, inquam, majorumque cœlestis Civitatis incolarum; Magnorum excellentiorũque Doctorum; Magnorum, pręstantissimorumque gubernandi munere Prælatorum. Testetur hoc, inquam, Põtificia Romanę curię Dignitas quinquies à dignissimis D. Augustini filijs Divino afflante Spiritu fœliciter obtenta, multoque omnium admiratione tempore occupata. Magnitudinem hanc testentur iterùm novem supra decem purpuratæ insulæ; sexcenti, quatuor que supra sexaginta nobilissimi Antistites, Archiepiscopi, & Patriarchæ; supra mille sapientissimi Doctores, Antiquorum que Academiarum publici moderatores, quorum mirifico influxu, melioribus studijs amplissima viguerunt hymnasia, supra mille ducenti que Scriptores, quorum fœlicissimo sudore, acutissimis que sapientiæ, & doctrinæ radijs bibliothecarum subsellia non solùm illuminata, sed magno cum sumptu fuerunt amplificata; sexaginta quatuor Apostolici Nuncij, à latere, plurimique Regum, & Principum fidelissimi Legati. Et quod majus est, admirationem que omnem supereminet, viginti novem millia octingentique undecim laureata Martirij palma, coronaque redimiti, quorum multitudo (ut in cœlesti raptu Divę Veronicæ Divina revelatione intelligere fuit concessum) cæterarum Religionum numeru superabat. Quare cùm Augustinus Pater; & fundator sit talis, c tam præclaræ familiæ, ipsius magn gloria, ac fulgẽtissima corona, suæ què Religionis nequit non esse: *Magne Pater Augustine.*

Freire in vita S. Veronicæ lib. 2. cap. 16. n. 120.

Doctissimum libri hujus authorem neque avidissimis hausi oculis, neque fuit mihi fas (nescio quo fortunæ fato) illum è suggestu loquentem audire, at lepi-

lepidissima ejus scripta, ita illum mihi notum exhibet ac si dulcissimos sapientiæ suæ flosculos auditu carperem. Habet enim altissimę facundię condimentum manus illa; vel calamus, quæ vivido colore ita objectum absens, pręsens exponit, ut ejus modi objecto ut potè præsenti perspicatioribus oculis jubeat assentiri? inauditum que manus, & calami prodigium est, proprietatem actionis in chartam ità accuratè transcribere, ut vel ipse met audiens, vel legens id ipsum quod auditu percipit, oculis prospicere videatur.

Bellicoso Martis furore se se circumamicivit Saul, ut in assuetam sibi Davidicæ manus actionem audivit cùm suavissimas Citharæ suę chordas docto pollice movebat; *David Psallebat manu sua.* His igitur vocibus cõmotus inimicũ assumpsit telum, illud que cõtra Davidẽ tanquam contra inimicum jam jam præsentem, & nil nisi bellicum, & arma ferociter perstrepentem, contorsit; scilicet (ajebat Rabanus Maurus) Davidica manus horrificas adversariorũ tubas vivissimo Citharę concentu imitabatur: *Imitando scilicet tubæ aut Litui sonum:* tanta vocum proprietate, ut nil nisi pugnam, & extremum luctum, manifestamque pugnandi thesseram contra semotis sum intonare adversariorum classica videretur; erat enim tam elegans, & facunda manus illius invincibilis, ita vivacissimè pulsantis actio, ut ex ipsa armonici concentus consonantia ingentes animorum motus, Martialesque somitus erumperent, & excirarentur, ipsumque strenuissimum Saulem ut si per media inimicorum tela veheretur, & rasa camporum acie, pugnaret, commoverent. 1. Reg. cap. 19. *Raban. apud Lyr. Gloss.*

Exhibuit sese omnibus mirabile artis portentum celeberrimus ille Pictor, qui in illaborata tabulæ rudirato delicatissimo penicillo Vrsum, aut Leonem tam vivo colore horrificos exprimebat, ut non defuit, qui ad mõstruosum ipsorum aspectum formidaret, & ab illis tanquam à veris veræ ferocitatis Principibus subitò semoveretur: *Nec defuit* (inquit Gentilis noster Cordubensis Senecoa) *qui depictum Leonem fugeret, Vrsum que formidaret.* Vivatiori, multo que majori, gaudet ingenio manus illa R. P. M. Fr. Petri Manso libri hujus sapientissi-

tissimi compositoris; etenim benigna affabilitate, affabili que sua mansuetudine in experras incipientium mentes ponderoso discursuum nervo captivat, & ad conclusionum, veritatumque Philosophiæ campi cognitionem attrahit. Qua propter quia nihil in hoc libro inveni, quod catholicæ fidei, & bonis moribus dissonet, ut Censoris muneri satisfaciam, sincera fide attestor, posse licentiam concedi, ut in lucem prodeat, & Typis mandetur; ita sentio, (salvo meliori judicio) in Magno hoc Cordubensi Carmelitarum Cœnobio die 30. Augusti Anni Dñi 1710.

Mag. Fr. Joannes de Herrera Escudero.

LICENTIA ORDINARI.

NOS Licenciatus Dn Franciscus de Parada Inquisitionis sancti Officij Consultor, Provisor, & Vicarius generalis in ista Civitate & Diœcesi, per Illustrissimum & Reverendissimum D. Fr. Joannem de Bonilla & Bargas Ordinis Santissimæ Trinitatis Redemptorum calzeatorum Episcopum hujus Diœcesis, & Regis Consiliario &c. Dñum meum. Inspectis commentariis in octo Physicorum libros auctore R. P. M. Fr. Petro Manso Vniversitatis Salmantinæ Doctore, Ordinis S. P. N. Augustini, & attenta aprobatione & censura in virtute nostræ commissionis data per R. P. M. Fr. Joannem de Herrera Priorem Conventus Sanctæ Mariæ Carmeli de Observantia extra muros hujus Civitatis, quatenus per eam constat dictos libros non habere propositionem reprobatam, vel malè sonantem, neque aliquid alienum à nostra fide Catholica & rectis moribus, licentiam concedimus, ut typis mandari possit; & mandetur in quocũque hujus Civitatis prælo. Datum Cordubæ die trigesima Augusti anni Dñi 1710.

Lic. D. Franciscus Parada & Pizarro.

De mandato Dñi Provisoris

Alfonsus Joseph Gomez de Lara.

AP-

APROBATIO ET CENSVRA R.P.Mag. D. ILDEphonsi Roldan, Ordinis S. Basilij Magni, Olim Abbatis Collegij Complutensis, & Monasterij Matritensis, & Archiepiscopatus Toletani Synodalis Examinatoris.



DE mandato supremi Senatus vidi commentaria in octo libros Physicorum perspicuè elaborata per RR.P.M.Fr.Petrum Manso, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini in Salmantin Accademia, niveo pileo decoratũ &c. Et quæ solo auctoris nomine, nedum approbationem; verum etiam laudem, ac plausum jure conciliant: *In Mansuetudine*, ait Jacobus, *suscipite insitum verbum.* Mansuetudo enim sapientiæ metas perstringit, dum ab eodem Apostolo mansuetudo sapiens, seu mansueta sapientia appellatur: *In mansuetudine sapientiæ*, inquit, ubi continetur mysticè expositio, quam de se ipsa sapientia prædicat: *In omnibus requiem quæsivi, & in hereditate Domini morabor.* E ubi requiem, veluti propriam sedem sapientia adoptat; quam nedum quærit, sed in omnibus de inventione gratulatur; nec secus in mansuetudine quiescit, quæ pro requie non immè itò usurpatur. Sic enim noster mansuetus sapientis æucomia lustrat, dum proprio nomine quietam, ac tranquillam requiem sapientiæ adstruit; at quia dum voces, & nomina insequimur, res vacua se habet: oportet non omnino spreta voce rebus commoda, rem potius indagare, philosophiam scilicet naturalem, cujus Auctor meditatur arcana: In hac enim sapientia nedum quiescit, sed etiam moratur, quiescit, utpote his voluminibus diffusa propria sede potitur; indeque instar solis lucem, & fulgorem motibus, & mutationibus cunctis impertit, eorum vias demonstrando. Nec mirum, quòd ita quies adhæreat motui, si sapientia propria inspiciatur luce: hæc quidem (ad differentiam tenebrosi spiritus, qui circuit, atque in tenebris sedet, requiem quærens, nec inveniens) sola circuit girum cœli, abyssi profunda penetrat, his quæ motibus quietem invenit, ac sibi parat. Et quemadmodum oriens suis motibus quiescit; hæc quiescendo omnia lustrat.

Jacob Ep. 1. v. 21.

Eccles. 24. 11.

Harmonica hæc ratio dictat, quòd motus naturalis & quies his cogantur voluminibus, eo ordine, ut quies referatur ad motum, & rursus motus ordinetur ad quietem: quod & altioris consilij videtur particeps, ne scilicet dissidiora, aut otiosa sapientia designetur; cùm requies in labore sit proprium sapientiæ donum; labor

bor autem diuturnam manſionem ſapientiæ parat, ibi que mora-
Job 17. 2. tur: unde Job; *Inter amaritudinibus moratur oculus meus*. Vbi *oculus*, it præcipuè ſapientiam ſignat, ſicut pro *amaritudinibus* labores uſurpantur. Manet igitur ſapientia, nedum morans, & manſionem faciens, velut propriùs loquar, manſuetum deſignans; ſed etiam luſtrans, ac laboribus, & amaritudinibus annexa. Hiſque omnibus accinctus proſpicitur Autor, dum recondita philoſophiæ perſcrutatur, nota perluſtrat, & ſuprema contemplatur: Inque omnibus nervosè arguit, accutè diſſolvit, ac ſolidè, & fundatè cum fundatiſſimo Doctore reſolvit. In amaritudinibus ergo moratur, dum laboribus labores adjiciens, veluti catenatos curſus univerſæ philoſophiæ in lucem edit: qua propter vitæ delicias, gaudiorum blandimenta, veluti fugitiva renuntiat. Vt uſurpare queat illud Martial. Epig. 16. lib. 1.

Mart. Epig. 16. lib. 1.

Expectant curæ, catenatique labores.
Gaudia non remeant, ſed fugitiva volant.

Aſt, ſicut olivæ prælo præſſæ in botri pinguedine defluunt, ita his oltijs eloquia dulcia, omniquè acceptione dignos ſermones prodeunt. *Suſcipite inſitum verbum*. Jam enim, nedũ inſceptibile, ſed acceptabile ferítur & inſeritur; dum ſicut ſemen his voluminibus ſpargitur, & connaturali adoptatione rami ad ramum ſcilicet Auctoris ad Ægidiũ, nec non & utriuſque diſſaboratoris Auguſtini, & Thomę, exhiberur. Vbi duplex inſitionis genus & utrumque plaucibile mſratur; nempe propriæ & alienæ ſtirpis, ideſt juxta, & contra propriam naturam; quæ inſitionis genera ab Auguſtino P. laudatur. *Nam ſi tu ex naturali exciſſus es Oleaſtro, & contra naturam inſertus in bonam olivam; quanto magis hi, qui ſecundùm naturam inſeruntur ſuæ olivæ.* Quod & Papinius expreſsit.

D. Aug. Pſ. 72.

Stati. Pap. 1. 2. Sylo.

Vidi ego tranſertos alieno in robore ramos altiùs ire ſuis.

En ubi rami propriæ ſtirpis Auguſtino inſeruntur; etiamque D. Th. qui alienæ poteſt videri, ut ex eorum unione fronde, flore, & germine exoriat in cœlum fœcundiſsima arbos, quæ fructus dulces parturiens non diverſi, ſed unius agri virtutem oſtentent. Nil vidi in hoc opere diſſonum puritati noſtrę fidei; aut contrarium rectę rationi; adeoque typis mandari poteſt. Sic ſentio, ſalvo &c. In Monaſterio M. P. N. Baſilij Matritenſi, die 2. Septeb. Anno. 1711.

Mag. D. Ildephonſus Roldan.

IAS-

TASSA.

DON Joseph Ciprian del Valle, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, de los que residen en el Consejo: Certifico que aviéndose visto por los señores dèl un libro, intitulado: Cursus Philosophicus, compuesto en dos tomos por Fr. Pedro Manso, Religioso del Orden de San Augustin, que con licencia de los dichos señores ha sido impresso: tassaron à seis maravedis cada pliego de dicho libro, el qual parece tiene ciento, y treinta, y dos, y medio, sin principios, ni tablas, que à dicho respecto monta setecientos, y noventa, y cinco maravedis, y à este precio mandaron se venda, y que esta Certificacion se ponga al principio de cada tomo: y para que conste lo firmè en Madrid à seis dias del mes de Octubre de mil setecientos, y onze años.

Don Joseph Ciprian
del Valle.

ERRATA CORRIGENDA ~~DEL~~ TOMI TERTII.

FOl. 12. col 1. lin. 38. motum ergo, dele motū. fol. 21. col. 1. lin. 24. ex Anglis, leg. ex Angelis, fol. 24. col. 2. lin. 36. principiare, leg. principiari, fol. 31. col. 1. lin. 12. diffinctionem, leg. desitionem. fol. 41. col. 2. lin. 11. propagerent, leg. propagarent. fol. 48. col. 1. lin. 34. insufficiens, leg. insufficientem. fol. 59. col. 1. lin. 8. principio, leg. pio fol. 67. col, 1. lin. 25. omnium, leg. omnino. fol. 108. col. 1. lin. 8. motrice, leg. motum. linea 9. motum, leg. motrice; lin. 17. jurabit, leg. juravit. fol. 133. col. 2. lin 17. transitum, leg. transitus. fol. 136. col. 1. lin. 16. tenetur, leg. tenemur. fol. 144. col. 1. lin. 24. actualem, leg. actualitatem, fol. 239. col. 1. lin. 34. dat, leg. det. fol. 245. col. 2. lin. 29. materiæ, leg. formæ. fol. 257. col. 2. lin. 19. subꝛco, leg. subjecto. fol. 264. col. 1. lin. 21. humanum, leg. humanam. fol. 277. col. 1. lin. 7. ticipiendum. leg. recipiendum. fol. 293. col. 1. lin. 2. proportionatum, leg. proportionatur. fol. 317. col. 2. lin. 16. posit, leg. posset. fol. 329. col. 2. lin. 21. dissimulatur, leg. dissimilatur. fol. 364. col. 2. lin. 23. matarialis, leg. materialis. fol. 379. intitulo, sunt, leg. sit. fol. 388. col. 2. lin. 4. eloquentem, leg. eloquens. fol. 400. col. 2. lin. 38. intentionis, leg. intensionis, fol. 418. col. 2. lin. 15. mea. leg. ea. fol. 422. col. 2. lin. 26. ergo nec alia. leg. ergo, nec quòd alia. lin. 31. ut. leg. aut. fol. 455. col. 1 lin. 32.

frigi-

frigidité,leg.frigiditaté.fol.449.col.1.lin.10.Romamanis,leg.Romanis. fol.462.col.2.lin.26.cratur,leg.creatur.fol.477.col.2.lin.14 delectabilité,leg.delectabilitaté.fol.479.col.1.lin.2. voluntis, leg.voluntatis.fol. 480.col.1.lin.17.exidit,leg.excidit.fol.489.col.1.lin.31.tractatio,leg. tractio. fol. 49 .col. 1. lin.32. minifestata, leg. manifestata. fol. 496. col. 2. lin. 15. quęstine, leg. quæstione.

He visto el primer tomo de este libro,intitulado:Cursus Philosophicus, y con estas erratas corresponde à su original: Madrid,y Octubre à 5. de 1711.años.

Licenciado Don Benito de Rio,
y Cordido.

Corrector General por su Magestad.

INCIPIUNT

COMMENTARIA IN OCTO LIBROS PHYSICORUM

AD MENTEM P. AUGUSTINI, ANGELICI PRÆCEPTORIS, ET DOCTORIS FUNDATISSIMI.

PROEMIUM.

NON PAUCI POST LOGICALES QUÆSTIONES explanatas, dum Philosophicas aggrediuntur, discipulis gratulantur, veluti spinosa transcursa via, in amœnum intrantibus viridarium. Præludio invitantur non absimili, qui Logicam maremagnum, syrtibus plenum, enavigatum se putant, quasi optatum portum salutantes, dum Philosophiæ limina attrectant. Fateor ingenuè, nec solus, sed sociatus pluribus, ab humero & sursum excendentibus, nulla me in Physicis invenisse vireta, nullos Philosophiæ flores conspexisse; quinimò inter directas scientias, quę de naturalibus disputant, nulla aridior, nulla insuavior, nulla spinosior, quàm quæ nostris sæculis Philosophia nuncupatur. Agit Philosophia nostra, octo libris de physico auditu explanata, de materia prima, forma, & privatione; de causis in communi; de motu, actione, & termino; de loco, vacuo, & tempore; de infinito, continuo, & æternitate. Hæc si velis appellare flores Philosophici viridarij, exprime ut libet & lubet; sed dic spinosissimos, aridos, & insuaves. Dic to am naturam, à supremo Conditore veluti Paradisum plantatam, materiam esse Philosophiæ; no inficior, id enim hujus scientiæ officium est, teste P. N. Augustt. *Investig're, at.ocinando quid in rerum natura latitet.* Cetertùm hæc eadem natura, stellis ornata, elementis munita, plantis frugifera, mineralibus ditata, tot pennatis, reptilibus, animalibusque populata, & cœlis circumvoluta, alijs scientijs voluptuosa est, quoniam vident quæ parent, ut Astronomia lucem, & lumina; Mathesis motum, & distantiam; & sic de ceteris: soli Philosophiæ insuavis, & spinosa est, quoniam quæ latitant, specu-

S. P. N. *Augu. 8. de Civit. Dei c. 7.*

latur. Ob ib S.Parens libro laudato dicit: *In Physica tractari de inqui-*
P. Aug. *si ione naturæ, Philosophosque contrivisse ingenia sua, studiaque in requi-*
ibi ca. 4. *rendis rerum causis*; contrivisse dicit ingenia, non exercuisse: nec mirum, quoniam omniscius Salomon, qui *Proposuit in animo quærere, &*
Eccle. 1. *investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole*, subjungit immediatè, *Hanc occupationē pessimam dedit Deus filiis hominum*, pessimam quidem quoniam laboriosam, insuavem, & difficilem.

Solidius, veriùsque contendam avidiores vos reddere; si vestram spem adipiscendi Philosophiam, vi logicæ argumentationis ex anteactis confirmem. Vicistis, Augustino duce, Thoma Præceptore, & Ægidio Doctore, inaccessa logicalia: igitur eisdem Doctoribus, & Ductoribus præuntibus, physicalia possidebitis. Contrariam, sed à Regio Psalte increpatam, intulit consequentiam stultitia Judæorum, quos au-
Psal. 77 di, ut redarguas: *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt: numquid potest parare panem aut mensam populo suo?* Ostulisimam illationem! Potuit Deus profluentes de lapide educere gurgites: ergo non potuit in deserto gratos præparare cibos? Vide qualiter in consequenti locuti sunt falsa, qui erraverunt ab utero. Ergo dum rectissimis Augustinianæ Logicæ nitimur regulis, aliter cum Doctoribus nostris illatio deducenda est. Sic argue: Potest cibare nos ad saturitatem, quoniam ex percusso lapide nitidissimos fecit scaturire fontes. Ipse nos pascet cœlesti cibo, qui de silice adaquavit mirabili profluvio. Ipse denique ad Philosophiæ terminum fœliciter dirriget, qui de abstrusis Logicæ difficultatibus eripuit incolumes. Nec suspicemini brevem viam, quæ ducit ad terminum; siquidem per totius mundi magnum transcurrentes, & agnitis rerum naturalium arcanis, ad suprem omnium Creatoris cognitionem, tāquam ad mentis nostræ optatum portum, fœlicitèr perveniendum est. Eo usque transmeandum docet Philosophia, ob idque ceteris scientijs non immeritò præponenda, totisque expetenda viribus, maximè à Divini Numinis amatoribus. Plene in S.P.N. Augustino, qua via prisci Philosophi, præsertim Platonici, Deum usque pervenerunt. *Viderunt* (inquit) *quidquid mutabile est,*
P. Aug. 8. de Civit. c. 6. *non esse summum bonum, & ideò omnem animam, mutabilesque spiritus transcendere, quærentes summum Deum. Deinde viderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est quidquid illud est, & quomodocunque, & qualiscunq; natura est, nō esse posse, nisi ab illo, qui verè est, quia incōmutabiliter est.*

Ea propter dicitur in Sacro textu: *Sapientiam antiquorum exqui-*
Eccl. 39. *ret sapiens, narrationem virorum nominatorum conservabit.* Etenim ad cōparandum hanc, & quamcumque scientiam, nobis rationem pararunt, & viam Ratio enim nullius authoritatis pondere obfirmata, per inania eva-

evanescit figmenta. Antiquorum, & nominatorum virorum jubemur consulere oracula; evolvere scripta, perpendere rationes, & prosequi sententias, ut perveniamus quò tendimus: perveniemus ergo fœliciter, si Parentis Augustini, Angelici Thomæ, & Fundatissimi Ægidij, sequamur vestigia, ne mens & ratio nostra feratur per inania. At quoniam sententiam Ægidianam ex munere tentamus exponere, si aliquando S. Thomas discrepare videatur, summa veneratione doctrina ejus exponenda est; nec pertinaciter sententiæ nostræ adhærendum, ut docuit nos Præceptor noster Beatus Ægidius in Proemio Physicorum: ejus verba dare non ambigo, ne in limine Philosophiæ offendamus, qui in via nostra usque ad terminu , S. Thomæ, & aliorum antiquorum veneratores esse cupimus. Cùm enim Doctor noster allegaverit D. Thomã, docentẽ ens mobile esse objectũ Philosophiæ, sic suam & nostram proponit sententiam. *Nos enim* (ait) *non ut eorum intellectum reprobemus, ad quem non attingimus, sed ut teneamus positionem, quam melius intellectu capimus, dicemus in naturali Philosophia subjectum esse corpus mobile, non ens mobile.* Disce modestiam, addisce humilitatem, qua Sanctorum Doctorum sententias, si non teneas, reverearis; culpans potiùs tenuitatem tuam, quàm illorum assertа. Si secùs feceris, non eris Ægidianus; imò nec Augustinianus, quoniam S. Protoparens docens qualiter tuas opiniones tenere possis, & proferre, seipsum exemplum dedit in libris, ubi dies primæ conditionis exponit: *Non aliquid unum temerè affirmans cum præjudicio alterius expositionis fortassè melioris, ut pro modulo suo eligat quisque quod capere possit. Cohibeant se tandem, qui litteris inflati sæcularibus, hæc ita posita, ut omnia corda nutriant, veluti imperitum, atque ibi positum aliquid exagitant, sine pennis in terris reptantes, & volatilium avium nidos irridentes.*

B. Ægid. in Prolo-go ad libros Phy sicor. lit. c. 20. lib. 1. de Gene. ad lit. c. 20.

QUÆSTIO PRIMA PROEMIALIS.

QVOD NAM SIT OBIECTVM FORMALE PHILOSOPHIÆ?

§. I.

EXPLICATVR QVID SIT PHILOSOPHIA, AN SIT SCIENTIA, AN speculativa, & una in specie.

QVidquid in Proemialibus Logicæ disputatum circa existentiam ejus, nomen, officium, objectum, speciem, & unitatem, hoc loco discutitur etiam de Philosophia. At quoniam ex dictis lib. 1. Logicæ habetur doctrina pro decisione omnium; ideò

hìc loca notabimus, ubi quidquid desideres, invenias. Supponimus primò dari sciẽtiam in rerum natura. Id enim probatum est contra Heraclytum, & Cratilum, nec non contra Academicos in fine Logicæ nostræ lib. 8. q. 3. à num. 28. estque communis sentẽtia DD. de qua vide lib. 1. Logicæ quæst. 2. authoritates P. N. Augustini, & nostrorum Præceptorum. Ratio id suadet, quoniam sciẽtia est cognitio rei per causam, quę certa, & evidens sit: sed plura in rerum natura sunt, quę certò, & evidenter cognoscimus per causam: ergo talia cognoscimus scientificè, & de illis datur scientia.

Hæc scientia in sua latitudine vocabatur primitùs sapiẽtia, & qui eam callebant, sapientes dicebantur. At primus Pythagoras, ut invidiam declinaret, & modestiam prętexeret, non *Sophum*, ideſt sapientem, sed *Philosophum*, ideſt amatorem sapientiæ voluit appellari. Placuit successoribus nomen modestissimum, & dicti sunt deinceps Philosophi, quotquot rerum naturalium causis indagandis dediti sunt; imò, & scientiam causarum indagatricem, vocarunt *Philosophiam*, duplici verbo Græco *Philos* significante amorem, & *Sophos* dicente sapientiam; quare Philosophia est amor sapientiæ in rigore significationis, sed translato nomine significat scientiam rerum naturaliũm.

Habes lib. 1. Logicę q. 4. §. 1. divisionem scientiarum naturalium, quę per diversa objecta differunt specificè, ita ut sint habitus diversi. Si Authores, & inventores scientiarum scire desideras, vide N. Gavardi in Philosophia tom. 2. quæst. unica Proem. art. 1. §. 1, Nobis autem dicendum est consequenter ad dicta de Logicæ inventione, scientiarum Authorem Deum esse, qui scientias infudit Adamo, ut posterorum esset non solùm Pater, sed Magister. Possunt tamen dici homines instauratores, quo sensu loquitur P. N. August. lib. 8. de Civ. Dei cap. 2. & 4. ubi duas Scholas observat, unam Græcam in civitate Miletos, quę est in Asia minori, ubi primus cœpit philosophari Thales Milesius, unus ex septem sapientibus Græcię; à quo veniunt successu temporis, & doctrinę Anaxagoras, Anaximander, Archelaus, Socrates, Plato, & Aristoteles. Quo tempore tot sectæ divisæ sunt, ut impossibile sit earum catalogum texere, ut testatur P. August. Epist. 56. Altera Schola floruit Tarenti, quæ civitas est Italiæ, dicta pridem magna Græcia. Hic cœpit philosophari Pythagoras, à quo omnes Pythagorici.

Observa cum P. N. August. lib. 18. de Civit. Dei cap. 24. quòd sapientissimus Salomon aliquot sęculis præcesserit Thaletem, & cùm de omnibus disputasset, ut testatur sacra pagina 3. Reg. cap. 4. pręcipuus Physicæ author dici potest

est de illo enim dicitur ibi : *Disputasse super lignis à cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete : & disseruisse de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus &c.* Ante Salomonem fuit Abrahamus, à quo Ægyptij didicerunt sapientiam; semperque floruerunt scientifica assertaapud populum electum Dei, speciali ejusdem providentia ; imò si quæ verissima sunt in libris Gentilium, præsertim Platonicorum, illa ex libris nostris, à Moyse exaratis, desumpta ostendit P. N. Augustinus, nec non S. Ambrosius, & alij PP.

Hæc certa sunt apud omnes, si excipias Academicos, qui negantes aliquid certò sciri, negant scientiam in communi, et ejusdem divisiones, inventores, aut instauratores. Sed eos cum P. Augustino redargue authoritate Apostoli dicentis : *Ex parte scimus, & ex parte prophetamus*, supra quæ S. P. lib. 19. de Civ. Dei cap. 18. dicit: *Civitas Dei* (ideſt Ecclesia) *Academicorum dubitationem, tanquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente, atque ratione comprehendit, etsi parvam propter corpus corruptibile, quod aggravat animã, quoniam sicuti dicit Apostolus ex parte scimus, tamen certissimã scientiam : creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus anima unitur.*

2. Hęc scientia in communi rerum naturalium, cujus

existentiam supponimus probatã, & primitivo nomine *Sophia*, posteà *Philosophia* dicta est; tripartitur à P. August. lib. 8. de Civitate Dei in Moralem, Naturalem, & Rationalem. Dedimus verba S. P. & explicavimus hãc divisionem lib. 1. Logicæ q. 2. §. 2. Jam verò sola *Naturalis* obtinuit nomen Philosophiæ, quæ ab aliquibus græcitantibus promiscuè vocatur *Phisiologia*. Corrigendi sunt ex P. August. lib. 12. contra Faustum cap. 40. ubi ostendit quòd Phisiologia erat illud vanum Ethnicorum studium, quo Doctores Gentiles suis interpr tationibus conaban u p l liare prophana de suis falsis dijs; unde erat veluti Theologia deorum Gentilissmi. Verba S. P. sunt hæc : *Pagani fabulas suas, ut aliquo modo commendent, ad nescio quas Physiologias, vel Theologias, ideſt rationes naturales, vel Divinas, interpretando referre conantur; ex parte planè satis indicantes qualia sint, ex parte autem dissimulantes &c*, Idem repetit lib. 20. c. 9.

Philosophia naturalis propriò nomine vocatur, *Physica*, nomen est græcum, quòd latinè significat idem, ac naturalis. Ita P. August. 8. de Civ. Dei cap. 6. dicés: *Hæc in illa parte, quam Physicam, ideſt naturalem nuncupãt, dicta sint.* Et iterùm cap. 10. *Vt vel naturalem latinè, vel physicam græcè appellet eam partem, in qua de inquisitione naturæ tractatur.* Habes hic nomen Philosophię, & officium,

quod

quod est inquisitio naturæ, ejusdé causas detegens, & effectus, ut in Proemio dictum est cum S. Parente.

Hæc Philosophia naturalis ab Aristotele tripartitur in Metaphysicam, Mathematicam, & Physicam. De hac divisione tractat N.B. Ægidius in Prologo ad libros Physicorum. Differunt juxta Aristotelem, quoniam procedũt per diversas abstractiones à materia. Physica enim solùm abstrahit à materia singulari; Mathematica à materia sensibili; Metaphysica ab omni materia. De hoc satis diximus lib. 1. Logicæ quæst. 6. Quo jam vides nunc vocari Philosophiam naturalem, quod non integra Philosophia, sed pars ejusque dicitur Physica. Hæc Physica non solùm comprehendit octo libros Physicorum, sed omnes sequentes, de Cœlo & Mundo, de Generatione, de Meteoris, de Mineralibus; de Anima vegetativa, ut in plantis, sensitiva, ut in animalibus, & intellectiva ut in rationalibus. Hanc divisionem partium Physicæ tradit egregiè N.B. Ægidius hic, cujus verba adducit Villanova, & omittimus brevitatis causa.

Physica, seu Philosophia tot partes comprehendens, unica scientia est in specie, & speculativa. Primum patet ex dictis lib. 1. Logicæ quæst. 6. secundum ex ibidem dictis q. 3. Brevitèr utrumque ostenditur, quia quoad omnes suas partes habet idem objectum formale, quod est corpus mobile, ut dicemus §. sequenti. Sed ab objecto formali sumitur unitas specifica scientiarum: ergo Physica quoad omnes partes enumeratas, unicus habitus scientificus est. Jam verò quòd sit speculativus quoad omnes partes, probatur ex fine, quia finis ejus est inquisitio veritatis; & ut ait P. Augustinus 8. de Civ. Dei cap. 4. Physica *Contemplationi deputata est.* Et ut N.B. Ægidius in Prologo: *Dicere scientiam naturalem esse practicam, est dicere oppositum in adjecto.* Præcipuam partem Physicæ explicandam assumimus, quę continetur octo libris Physicorum. Hi dicti sunt *De physico auditu*, vel quia Aristoteles eos tradidit in voce: vel quia principia continent, quę non tam probatione, indigent, quàm auditu. In his ferè nulla est controversia; si quę adest, est solùm circa objectum, pro qua decidenda, sit.

§. II.

Deciditur quid sit objectum Philosophiæ, ubi aliqua de subalternatione ejusdem Metaphysicæ.

3. OMNES sententiæ conveniunt in eo quòd objectum Philosophiæ est aliquid mobile. Hoc suaderi potest ex communi consensu, quo mobilitas est

ratio

ratio formalis sub qua res quæcumque attingitur à Philosophia. Controversia est, an sit ens mobile, an corpus mobile; an substantia mobilis; vel naturalis, quod idem est, cùm natura sit principium motus, ut dicemus 2. Physic. Et licèt hæc quæstio multum habeat de nomine, ut observant hic Discalciati Complutenses, his tamen temporibus aliquid habet de re, quod est dignum discussione.

Prima sententia est D. Thomæ, quam tenent ferè omnes Thomistæ in præsenti, docentes objectum Philosophiæ esse ens mobile, non autem corpus mobile. Probatur primò ex Arist. 6. Metaphysicæ text. 1. ubi ait: *Naturalis speculativa quædam profectò: sed speculativa circa talem ens, quod possibile movere.* Vbi S. Thomas lect. 1. subjungit: *Ex hoc patet quòd naturalis Philosophia est circa determinatum subjectum, quod est ens mobile.*

Idem docet S. D. in Proemio hujus operis lect. 1. ubi inter alia dicit sic: *Hic autem est liber Physicorum, cujus objectum est ens mobile simpliciter. Non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus, probatur in hoc libro; nulla autem scientia probat suum objectum &c.* In conclusio & ratio ejusdem probativa. Nam nulla scientia probat suum objectum, sed supponitur præcognita ejus existentia, & quidditas, ut diximus lib. 8. Logicæ q. 3. §. 4. ubi explicata sunt

præcognita ad demonstrationem. Sed in Philosophia probatur ab Aristotele quòd omne corpus est mobile: ergo corpus mobile non est objectum Philosophiæ.

Explicatur hæc ratio à Complutensibus. Nam certissimum est quòd objectum Philosopiæ est quid mobile; nam apud omnes Philosophia differt ab alijs scientijs quia hæc sola considerat res, ut subjectas motui, & mutationi. Sed non est certissimum, quòd omne corpus sit mobile; cùm de hoc dubitetur rationabiliter in Philosophia, & probetur ab Arist. non tamen potest dubitari, quòd omne mobile est ens; ergo congruentiùs ponitur ens mobile pro objecto Philosophiæ, quàm corpus mobile.

4. Secundò probatur à Joann. à S. Thoma hìc ex diffinitione motus, quæ traditur 3. Physic. nempe motus est *actus entis in potentia, secundùm quod in potentia.* Vbi nota, quòd non dicitur actus corporis, sed *actus entis.* Ecce ratio. Motus est præcipua passio, & adæquata objecti formalis Philosophiæ, quæ dum diffinitur, diffinienda est per habitudinem ad subjectum formale: at non diffinitur per ordinem ad corpus mobile, sed ad ens mobile, ut patet ex dictis: ergo quia subjectum, cui convenit, & de quo demonstratur à Philosophia, non est corpus mobile, sed ens mobile.

Confirmatur. Quia Metaphysica

sica non tractat solùm de substantia, sed de accidentibus, ideò ejus objectum formale est aliquid universale, quod comprehendit utrũque, nempe ens sub ratione entis: sed etiam Philosophia nedum tractat de corpore, sed de accidentibus ejus; unde nedum tractat de substantia subjecta mutationi, sed de accidentibus: ergo ejus objectum non debet esse corpus mobile, sed quid superius nempe ens mobile.

Confirmatur secundò. Non omnia quæ tractantur in Philosophia, reducuntur ad corpus mobile; benè verò ad ens mobile: ergo ens mobile est objectum Philosophiæ. Probatur antecedens. In Philosophia agitur de vacuo, & infinito, quæ repugnãt corpori; & tamen non repugnant enti, quia verè sunt entia. Agitur etiam de intelligẽtijs motricibus cœlorum, & de anima rationali, quæ non est corpus; omnia tamen ista sunt enti: erg non omnia, quę tr- &anur &c.

5. Secunda sententia docet objectum Philosophiæ esse corpus mobile. Ita Albert. tract. 1. sue Philosophiæ, & alij citati à Rubio hìc. Probatur primò: Quia illud est objectum formale scientiæ, quod primò, & per se habet rationem *sub qua* talis scientiæ; sed esse principium motus, quæ est ratio *sub qua* Philosophiæ, convenit primò, & per se corpori mobili; enti verò mobili solùm ratione corporis; ideò enim ens movetur, quia corpus movetur: ergo corpus mobile, non autem ens mobile &c.

Confirmatur. Ratio formalis sub qua Philosophiæ non est mobilitas utcumque, sed mobilitas sensibilis; ob id enim Philosophia abstrahit à materia singulari, non autem à materia sensibili: sed mobilitas sensibilis non benè explicatur per ens mobile; benè autem per corpus mobile: ergo corpus mobile est objectum Philosophiæ, non autem ens mobile. Probatur minor. Nam plura sunt entia mobília, quæ non sunt mobilia mobilitate sensibili, ut de Angelis, & spiritibus patet: ergo &c. Hæc sententia docetur à Philosopho lib. 1. de Cœlo cap. 1. & à D. Thoma quæst. 14. de veritate art. 8. ad 18. & 1. p. q. 84. art. 1. in argumento *Sed contra*. Et Opusc. 42. cap. 14. ait: *Ex dictis igitur patet quòd ens mobile, quod est corpus communiter acceptum &c.* Vbi S. D. idem reputat ens mobile ac corpus.

6. Tertia sententia docet substãtiam naturalem esse objectum Philosophiæ, non autem ens mobile, aut corpus mobile. Sic Scotus cum alijs relatis à Massio. Eandem docent Scotistę, ut testatur N. Gavardi. Probatur primò ex Arist. 6. Metaphysicæ cap. 1. ubi docet Philosophiam naturalem circa substantiam naturalem versari. Secundò: Quia Philosophia nedũ agit de mobili, sed de quiescibili; ergo debet habere objectum, quod

quod comprehẽdat utrumque, ſed ens, aut corpus mobile, nõ ſe habet ſic; benè verò ſubſtantia naturalis, quæ diffinitur 2. Phyſic. *Principium motus, & quietis*: ergo objectũ Philoſophiæ eſt ſubſtantia naturalis.

Tertiò: Mobilitas non cõvertitur cum corpore, benè autem cum ſubſtantia naturali: ergo hæc, & non illud eſt objectum Philoſophiæ. Probatur antecedens. Angeli ſunt mobiles de loco ad locũ, & de cognitione in cognitionem; nec tamen hæc mobilitas eſt cum corpore, benè verò cum ſubſtantia naturali: ergo. Confirmatur. Quantitas ſeparata à ſubſtantia, movetur, ut patet in Euchariſtia; & tamen non eſt corpus phyſicum: ergo mobilitas non convertitur cum corpore. Rurſus materia prima movetur ad formam: ſed materia non eſt corpus: ergo idem. Hæc ſententia de ſubſtantia naturali inſinuatur à D. Thoma 6. Metaphyſicæ lect. 1. Obſerva etiam, quòd Meriñero Scotiſta, & alij allegati à N. Villanova hic, citant Scotum pro ſententia docẽte objectum eſſe corpus naturale. Quod ſi ſic, non differt hæc ſententia à ſecunda, quia naturale idem eſt ac mobile.

7. Ex his ſententijs, quę ut hìc comprobantur, æqualiter probabiles ſunt, eligimus ſecũdam, quam N. Ægidius reddidit à ratione probabiliorem, ut videbimus. Eam docet B. D. in Prologo Philoſophiæ dub. 4. ubi in venerationem S. Thomæ, quem citat pro contraria ſententia, duo dicit, primò ſe non de-

pere mentem Angelici Magiſtri ob tenuitatem ſui intellectus: verba dedimus in fine Proemij noſtri. Secundò, quòd ſententia noſtra non eſt pertinaciter defendenda, quoniam contrariam tenent viri magnæ authoritatis, nempe D. Thomas, & alij. Sententiam N.F.D. tenent omnes Ægidiani, & noviſsimè N. Villanova, & Gavardi. Cum eis dicimus objectum Philoſophię non eſſe ens mobile, ſed corpus mobile.

Probatur primò ex P. Auguſt. qui locis citatis in Proemio noſtro, dicit Philoſophiã *tractare de inquiſitione naturæ*. Ne autem libera nobis eſſet erroris occaſio, & putaremus Philoſophiam agere de natura Dei, aut Angelorum, & entium ſpiritualium; diſtinguit Epiſt. 63. triplicẽ naturam per ordinem ad mutabilitatem, quæ eſt ratio *ſub qua* Philoſophiæ. Dicit ſic: *Eſt natura per locos, & tempora mutabilis, ut corpus. Et eſt natura per locos nullo modo, ſed tantùm per tempora mutabilis, ut omnes mutabiles ſpiritus. Et eſt natura, quæ nec per locos, nec per tempora mutari poteſt, hoc Deus eſt.* Ex his ſola prima pertinet ad Philoſophiã, reliquæ autem ad Metaphyſicam & ſapientiam. At de prima natura mobili per loca, & tempora, dicit eſſe corpus: ergo Philoſophia juxta S.P. habet pro objecto corpus mobile. Idem inſinuat lib. 12. de Trin. cap. 14. ubi duos habitus mentis diſtinguit, unum, quo contemplamur res corporales, & mutabiles; alterum, quo habetur cognitio inviſibilium

rerum,& æternarum. Et cum Apost. 2.ad Corinth. 12. dicit,primum habitum esse scientiam, quæ est naturalis Philosophia; secundum esse sapientiam, quę est Metaphysica.

Hæc sententia habetur etiam in D.Thoma locis allegatis num. 5. in fine. Et licèt Jo. à S. Thoma dicat ibi S.Doctorem loquutum de objecto materiali, non de formali; facile esset oppositum suadere. At non licet de mente S.Thomæ ontendere,cùm N.F.D. fateatur S. Thomam pro contraria stare sententia. Quæ si nobis objiciatur, id enim est cum Doct. N. nos non reprobare assertum Angelici Magistri, sed defendere tantùm sententiam, quam melius perci, imus; nam rationes D. Thomæ pro contraria sententia benè solvimus, non sic quæ pro nostra proponemus.

8. Probatur ergo à ratione nostra sententia. Philosophia nō est Metaphysica,nec pars Metaphysicæ, sed habitus adequatè distinctus, ut constat ex Arist. & ex dictis hic n. 2. ubi Philosophia in communi,aut scientia naturalis, tripartitur in Metaphysicam,Mathematicam,& Physicam. Sed si ponitur ejus objectum ens mobile, non erit scientia distincta à Metaphysica, sed pars ejus: ergo objectum Philosophiæ non est ens mobile, sed corpus mobile. Probatur min. Non erit Philosophia distincta à Metaphysica, si non ponitur objectum distinctum ab objecto Metaphysicæ, & quod à Metaphysica non attingatur; sed ens mobile non est objectum distinctum ab objecto, quod attingit Metaphysica: ergo. Probatur minor. Metaphysica tractans de ente, agit de omnibus modis ejus: sed ens mobile solùm addit modum supra ens: ergo ens mobile &c. Probatur minor ex 3. Metaphysicæ textu 10. ubi dicitur quòd ens non contrahitur per propias differētias, quia non est genus, & quidquid est extra rationē entis, est nihil. Quare ens solùm contrahitur per diversos modos essendi;& sic ens mobile dicit specialem modum essendi, de quo tractare debet Metaphysicus.

Secundò probatur à ratione. Objectū scientiæ est illud de quo scientia demonstrat passiones, sed Philosophia non demonstrat mobilitatē de ente, benè verò de corpore: ergo objectum Philosophiæ non est ens mobile,sed corpus mobile. Probatur minor. Mobilitas non est passio entis, ut ens est; alioquin Deus, qui est ens, foret mobilis, & mutabilis; est tamen passio corporis,ut corpus est, quia nullum est corpus,quod non sit mobile,aut mutabile: ergo Philosophia non demonstrat mobilitatē &c.

9. Tertiò: Si Philosophia ageret de ente mobili, esset scientia subalternata Metaphysicæ: sed non ita subalternatur: ergo non agit de ente mobili, sed de corpore mobili. Minor est etiā doctrina Thomistarū, & suadetur ex dictis in lib.8.Logicę q.ultima §.1.ubi actum est de subalternatione scientiarum. Ibi dictum est,quòd scientia subalternata non pro-

procedit ex per se notis , sed ex demonstratis à scientia subalternante. Rursus subalternata non est scientia per se , sed ratione subalternantis. Tandem quando non continuatur cum subalternante, tunc subalternata non est perfectè scientia. Sed de Philosophia nequit dici non procedere ex per se notis , nec quòd procedat ex demonstratis à Metaphysica;nec quòd sit scientia ratione Metaphysicæ &c.ergo Philosophia non subalternatur Metaphysicæ,

Sequela majoris probatur ex dictis in Logica loco laudato. Quoties passio nõ adæquat subjectum;& quoties nõ oritur ex intrinsecis subjecti;scientia agens de illa passione, est subalternata scientię agenti de subjecto passionis. Constat hoc tum ex dictis loco citato ; tum exemplis. Perspectiva agens de linea visuali , subalternatatur Geometrię agenti de linea ; hoc ideò quia visualitas non est passio adæquans lineam, cùm nõ omnis linea sit visualis; nec visualitas oritur ex intraneis lineę; alioquin omnis linea esset visualis. Idem dic de Musica, considerante numerum sonorum, quæ subordinatur Arithmeticæ, agenti de numero : hoc ideò quoniam passio sonori non æquat numerũ,cùm non omnis numerus sit sonorus ; & ob id ratio sonori est extranea numerò , nec oritur ex intrinsecis numeri.

Nunc sic.Sed dicendo *ens mobile*, passio non æquat subjectum;nec mobilitas oritur ex intraneis subjecti:ergo si Philosophia ageret de ente mobili,esset scientia subalternata Metaphysicæ,agenti de ente. Probatur hæc minor. Ideò visualitas non æquat lineã,nec oritur ex intrinsecis lineæ , quia non omnis linea est visualis : at etiam non omne ens est mobile, ut patet in Deo; & loquendo de mobilitate sensibili , de qua Philosophia, Angeli etiam sunt ens, nec sunt mobiles : ergo dicendo *ens mobile* , passio non æquat &c. Hæc ratio est solida, si videas doctrinam Thomisticam,datam loco citato Logicæ nostrę, ut principijs Thomisticis urgere possis Thomistas.

Ex illa habemus conclusionem nostram pro corpore mobili. Nam mobilitas est passio corporis,equans subjectum; cùm omne corpus mobile sit; & omne mobile corpus.Hinc fit ut mobilitas oriatur ex intrinsecis corporis, & sic sit demonstrabilis ex per se notis sine dependentia,aut subalternatione Philosophiæ , Metaphysicæ,aut alteri scietiæ:& vitãtur in nostra sentẽtia incõveniẽtia, quæ sequuntur ex Thomistica. Quòd si authoritatem extrinsecã pro nostra desideres, allega cum N. Villanova, Avicenam, Linconiensem,& Albertum Magnum. Ex RR. Pereiram, Pennafiel, Gerardum, & ferè omnes nostros.

10. Ad fundamẽta sententiæ Thomisticæ,posita num. 3. Respondemus & ad authoritatem Philosophi,explicatã à D.Tho.dic,quòd Arist. 1.de Cœlo.cap.1. docet objectum Philosophiæ esse corpus mobile : quòd si 6.Metaphysicæ textu 1. di-

dicit esse ens mobile, loquitur in sensu identico prout ens est ens ac corpus mobile. Quo sensu D. Thomas opusc. 42. cap. 14. dicit: *Ex dictis igitur patet, quòd ens mobile, quod est corpus communiter acceptum &c.* Ecce S.D. loquens in sensu identico, utrumque promiscuè insinuat. Ex quo nil licet inferre pro conclusione nostra, quæ procedit in sensu formali, segregans corpus mobile ab ente mobili.

Non possumus sic exponere secundam authoritatem D. Thomæ contra nos adductam ex Prologo Physic. Nam ibi S.D. in sensu formalissimo loquens, dicit objectum esse ens mobile, & non esse corpus mobile. Ceterùm cum N.B. Ægidio dimus; nos non capere sententiam S. Doctoris; aut sanè melius capere oppositam, quam non defendimus pertinaciter, sed probabiliter.

Ad rationem inclusam in authoritate D. Thomę, concedimus quòd nulla scientia probat suum objectū; sed negamus, quòd Philosophia probet quòd omne corpus est mobile. Solutio est N.B. Ægidij, & ab eo ostenditur sic ex doctrina Philosophi: Naturalis non probat corpus mobile esse, si enim hoc probaret, possent arguere contra negantes motum: sed ex lib. 1. Physic. constat, quòd Physicus præsupponit motum esse, & non potest ut talis, arguere contra Parmedinem, & Melissum, negantes motum: ~~natū~~ ergo Philosophus naturalis non probat, nec potest probare corpus esse mobile. Sujungit Ægidius loco laudato: *Sed utrum omnia corpora naturalia moveantur, & utrum motus convertibiliter insit corpori, hoc non supponitur; quia, ut Commentator ait commento 2. dubium est de aliquibus corporibus, ut de partibus terræ, quæ sunt circa centrum, utrum moveri possint, an non.* Sic etiam 3. Physic. disputatur quid sit motus; nec tamen ibi probatur motum esse, sed supponitur: ergo supposito dari motum, & supposito corpore, cujus passio est motus, nil probatur à Physico; imò nec potest id probari, sed præsupponi, ut docet Arist. loco laudato primi Physic.

Ad explicationem Complutensium retorque rationem in eos. Per vos corpus mobile non est objectum Philosophæ, quia certissimum est, objectum tale esse quid mobile; nec tamen est certissimum quòd omne corpus sit mobile. Atnec etiam est certissimum quòd omne ens sit mobile; imò hoc est falsissimum, quia Deus ens est; nec tamen mobilis st: ergo objectum Philosophiæ non erit ens mobile. Respõdemus directè quòd sicut certissimum est quòd objectum Philosophiæ est quid mobile; ita est certissimum dari aliquod corpus mobile. Vtrumque enim supponitur, nec potest à Physico probari, ut dictum est. Si enim dubitatur de aliquo corpore, v. g. de centro terræ, an sit mobile; dubio discutitur, an tale corpus sit objectū Philosophię? Erit objectū, si sit mobile; secùs si immobile sit. Hoc dubitare,

re, non est disputare de objecto, probando existentiam ejus; sed est dubitare de extensione objecti Philosophiæ ad tale, vel tale corpus. Sic supposito quòd numerus sonorus est objectum Musicæ, potest dubitari an numerus motus cœlestis sit sonorus, ut voluerunt Platonici, & Pythagorici. Probare hoc non est probare existentiam objecti Musicæ, sed extensionem ejus ad numeros cœlestes.

11. Ad 2. fundamentum, positum num. 4. concedimus motum diffiniri *Actus entis in potentia*, & non diffiniri *Actus corporis in potentia*. Hoc non ideò, quia *ens* sit subjectum formale motus: hoc enim falsum est, & faceret Philosophiam subalternari Metaphysicæ, ut dictū est num. 9. subjectum ergo formale motus, & ei adæquatum, est corpus. Cæterùm non ponitur in diffinitione, ne audiendo *Corporis in potentia*, putaremus motum esse animam, quæ diffinitur *Actus corporis physici, organici in potentia vitam habentis*. En anima est *actus corporis in potentia*: ergo si motus diffiniretur *Actus corporis in potentia*, diffinitio motus occasionaret errorem. Ob id dicitur actus entis in potentia; hoc est compositi substantialis, quod movetur per alterationem. Et ly *ens*, vel non dicit subjectum formale motus; vel sumitur ens identicè, ut est idem cum corpore, juxta dicta ad authoritatem Philosophi.

Ad 1. confirmationem dic, Metaphysicam agere de ente universalissimo, non quia tractat de substantia, & accidentibus, sed quia de his tractat sub ratione universalissima, quæ est superior tum ad substantiam, tum ad accidentia. At Philosophia agens de corpore mobili, & de accidentibus mutationum, non agit sub ratione universalissima, quæ sit superior ad corpus; sed plenè æqualis corpori. Nam quidquid tangitur à Philosophia hoc est sub ratione mutabilitatis corporis, quę est prima passio, unde reliquæ demonstrantur, ut lib. 8. Logicæ dictum est. Mobilitas ista corporis non est superior ad corpus, sed æqualis: ergo objectum formale Philosophiæ non debet esse *ens* superius ad corpus, sed corpus mobile.

Ad 2. confirmationem dic, illa omnia saltem indirectè reduci ad corpus mobile, quatenus inducunt cognitionem entis mobilis. Vacuum enim inducit cognitionem corporis pleni. Infinitū ducit in cognitionem rei finitæ. Angeli autem, & anima rationalis, ut entia sunt, considerantur à Metaphysica, nec de illis agit Physicus. Tractat tamen Philosophia de intelligentijs motricibus cœlorum, ut agentibus motum corporis cœlestis. Item de anima, ut est pars hominis corporis mobilis. Quare omnia hæc tractantur à Philosophia, sub ratione dicta corporis mobilis.

12. Ad fundamenta 2. sententiæ posita num. 5. dicimus ea confirmari rationibus Ægidianis, & sic esse pro nostra sententia. Ad illa quæ

num,

num.6.posita sunt pro Scotistis,dicimus nihil probare. Nam authoritas Philosophi,ibi inducta , procedit in sensu identico, in quo idem est substantia naturali ,ac corpus mobile. At in sensu formali idem non est, quia Angelorum substantia est naturalis ; & tamen non est objectum Philosophiæ,ut vidimus num.7.ex S. P.N.Augustin.Ad secundum dic,quòd corpus mobile nedum est principiũ motus, sed etiam quietis , sicut natura est principium utriusque. Nec obstat, quòd motus & quies sunt incompatibiles. Nam etiam amor , & odium sunt actus cõtrarij, & incompatibiles,& tamen in voluntate aduanatur potentia amandi , & odendi, Quare sicut eadem voluntas habet potentiam ad utrumque, non ad utrumque simul exercendum , sed divisibiliter ; ita idem corpus est mobile, & quiescibile divisivè.

Ad 3. dic, quòd mobilitas Angelorum de loco ad locum , & per varias cognitiones,est mobilitas spiritualis, & imperceptibilis sensibus nostris ; unde de illa non agit Philosophia, quę solùm considerat sensibilem mobilitatem. Hæc convertitur cum corpore, ut patet , quia sola corpora sic moventur sensibiliter. Ad confirmationem dic,quòd quantitas Eucharistica separata à substantia panis, destructa per consecrationem, non est corpus, sed habet ibi modũ corporis quanti, vi cujus replet locum, & alia corpora repellit à loco. Ob id habet etia moveri localiter, & qualitativè. Ad aliud de materia prima, dic ipsam moveri ad formam, quatenus est pars corporis, quæ cum forma constituit compositum substantiale corporeum.

13. Quæres, si omne corpus est mobile,cur dicitur objectum Philosophiæ esse corpus mobile in eo quod mobile ? Satis esset dicere objectum esse corpus. Respondeo ex N.B.Ægidio, quòd licèt ly *mobile*, non sit differentia contrahés corpus, sed æquè pateat ac illud ; contrahit considerationem corporis ad solam Philosophiam.Corpus enim consideratur à Metaphysica , à Mathematica ,à Philosophia, & à Medicina ; à Metaphysica sub ratione entis;à Mathematica sub ratione mẽsurabilis;à Physica sub ratione mobilis; à Medicina sub ratione sanabilis. Quare ly *mobile* æquè patens entitativè ac corpus,limitat considerati nem corporis,ut sit pro objecto tãtùm Philosophię, & ideo a ditur , dum objectum ejus designatur.

Quæres 2. An ly *mobile* intellig tu de mobilitate radicali, an de formali,& proxima. Thomistæ cum Cayetano in opusc.de subjecto Physicæ, docent intelligi de mobilitate radicali. Probant, quia cùm mobilitas formalis sit accidens , Physicus solùm ageret de accidente,unde non ageret de substantia,nec de natura, quæ est principium substantiale ; nec de generatione, & mutatione substantiali.

Contrariam sententiam tenet N.Villan. hìc,quam probat ex N. B. Ægidio 1.Post. text. 24. ubi docet, quòd

quòd mobile radicale est objectum materiale Philosophiæ ; mobile autem proximum activum, & passivum, esse objectum formale. Verba N.B.D. sunt hæc : *Naturalis considerat corpus secundùm quod est quale, secundùm quod est activum, secundùm quod est passivum, secundùm quod transmutat, vel secundùm quod transmutatur.* Sed corpus *ut quale, ut activum, & ut passivum &c.* dicit mobilitatem proximam, quæ habetur per accidentia, addita substantiæ corporeę : ergo Philosophia considerans, habet pro formali objecto mobil tatem proximam, & pro materiali radic lem. Et confirmatur. Quia si ponitur sola mobilitas radicalis pro objecto ; cùm hæc sit sola substantia, ut concedunt Thomistæ, sequitur, quòd formale objectum Philosophiæ sit substantia mobilis, ut docet tertia sententi Scotistarum, de ua num. 6. ut uid ergo docent esse ens mobile contra Scotum ?

Dicendum putamus cum N. B. D. objectum formale esse mobilitatem proximam. Et ad fundamentum contrarium respondemus retorquendo, nam si sola mutabilitas radicalis esset objectum Philosophiæ, Physica non ageret de accidentibus, nec de

mutat onibus accidétalibus ad quãtit tem, qualit tem, & ubi. Directè respondetur, quòd licèt formale objectum sit formalis, & proxima mutabilitas, quæ est per accidentia; at hæc dicatur in substantia, & ideò oportet Philosophiam agere de substantia, & de natura, ut de radicali principio mobilitatis formalis.

Fortiùs contra nos argueres dicendo quòd *Corpus mobile*, si mobilitas intelligitur de formali, & proxima, duo dicit, nempe substantiam corpoream, & accidens, quo proximè redditur mobilis : sed complexum ex subs nti , & accidente, non est un m per se, ut desideratur ad objectum scient ę : ergo ly *mobile* nequit intelligi de mobilitate formali, sed de radicali. Respondetur tale c mplexum no esse un m per se in ' ita ivo, b è am n in esse scibilis. Sic objectum Metaphysicæ est ens, ut ens sub quo continentur substantia, & accidens, nec ideò Metaphysica caret specifica unitate per se tali. Quia licèt non sumat illam ab objecto in esse entitativo, nam sic est analogum ; illam desumit ab ente in esse scibilis, nam sic est unum unitate per se tali.

QVÆSTIO SECVNDA PROEMIALIS.

QVID SIT PRIMVM COGNITVM AB INTELLECTV NOSTRO.

§. Vnicus.

DECIDITVR BREVITER QVÆSTIO EX PRINCIPIIS ÆGIDIANIS.

CVM scire sit conclusionem resolvere in sua principia, & prima elementa, oportet videre quid sit primò cognitum ab intellectu nostro,

ſtro, u ib' ſiſtat ſcientifi a reſolutio concluſi nis demonſtratę. Ob id Ariſtoteles in ſuitio Philoſoph æ, ſ ęrit de primo cogn' o , & ab inter retibu , b' diſputatur. Ceterùm a' alijs pręſertim RR. prętermittitur , tum quia nil ſpeciale eſt proPhiloſophia, quod non conveniat alijs ſcientijs; omnes enim ſuas concluſiones reſolvunt in ſua princ p a:tum quia cùm quæſtio hæc ſit de ordine cognoſcẽdi, an incipiendum à ſingularibus, an ab un' verſalibus ; & inter verſalia, an ab univerſal oribus ; in libris de Anima decidenda reſervatur. Nos autem quid teneamus de ente noſtrorum DD. inſinuabimus breviter; aliorum autem ſententias expendere, & noſtram prolixiùs confirmare ſperamus Deo auſpice in 3. lib. de Anima.

Cùm à notioribus ad ignota procedat intellectus humanus , illud erit nobis primò cognitum , quod nobis ſit magis notum. Hinc quærere quid primò cognitum ſit, eſt quærere quid nobis notius eſt. Si autem ſic quæreretur , deciſio facilis eſſet, nam via ſenſus ſingularia ſunt magis nota ; ſed intellectui univerſalia notiora ſunt , quoniam univerſalia cognoſcuntur directè, ſingularia autem reflexè ut 3. de Anima latè probabimus. At notiora ſunt nobis, quę directè cognoſcuntur, quàm quæ reflexè ; imò cùm cognitio directa ſit prior quàm reflexa ; objectum cognitionis directę eſt prius cognitum: ergo ſic explicato dubio , primum cognitum à noſtro intellectu eſt univerſale.

At dubium non explicatur ſic; ſed independenter à majori, vel minore notione, quæritur à quo incipiat cognitio noſtra, an à ſingularibus, an ab univerſalibus? Defendunt incipere à ſingularibus ex antiquis Durandus, Ochamus , & Conimbricenſes. Ex noſtris Gregorius Arim. in 1. Sent. diſt. 3. q. 3. art. 2. Saxonia hic q. 5. Luſitanus 3. de Anima cap. 8. q. 5. art. 4. ex quibus nemo enucleatiùs ſententiam iſtam pro ugnavit, quàm Arimenſis noſter. Contraria tamen ſen.e..tia eſt D. Thomæ 1. p. q. 85. art. 3. & alibi ſępè locis datis à Thomiſtis , concorditer defendentibus noſtram cognitionem incipere ab univerſalibus. Eandem do et N.B Ægidius 3. de Anima tex. 10. & 39. & 7. Metaphyſicæ q. 7. quem ſequuntur noſtri DD. Gerardus, Venetus, Toletanus , Veracruicus, & alij apud N. Villan. hic.

2. Videtur ſententia iſta expreſſa in P. N. Auguſt. lib. 10. de Trin, cap. 5. ubi dicit: *Quia nima non poteſt ſecum introrſum tanquam in regionem incorporeæ naturæ ipſa corpora inferre, imagines eorum convolvit, & rapit factas in ſemetipſa de ſemetipſa.* En modus quo anima noſtra cognoſcit corporalia , nempe per ſpecies corporalium repræſentativas à rebus acceptas, & formatas intra animam : ſed ſpecies illæ intra animam denudantur à conditionibus materialibus, quarum una eſt ſingularitas : ergo anima incipit intelligere per ſpecies repræſentantes objectum ſine ſingularitate: ſed ſpecies

ſic

sic repræsẽtãs, repręsẽtat naturã universalẽ: ergo incipit anima cognoscere ab universalibus. De hoc plura habes lib. 2. Log. q. 2. & varijs locis ejusdem Logicæ incidenter, & ex professo discutietur lib. 3. de Anima.

Hæc ratio traditur à N.B. Ægidio 3. de Anima tex. 10. Ex eodem formatur sic. Agens agit juxta exigentiam formæ suæ: sed forma qua intellectus intelligit, est species impressa, abstracta ab *hic*, & *nunc*, & à singularitate objecti: ergo intellectus noster primo intelligit universalia. A contrario, sensus omnis percipit objectum per speciem non abstractam à materia, sed concretam: ergo sensus primò percipit singularia. Hinc est, quòd licèt cognitio nostra incipiat à sensu, quia per sensus recipimus species objectorum, quæ cognoscimus; at non procedit cognitio, sicut sensus, sed vice versa: hoc nascitur ex diversis formis, quibus agunt. Sensus est materialis, agẽs per speciem materialem, & singularem: ergo incipit sensationem à singularibus. Intellectus est spiritualis, agens per speciem spiritualizatã, hoc est denudatam à singularitate objecti, quæ est conditio materialis: ergo incipit cognitionem ab universalibus.

3. At quoniam inter universalia dantur superiora, & inferiora, ut patet ex arbore Porphiriana, ubi primò ponitur *substantia*, deinde fit decensus usque ad speciem infimam, nempe *Homo*; quæritur, an primò cognitum sit species infima? Affirmat Scotus in 1. Sent. dist. 3. quem (teste Mastrio) sequũtur omnes Scotistæ. Negat S. Thomas 1. p. q. 85. art. 3. quem sequuntur omnes Thomistæ communiter, & novissimè Magist. Froylan. prolixè disputans contra Scotistas in Philosophia quæst. 1. Proem. Eandem sententiam docet N.F. Ægidius in Philosophia text. 3. ubi de mente Philosophi ait: *Vult ergo Philosophus quòd primò cognoscimus universalia, quàm singularia, ideſt genera, & communia, quàm species.* En sententia ista est Philosophi, D. Thomæ. & B. Ægidij.

Videtur etiam mens M.P. Augustini in libris de Gen. ad litt. ubi dies geneseos, quibus Moyses distribuit opera creationis, exponit M.P.N. de cognitionibus Angelorum; ita ut licèt omnia simul creata sint ab eo, qui vivit in æternum; attamen non simul cognita sunt ab Angelo, sed per partes; & duplici cognitione, *Matutina*, nempe creaturarum in verbo, quod est earum mane, & origo lucis; & *Vespertina*, nempe creaturarum in seipsis, ubi est earum Vesperè, nempe occasus lucis. Et ex hoc *Vesperè*, & *Manè*, ideſt ex duplici illa cognitione, fit dies angelicus: & sexcies repetitur, quia toties facta est divisio objectorum cognoscibilium in intellectu Angelico, ut posset cognoscere res omnes universi. Si autem quæras à M.P.N. à quo incepit Angelus cognoscere? Respõdet quòd à cognitione confusa omnium in generali, & ideò sic in generali incipit narratio Geneseos: *In principio creavit*

creavit Deus cœlum, & terram. Descendendo posteà ad cognoscenda objecta in particulari, prior fuit cognitio vespertina, quàm matutina, & ideò dicitur : *Factum est vesperè, & manè, dies unus*, qui incepit à vespere : at cognitio vespertina est imperfectior, & matutina perfectior : ergo Angelus incepit cognoscere ab objecto confuso, & à cognitione imperfecta, ut deveniret ad perfectam.

En argumentum. Quoniam Angelus non est purissimus actus, sed mixtus potentialitate in essendo, & intelligendo, ideò intellexit res universi procedendo de potētia ad actū, & de cognitione imperfecta ad perfectam : at intellectus noster est potentialior angelico ; imò est infimus in genere intellectivo : ergo incipit à cognitione imperfectissima, qualis est illa, quæ solùm attingit universaliora ; ut veniat ad cognitionem perfectissimam; qualis est cognitio speciei infimæ. Omnia constant, si notes quòd cognitio eò est perfectior, quò attingit plures differentias objecti, & talis est cognitio speciei infimæ, nam cognoscens infimam differentiam, reliquas plenè attingit. Patet etiam in visionibus ocularibus nam qui videt à longe Petrum ambulantem, ex motu colligit quòd sit animal, non tamen oculis percipit an sit rationale, vel irrationale. Ceterùm qui propè videt Petrum, videt esse animal rationale, & talem hominem ; unde perfectiùs videt, quia plures differentias attingit : sic accidit in intellectu, qui est oculus animæ. Nec in hoc dissentit Scotus, qui contendit intellectum debere incipere à perfectiori cognitione, quàm potest : quare ratio ista Augustiniana directè procedit contra Scotistas.

Hæc ratio traditur à D. Thoma, & B. Ægidio locis laudatis, & formatur sic. Sicut materia prima est pura potentia in genere entis; ita intellectus noster est pura potentia in genere intelligibili : sed materia priùs recipit formam embryonis imperfectam, quàm perfectam viventis; rursus priùs recipit formas imperfectas mentorum, quàm perfectas mixtorum : ergo intellectus priùs recipit species impressas objectorum secundùm rationem universaliorem, & imperfectam, quàm secundùm conceptum specificum, & perfectum. Observa quòd intellectus noster dicitur pura potentia, quia nascitur sine ulla actualitate specierum, quas labore, & studio acquirit per sensus. Angelus autem habet species concreatas, unde nequit dici sic pura potentia. Ceterùm adhuc est suo modo potentialis in cognoscendo, quia variat cognitiones, & procedit proficiendo de imperfecta ad perfectam, ut dictum est ex P. N. Augustino.

4. Restat adhuc inter universaliora prædicata dubium de primo cognito. Nam Soto, & aliqui dicunt illud esse ens ut commune enti spirituali, & materiali. Godoy citatus à Froylano, esse ens connotans materialitatem. Froylanus dicit esse ens formaliter materiale. Hæc ulti-

ma

ma sententia est expressior in D. Thoma, ut ostendit prælaudatus Mag. eam que ut Ægidianam defendit Villanova, allegans nostros Toletanum, & alios. Habetur in B. Ægidio hìc dub. 6. Prologi, & 7. Metaphysicæ quæst. 1.

Suadetur, nam in cognitione communium primum cognitum est hoc principium universale omni enti *Quodlibet sit, vel non est* : ergo in cognitione simplicium primò incipimus ab ente universalissimo. Rursus voluntas in pueris primò incipit appetere bonum in communi, ut convenies naturæ, posteà appetit bonũ sub ratione particulari honesti, utilis, vel delectabilis : ergo intellectus in pueris, & incipientibus, primò cognoscit ens, & verum in communi, descendens postea ad cognitionem veri in particulari. Et confirmatur ex dictis, nam si procedendum est ab imperfecto ad perfectum, incipiendum est ab universalissimo conceptu entis, qui est ceteris imperfectior. Observa cum Villanova hũc conceptum de ente esse imperfectissimum, quia est merè apprehensivus: si enim foret scientificus, non esset imperfectus, sed perfectissimus, ut patet in Metaphysica, quæ est scientia omnium perfectior, licèt tractet de ente ut sic; ideò quia attingit ens scientificè per altissimas causas.

Iam verò quòd hoc ens universalissimum non sit spirituale, nec commune spirituali, & materiali, probatur, quia nihil potest, dum vivimus, cognosci à nobis, nisi per speciem acceptam à sensibus : sed spiritualia non possunt dare speciem sensibus nostris; cùm non possint videri, audiri, tangi &c. nisi sola materialia : ergo solùm ens materiale potest à nobis primò cognosci. Ob id non cognoscimus pro hoc statu Deũ, Angelos, & animam nostram; & si quem conceptum inadæquatum de ipsis formamus, est ad instar rerum materialium quas cognoscimus; v. g. concipimus Angelum ad instar juvenis alati pulcherrimi. Sed ut sic cognoscamus, debemus priùs noscere res materiales ad quarum similitudinem noscimus spiritualia : ergo primum cognitum à nostro intellectu est ens formaliter materiale. Et hæc sufficiant pro nunc insinuasse : discutientur enucleatiùs (Deo favente) in libris de Anima. Interim consule nostrum Villanovam, & Froylanum.

LIBER PRIMUS PHYSICORUM.

HIC Liber, qui primus dicitur in octo Physicorum, tractat de principijs intrinsecis entis, aut corporis mobilis. Ea juxta Aristotelem tria sunt, empe materia, forma, & privatio : sed juxta P. N. Augustinum totidem sunt, solo discrimine, quòd loc privati is p nitur ratio seminalis. Vtriusque sententiam distinctiùs propo am, ut appare t n Aristotelica ceuere debeat Augustiniane. Plura co gerit hoc

libro Philoſophus, ut aliorum Philoſophorum opiniones explodat, & ſua principia exponat in particulari. Nos autem breviter antiquatas opiniones referemus, & refellemus, & quidquid de principijs illis ſigillatim diſcutitur, RR. more diſputabimus. Pro quo ſit.

QVÆSTIO PRIMA.

QVOT SVNT PRINCIPIA ENTIS NATVRALIS IN FIERI?

§. I.

QVIBVSDAM NOTATIS, REFERVNTVR, ET REFELLVNTVR OPINIONES *antiquorum Philoſophorum.*

NON ſumitur hic ens naturale, ut contradiſtinctum à ſupernaturali; quia hoc modo Angeli ſunt ens naturale, & de Angelis non eſt ſermo hic. Sumitur prout eſt idem ac corpus materiale, & compoſitum corporeum tranſmutabile motu phyſico, ut quæſt. 1. Proemiali dictũ eſt. Hujus entis quærimus principia intrinſeca; pro cujus deciſione ſciendũ eſt primò quid principiũ ſit.

Principium in latiſſima acceptione eſt illud *ex quo aliquid fit, eſt, aut cognoſcitur.* Sic omnis cauſa comprehenditur nomine principij, quia ex cauſa procedit effectus, & fit. Comprehenduntur conſtitutiva intrinſeca rei, quia ex eis res eſt compoſita. Ac tandem comprehenduntur propoſitiones per ſe notæ, quæ ſunt prima principia unde, & ex quibus ſcientificè cognoſcitur res. Hinc principium eſt triplex, nempe in eſſendo, in cognoſcendo, & in cauſando; & hæc triplex ratio principij comprehenditur diffinitione data.

Obſerva diſcrimen inter principium, cauſam, & elementum. Principium eſt illud à quo aliquid procedit: cauſa eſt id à quo procedit aliquid cum dependentia à principio. Hinc in Divinis Pater dicitur principium Filij, ſed non cauſa; quia licèt Filius procedat à Patre, ab illo non dependet; quare procedit ut à principio, non autem, ut à cauſa, quia procedit ſine dependentia. Elementum eſt principium intrinſecum, & conſtitutivum rei principiatæ. Hinc patet quòd principium latiùs tendit quàm cauſa, nam omnis cauſa principium eſt, non tamen omne principiũ eſt cauſa, ut de Divinis dictũ eſt. Rurſus cauſa latiùs patet quã elementũ, nã cauſa efficiens, finalis, & quæcumque extrinſeca, cauſa eſt, non elemẽtũ; at omne elemẽtũ cauſa eſt, licèt intrinſeca, & conſtitutiva.

In hoc libro non eſt ſermo de principijs extrinſecis; de his agitur lib.

lib. 2. ubi disputatur de causis. Vnicè discutiuntur hic principia intrinseca, & elementaria, quæ à Philosopho cum interpretibus diffiniuntur sic. Sunt *Quæ nec ex se, nec ex alijs, sed ex ipsis omnia fiunt.* Ly *nec ex se* denotat quòd principia entis non debent mutuò principiare seipsa. Ob id excluduntur à ratione principij elementa aquæ, aeris, & ignis, quæ sunt in mixto, quoniam sæpè fiunt ex se invicem, cùm ex aqua fit aer, ex aere ignis &c. Ly *nec ex alijs,* denotat quòd prima principia non debent ex alijs prioribus principiari, alioquin non essent prima principia. Ob id excluduntur cœli, quia licèt unum non fiat ex alio; omnes tamen fiunt ex alijs, nempe ex materia, & forma cœlesti. Ly *ex ipsis omnia fiunt*, constituit posìtivè rationem principij, & excludit Angelos, qui licèt ex se, aut ex alijs non fiant; at ex Anglis nihil fit, & ideò non sunt principium intrinsecum.

2. Contra hanc diffinitionem sunt quędam parvi momenti. Argues sic. Hæc diffinitio prineipij convenit Deo, qui nec ab alio principiatur, nec est aliquid quod à Deo non principietur: sed Deus non est principium intrinsecum entis naturalis: ergo perperam datur diffinitio principij. 2. forma materialis est principium entis naturalis: & tamen forma fit ex materia, cùm ex illa educatur: ergo non verificatur ly *nec ex se*, positum in diffinitione. 3. forma fit ex privatione, quia unumquodque fit ex non tali: sed privatio est principium: ergo unum principium fit ex alio. 4. Materia componitur ex partibus integralibus, & ex genere, & differentia: ergo jam materia, quę est principium, fit ex alijs. 5. Falsum est quòd ex principijs aquę omnia fiant; nam ex materia & forma aquæ solùm fit aqua: sed materia & forma aquę sunt principia entis: ergo falsò dicitur de principijs entis, quòd *ex ipsis omnia fiunt.*

Hæc levia sunt. Ad 1. dicitur, quòd Deus est principium *à quo* omnia fiunt; non tamen *ex quo* fiunt quæ fiunt. Vnde diffinitio principij non convenit Deo, sed diffinitio causæ efficiętis, quę est *A qua sequitur effectus.* Et licèt Apost. 8. cap. 1. ad Corinth. dicat de Deo *Ex quo omnia.* Et Ioannes cap. 8. dicat *Qui ex Deo est &c.*: at ly *ex* sumitur latè, ut est idem ac *ab.* Ad 2. dic, quòd forma propriè non fit, nam fieri est proprium composito, & forma compositum non est. Vel dic, quòd forma fit ex materia, & ex privatione, non tanquã ex parte intrinsecè componente: forma enim non componitur ex materia, & forma; qualiter componitur compositum: sed fit ex materia, ut ex subjecto ex quo, & in quo educitur; & ex privatione ut ex termino *à quo* mutationis. Hoc non est contra rationem principij. Hinc patet ad 3. Ad 4. dic, quòd ut principium sit tale, sufficit quòd non principietur ab alio in eo genere, quo est principium. Materia est principium physicum; unde non inconvenit

venit quòd Metaphysicè componatur ex genere, & differentia, & quantitativè ex partibus integralibus. Ad ultimum dic, quòd ly *omnia fiunt &c.* debet intelligi cum distributione accomoda, & non copulativè, ita ut ex his principijs hæc fiant, & ex alijs alia: & sic omnia fiant ex principijs in commun distributivè.

3. Antequam mentem Aristotelis circa principia entis exponamus, breviter aliorum Philosophorum opiniones, & errores proponemus. Parens Augustinus lib. 8. de Civ. Dei cap. 2. & Epist. 56. ad Dioscorũ, (ordine Paris. 118.) enarrat antiquorum Sapientum errores in statuendis naturę corporeæ principijs. In primis Anaxagoras antiquior in sua Panspernia docuit nullas esse generationes, & corruptiones, sed solas mutationes locales. Hoc suadebat ex his principijs, nempe *ex nihilo nihil fit. Et nihil redigitur in nihilum*: ergo dum aliquid de novo generatur, non generatur, ut videtur, quia alioquin antea fuisset nihil, & factum esset ex nihilo. Rursus dum videtur corrumpi, revera remanet, alioquin abiret in nihilum, quod implicat. Ergo revera nihil denuò generatur, aut corrumpitur, licèt appareat corrumpi, & generari.

Vt autem explicaret mutabilitatem rerum universi, quam videmus, dum ex plantis oriuntur fructus, ex fructibus corruptis vermes, ex vermibus cineres, & terra, ex terra iterùm fructus, herbæ &c. dicebat dari infinitum chaos plenum minutissimis corpusculis, & ideò nobis invisibilibus. Hæc corpuscula sunt in continuo motu, nam moventur à mente Divina: & quando plura corpuscula uniuntur, apparet uva, vinũ, & alij fructus; dum tamen corpuscula separantur, disparent, & videntur fructus corrumpi. Sed revera nil corrumpitur, aut denuò generatur, nam in mundo nil est nisi illa corpuscula, quæ licèt localiter mutata conjungantur, aut separentur, semper eadem manent. Hic posuit formas latitare in materia, & nullam de novo generari, sed per congregationẽ, vel segregationem corpusculorum, tegi, aut detegi quod in materia latitabat.

Huic errori manum dedit auxiliatricem delirium Democriti docentis omnia componi ex atomis: unde generatio quęlibet nil erat, nisi nova atomorum conjunctio. Contendit Gayardi noster lib. 1. Physicorum q. 1. non Democritum, sed Moscum Phœnicium ante bellum Trojanum fuisse primum atomorum inventorem, inde ad Leucippum, & Democritum atomos pertransisse, velutí ad successores ejusdem scholæ. Referuntur Anaxagoras, & Protagoras sensisse cœlum esse magnum animal, cujus respiratione emittuntur atomi in terras, ex quibus formantur omnia corpora terrestria. Has atomos non ponebant homogeneas, sed etherogeneas, & diversæ rationis; nã quædam sunt quadratæ, quædam rotundę, aliæ molles, aliæ asperæ, aliæ graves, aliæ leves &c. ut sic diversę;

possent

possent diversos effectus in universo componere.

Meminit M. P. N. Augustinus Epist. laudata hujus erroris, & ponit dogmata inde manantia, ab eisdem assertoribus propugnata, quæ quinque sunt. 1. Ignotum esse an sit Deus, & quid sit. Quare aliqui Deum negantes invexerunt Atheismum: alij aerem, alij aquam, alij ignem Deũ esse asserebant. 2. Hanc mundi molem esse à seipsa: & aliqui admittebant infinitos mundos in *Infinito inani*, hoc est in vacuo infinito. Ceterùm moderniores Philosophi admiserunt unicum mundum, asserentes atomos graves ferri in medium, leves sursum, & ex eis omnia componi. 3. Mundum moveri à seipso propter atomos igneas, & sales alchalicos, dantes vitam viventibus. 4. Animam rationalem componi ex atomis igneis, & mortalem esse. 5. Nõ dari generationem, & corruptionem rerum, sed sólùm motum localem atomorum, dum congregantur, vel segregantur.

4. Hunc rancidum errorem, planè antiquatum, denuò exantiquarunt Recentiores atomistę Cartesius, & Gassendus, qui præcedenti sæculo veterem sententiam innovantes, huic mundo iam inveterato tradiderunt sub specimine novæ Philosophiæ. Hi docent omnia componi ex atomis, omnesque formas substantiales præter animam rationalem, quæ spiritualis, ut diffinitur in Concilio Viennensi V. unde ex atomis, quę corpuscula sunt, non componitur. Alij excipiun etiam animam sensitivam brutorum propter expressos textus P. N. Augustini. Fatentur Deum creasse mundum in tempore, & omnia alia, quæ docet fides, salvare contendunt ut atomos suas cum doctrina Catholica concordent. Ceterùm de Aristotele nil curant, nec de materia prima Aristotelica, quam putant merum commentum.

Pro tot mirabilibus & paradoxis assertis, fundamentum totum desumitur à RR. ex operibus Chimicorum, & Spargiricorum. Nam unũquodque resolvitur in principia, ex quibus componitur: sed à Chimicis, & Spargiricis omnia metalla resolvuntur in sales, aquam, & alios humores, quæ non sunt nisi atomi indivisibiles diversæ rationis: ergo omnia corpora componũtur ex atomis. Respondet benè N. Gavardi inutilem esse recursum ad Chimicos artifices, cum rusticus domi suæ videre possit ignem comburentem reducere ligna in cineres, in humorem, & fumum: inde non colligitur hæc esse principia lignorum, sed quòd per ignem corrumpitur lignũ, & denuò aliud compositum generatur, quod visibile est, ut patet in cineribus: nec possent cineres videri sine colore; nec color esse nisi in re quanta; nec quantitas ullibi est, nisi in substantia corporea, & composito ex materia, & forma. Vbi ergo nunc atomi?

5. Hæc sententia atomistarum non congruit Catholicę fidei.

dei. Primò: Quia negans novas generationes plantarum, animalium &c. contradicit sacræ Scripturæ Genes. 1. dicenti: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructus juxta genus suum &c.* Et iterùm *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram &c.* Et iterum: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ &c.* Atqui atomistæ concedentes solùm motum localem atomorum, quo atomi congregantur, & segregantur, negant motum generationis, & alterationis, & sic negant proprias, & novas rerum generationes; imò aliqui negant animalia vivere, unde dicunt bestias esse sintomata quædam, quę moventur, ut rotę horologij, nec motus ille vitalis est; unde non salvant, ut par est, sensum Scripturæ, asserentis bestias viventes: ergo sententia atomistarũ contradicit sacræ Scripturæ.

Rursus Ioannis 5. dicit Christus Dominus *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Sed juxta atomistas non potest nunc Deus dici operans, sed ordinans operata; nam nil denuò producit, sed atomos ab initio productas, nunc ordinat conjungendo, & segregando, ut varij effectus prodeant in lucem, qui latebant, & alij disp re^nt: ergo idem. Præterea: Sicut in Concilio Vien. diffinitũ est animam rationalem esse purè spiritualem; ita in Concilio Constantiensi, & Trident. diffinitum est contra Vuicleph accidentia panis, & vini manere in Eucharistia, destructa substantia: at sententia atomistarum negat accidentia distingui à substantia: ergo non est conformis doctrinæ Catholicæ.

M.P.N. August. Epist. 56. laudata, docet sententiam atomistarum fuisse penitùs rejectam ab Apostolo Paulo; unde *nec ipsas atomos esse ullo modo concedendum est.* Et lib. 12. Confessionum cap. 3. & 6. dicit: Deum docuisse ipsum sententiam asserentem omnia componi ex materia, & forma. Vnde benè colligit Gavardi noster, quantum pudere debeant, qui in rebus philosophicis parum instructi, materiæ nomen irrident, suorum atomorum volitantium sequẽtes vanitatem. Si rationes impugnates atomos desideres, vide N. Gavardi 1. Physic. q. 1. art. 2. §. 1. & Nicolaum à S. Joann. Baptista in sua Philosophia Augustiniana tom. 3. q. 2.

6. Parmenides, & Melissus Græci, admiserunt unum tantùm principium rerum omnium, & hoc dixerunt esse simpliciter immobile, & omnes res naturales non esse nisi hoc principium. Ita ex eis refert Aristot. 1. Physic. à textu 6. ubi impugnat hunc errorem. 1. quia nihil potest esse principium sui ipsius: ergo principium illud nequit esse res naturalis principiata. Rursus. Principium non est tale, nisi existat; nec quid principiare, nisi quando non existit: sed nihil potest simul existere, & non existere: ergo nihil potest esse principium sui. Rursus res omnes mutantur, & moventur de non

esse

esse ad esse, de loco in locum &c. sed per principium immobile nequeunt moveri: ergo rerum principium non est unicum, & immobile. Rursus repugnat res universi distinctas, esse unum; alioquin non essent distinctæ: ergo principium rerum non est unũ, & indistinctum à rebus. Hæc ratio probat benè de principio intrinseco, non de extrinseco, ut est Deus, qui unus est rerum Creator.

Ob hæc & alia Parmenides mutavit sententiã, ut patet ex Arist. textu 41. & posuit duo principia rerum naturalium, nempe calidum, & frigidum, seu ignem, & terram. Hinc ejusdem successores varia tenuere sententias; nam aliqui unum tantùm principium defendebant, sed mobile, ut Thales aquam, Anaximines aerem Heraclitus ignem: alij modò duo, modò tria, ut Empedocles Siculus, qui primò docuit principia esse duo, nempe concordiam, & discordiam; posteà docebat esse tria, scilicet terram, aquam, & ignem. Et quia non distinguebant principia intrinseca, ex quibus res componitur, à principio extrinsecè causante, à quo procedunt; ideò principium, vel principia extrinseca Deum, vel deos putabant.

Hæc sententia improbatur ab Arist. quoniam principia intrinseca compositi, manent in ipso, & ibi servant suum nomen; patet enim quòd homo compositus ex corpore & anima, verè habet utrumque secundùm suam substantiam, & verè dicitur de homine *corpus*, & *anima*. Sed de composito naturali mixto ex elemẽtis, non benè dicitur, quòd sit aer, terra, aut ignis; quis enim dicat plãtam esse aerem, aut ignem? Dicitur tamen planta *corpus vivens*, *animata &c.* Ergo elementa in mixto, cùm non sint ibi secundùm substantiam, sed secundùm qualitates suas, non sunt principia intrinseca rerum naturalium. Rursus dato, quòd elemẽta essent formaliter in planta, non forent principia ejus; nam principiũ debet esse non principiatũ; & quodcumque elementum principiatum est; quia constat ex materia & forma elementali. Quòd autem principia entis non sint Deus, vel dij, pate ex dicendis 7. & 8. Physicorũ, ubi ostenditur Deum esse motorem immobilem: sed principia entis sunt mobilia, quia jam sunt in hoc, jam in alio composito, cùm per generationem, & corruptionem detur continua mutabilitas corruptibilium, ut sensibus ipsis apparet: ergo principia intrinseca Deus non sunt.

7. Pythagoras, à quo omnes Pythagorici, posuit numeros esse principium rerum naturalium. Videbat enim quamlibet creaturam esse sicut numerum, qui secundùm diversas proportiones harmoniam maxiam efformat. Et cùm numeri procedant usque ad decem, nam ultrà progredi, est repetere denarium; ideò dixit decem esse principia rerum bonorum concordantium: & decem rerum malarum principia, sed discordantia. Quare numeros, concordiam, & discordiam posuit pro principijs rerũ naturaliũ.

Hæc ſententia improbatur, quoniam principia enumerat, dicẽs quot ſint, ſed ea non deſignat, nec dicit quæ ſint. Rurſus licèt res omnis metaphyſicè ſumpta, ſit ſicut numerus, quia eſſentiæ rerum metaphyſicè ſunt invariabiles; at phyſicè ſumptæ res omnes variabiles ſunt: ergo earum principia phyſica ſunt variabilia, nec benè explicantur per numeros invariabiles. Rurſus numerus omnis eſt principiatus, quia omnis habet unitatem, quæ eſt principium numeri: ergo cùm principiatum nequeat eſſe principium, numerus nequit eſſe principium rerum naturalium.

§. II.

Sententia communis ad mentem Ariſtotelis explicatur.

8. COMMVNIS ſententia docet duo eſſe principia entis in facto eſſe, nempe materiam, & formam: tria verò entis in fieri, nempe materiam, formam, & privationem. Ita Ariſt. hìc, ubi etiam interpretes D. Thomas, & B. Ægidius; & docetur à SS. PP. nec non à Platone, Cicerone, & alijs, quorum authoritates prolixè allegat Cardinalis Aguirre in 1. lib. Phyſic. Et licèt M. P. Auguſtinus quantum ad privationem diſcrepet ab Ariſtotele, quoniam loco illius ſubſtituit rationes ſeminales, ut dicemus quæſtione ſequenti; at Ariſtotelica ſententia ab ipſo ſatis commendatur lib. 2. de Ordine cap. 16. ubi tria hæc principia enumerat *Informem materiam, formatum, nihil*, per nihil intelligit privationem. Et lib. 1. de Geneſi ad litt. cap. 14. ait: *Omne mutabile ex aliqua informitate mutatur ad formam.* Eh tria, nempe ſubjectum mutabile, & hoc eſt materia: ex *informitate*, & hoc eſt privatio formæ, quæ eſt terminus à quo, vel ex quo mutationis: *ad formam*, en forma, quæ eſt terminus ad quẽ.

Vt mentem Ariſtotelis capias, obſerva quòd ens naturale dupliciter ſumi poteſt, nempe in fieri, & in facto eſſe. Ens *in facto eſſe* eſt ens jam productum. Ens *in fieri* eſt via ad actu produci, & durat quantum durat productio ipſa. Explicatur in motu locali. Qui movetur de loco ad locum, tranſit de loco derelicto ad locum denuò acquirendum. Tranſitus ille eſt via ad terminum, & eſt fieri motus localis, qui includit hæc tria; nempe *corpus* quod movetur; locum derelictum, à quo movetur, & eſt terminus *à quo*; & locũ denuò acquiſitũ, qui eſt terminus ad *quẽ*. Hoc modo in generatione entis naturalis tranſit materia de non eſſe formæ ad eſſe formę, ideſt de privatione ad formam: unde dantur tria, nempe *materia*, quæ eſt ſubjectum tranſiens, *privatio*, quę eſt terminus *à quo* mutationis, & *forma*, quę eſt terminus ad *quem*. Cum hoc diſcrimine quòd motus localis eſt ſucceſsivus, & fit in tempore: motus, vel mutatio materiæ eſt inſtantanea, & fit in inſtanti. Ceterùm ſicut fieri motus durat uſque ad adventum termini, & adve-

niente

ente termino jam non est motus in fieri, sed in facto esse. Ita fieri entis datur usque dum adest forma; & ea stante cessat fieri entis, & datur ens in facto esse.

Observa etiam quòd generatio aliquando est mutatio, aliquando conversio; aliquando pura eductio. Harum diffinitiones communiter traduntur sic. Eductio est *fieri rei ex præsupposito subjecto*; ad differentiam creationis quæ nullum præsupponit subjectum, & ideò diffinitur *Fieri rei ex nihilo*. Mutatio est *transitus subjecti de non esse ad esse*. Conversio est *transitus subjecti de uno esse ad aliud esse*. Quibus adde corruptionem, quę est *transitus subjecti de esse ad non esse*. Hæc plenè intelliges ex dicendis, & rudi Minerva in unica generatione habes omnium exemplum. Dum ex pane generatur vermis, datur *eductio*; quia agentia naturalia generant formam vermis ex subjecto præsupposito, nempe ex materia panis. Quia tamen in Eucharistia non est materia panis; ideò dum ex speciebus generatur vermis; Deus creat materiam ex nihilo; & ex materia sic creata educitur vermis. Datur *mutatio*, quia materia panis trāsit de non esse vermis ad esse vermis. Datur *conversio*, quia materia transit de esse panis ad esse vermis. Datur tandem corruptio, quatenus materia transit de esse panis ad non esse panis.

9. His notatis, prima conclusio de mente Aristotelis est, quòd principia entis in fieri, prout fieri est mutatio, sunt antùm tria, nempe materia, forma, & privatio. Probatur. Quia illa sunt principia entis in fieri, prout fieri est mutatio, quæ essentialiter requiruntur ad utationem: sed ad mutationem requiruntur essentialiter tria, nempe privatio, ut terminus *à quo*; forma ut terminus *ad quem*, & materia; ut subjectum transiens de termino *à quo* ad terminum *ad quem*: ergo hæc tria sunt principia intrinseca entis in fieri. Major cum consequentia tenet, & minor probatur ex diffinitione mutationis, quæ est *transitus subjecti de non esse ad esse*: sed in hoc transitu *non esse* est privati, *esse* est forma, & subjectum transiens materia: ergo.

Hinc inferes contra aliquos, qui vel negāt privationem esse principium, vel ponunt loco ejus formam corruptam, vel eis addūt causam efficientem, on benè explicare mentem Aristotelis. Nam causa efficiens est principium extrinsecum; & hìc est sermo de intrinsecis; quare efficiens computari non debet. Forma corrupta erit principium vel corruptionis, vel conversionis, quia in diffinitione utriusque intrat forma corrupta, ut dictum est num. 8. At hìc non est sermo de generatione, ut hæc et ejus adjunctam corruptionem, vel conversionem, sed de generatione, ut mutatio est: ergo cùm in diffinitione mutationis, non intret forma corrupta, hæc non erit principium entis in fieri, prout fieri est mutatio. Privatio tandem in diffinitione mutationis importatur: ergo negare illam esse prin-

principium est succumbere difficultatibus, quibus ipsa ut principiū defenditur.

10. Argues 1. ad probandum principia esse plura quàm tria. Ideò hæc tria ponūtur in genera ione formæ cadavericæ, v.g. quia datur transitus de non esse ad esse : sed hæc ratio probat nedum quòd privatio debet esse principium, sed etiā quòd forma viventis præterita est principium : ergo in tali generatione formæ cadavericæ sunt quatuor principia, nempe forma viventis, privatio formæ cadavericæ, materia, & forma cadaverica. Probatur minor. Quando materia transit ad formam cadavericam, nedum transit de privatione talis formę, sed de forma viventis ad formam cadavericā; priùs enim debet esse in materia forma viventis, quàm forma cadaveris : sed quia privatio est terminus, à quo trā sit materia ad formam cadaveris, ideò ponitur, ut principiū illius transitus, & fieri : ergo ob idem debet poni forma viventis, ut terminus *à quo*.

Confirmatur 1. Ideò privatio ponitur ut principium, quia sine illa non potest intelligi transitus de non esse ad esse : sed tiam ne causa efficienti, finali, & exemplari nequit intelligi transitus ille; nam essentialiter pendet ab his causis : ergo istæ causæ addendæ sunt numero principiorum. 2. Ideò forma est principiū entis in fieri, quia est terminus ad quem transit materia de non esse. sed etiam totum compositum est tes minus ad quem generationis substātialis : ergo compositum addendum erit pro quarto principio. 3. Vel sermo est de principijs intrinsecis, vel de extrinsecis. Si de intrinsecis? Ergo privatio non est principium, cùm nequeat esse constitutivum entis id, quod est nihil. Si de extrinsecis? Ergo debent etiam numerari causæ efficiens, finalis, & exemplaris.

11. A' argum. dic, quò quando generatur forma cadaverica adest mutatio, quæ est transitus de non esse talis formæ ad esse formæ; & in hoc non importatur forma viventis; unde non est ejus principiū. Datur etiam corruptio, quatenus materia transit de forma viventis ad non esse formæ viventis; & in hoc transitu importatur forma viventis, & illius principium est. Probat argumentum quòd forma viventis est terminus à quo, & principium generationis, non ut mutatio est, sed ut habet adjunctam corruptionem: nostra autem conclusio est de generatione, ut pura mutatio est, & sic nil contra nos.

Dices. Vt in materia sit privatio formæ cadavericę, debet esse in materia forma viventis; nam sicut sola viventia possunt ori, sola materia habens formam vivētis, est capax formæ cadavericæ; privatio autem est carentia formæ in subjecto capaci. Sed quia privatio requiritur ad mutationem, est principium ejus: ergo quia forma viventis requiritur ut in materia sit privatio, forma viventis erit principium mutationis, ut

mutatio

mutatio est. Respondemus, quòd privatio est principium mutationis, quia requiritur essentialiter ad illam, ut mutatio est. At forma viventis non requiritur ad mutationem, ut mutatio est, nec ex meritis mutationis, cùm non explicetur in ejus diffinitione; sed requiritur alijs titulis, ut sunt, quòd materia nequit existere sine aliqua form: vel quòd cum sola forma viventis potest disponi ad formam cadavericam: unde non est principium mutationis, ut mutatio est. Alij respondent, quòd privatio est principium, quia inclinat materiam in formam cadavericam. Forma autem viventis non potest sic inclinare materiam ad formã cadaveris; alioquin inclinaret in destructionem sui, & hoc est repugnans; unde principium non est illius fieri.

Ad 1. confirmationem nega min. Nam si per impossibile daretur transitus de non esse ad esse sine causis efficienti, finali, & exemplari, tunc esset mutatio: ergo quia sine illis potest intelligi; unde dependentia illa non est essentialis, sed præsuppositiva. Ad 2. dic, quòd compositum est terminus ad quem principiatus, & ideò nequit esse principium, ut dictum est in diffinitione principij. Forma autem, quæ principiata non est, principium esse potest. Ad 3. plenè constabit ex dicendis §. sequenti.

12. Argues 2. ad probandum esse paucíora principia entis in fieri. Dabilis est generatio substantialis sine privatione: ergo privatio nõ est principium entis in fieri. Probatur antecedens. Possibile est juxta omnes quòd in prima rerum conditione formæ cœlorum non fuerunt creatæ ex nihilo, sed eductę ex materia præsuppositа: sed tunc privatiò formæ cœlorum non præcessit in materia: ergo &c. Probatur minor. In instanti in quo forma adest materiæ, nequit in materia esse privatio formæ, aliàs essent in eodem instanti duo contradictoria, nempe forma, & non esse formę: sed in primo instãti quo materia creata est, fuit in ea forma cœlorum; quia materia pro nullo instanti potest esse sine forma; ergo.

Idem argumentum fit in speciebus Eucharisticis, quando ex eis generatur vermis. Nam tunc Deus vel creat de novo materiam pro verme, vel convertit quantitatem Eucharisticam in materiam, ut ex ea generetur forma vermis: at tunc in materia non præcedit privatio: ergo datur generatio vermis sine privatione. Probatur minor eadem ratione, qua de formis cœlorum ostensa est.

Confirmatur. Sicut generatio fit ex nihilo formæ, ita creatio rei fit ex nihilo rei: sed nihilum creationis non est principium illius: ergo nihilum generationis, vel privatio formæ non erit principium generationis. 2. Privatio est nihil in se: sed quod est nihil, non potest esse principium entis positivi, quod generatur; ergo privatio nequit &c.

Tandem. Non est assignabile instans, in quo privatio principiet

ens

ens in fieri : ergo principium ejus non est. Probatur antecedens. Nam in primis nequit principiare in instanti generationis, quia tunc non existit privatio formæ, sed forma: & nil potest principiare in instanti quo non existit. Deinde nequit principiare in instanti ante generationem; nam tunc non existit generatio, quæ est principiatum : ergo non est assignabile instans &c.

13. Ad argumentum dicunt aliqui, quòd licèt in eodem instanti, quo creata est materia cœlorum, educta sit forma cœlestis ; at materia pro aliquo priori præcessit formam; & in illo priori naturæ fuit privatio formæ ; quare potuit esse principium generationis cœlorum. Idem dicunt de generatione vermis ex speciebus Eucharisticis. Hæc doctrina non est solida: nam vel in illo priori ponit veram privationem formæ, vel fictam. Si fictam? Ergo non est principium entis realis in fieri. Si veram? Ergo in eodem instanti reali ponit in materia esse formæ, & non esse formæ; quod est implicatorium.

Ob hæc alij melius respondent, quòd tunc generatio cœlorum non esset mutatio, sed pura eductio. Foret eductio, quia esset fieri formæ cœlestis ex subjecto præsuppositio, nempe ex materia cœlesti, pro priori naturæ creata. Non esset mutatio, quia cùm non precessisset in materia privatio formæ pro nullo instanti, non transiret materia de non esse formæ ad esse formæ. Nostra conclusio est de fieri entis, quod est mutatio ; unde nil contra nos ex argumento, ubi objicitur fieri, quòd mutatio non est, sed pura eductio. Idem dic ad aliud de speciebus Eucharisticis, nam quãdo ex eis generatur vermis, generatio illa eductio est pura, & non mutatio, ob eandem rationem, qua generatio cœlorum.

Ad primã confirmationem nega consequentiam. Disparitas est, quòd nihilum generationis, cùm non supponat materiam, in qua sit, non habet subjectum, quod inclinet in formam; & sic non est principium. At nihilum generationis est privatio formæ in subjecto, apto ad habendã formam; & cùm privatio sit causa appetitus, materiam inclinat in formam : unde principium est generationis. Ad 2. dic, quòd privatio est nihil in recto, sed quid positivum in obliquo. Diffinitur *carentia formæ in subjecto apto ad habendam illam.* Vnde in recto est carentia, quæ nihil est ; sed in obliquo est aptitudo, & capacitas subjecti ad formam, & hæc est quid positivum. Vt privatio sit principium entis positivi satis est, quòd ratione obliqui sit quid positivum. Et quia tantùm principiat ratione obliqui, ideò dixit Philosophus quòd privatio est principium per accidens. Ad ultimum dic, quòd privatio principiat in instanti generationis, in quo non est. Nec officit, quòd nil potest principiare quando non existit. Non officit, quia id solum tenet de intrinsecè manentibus; privatio autem non principiat manens,

sed

sed per modum termini *à quo* derelicti.

14. Mag. Froylanus aliam solutionem adducit ex D. Thoma, quæ doctrinam continet utilissimã pro incompatibilitate duplicis formæ in eadem materia, & pro oppositione gratiæ cum peccato. Privatio dupliciter considerari potest, primo quoad suum esse, vel quasi esse quod habet in se: secundo quoad suam distinctionem, vel expulsionem. Privatio in instanti generationis non est quoad suũ esse in se; est tamẽ quoad expelli in eo instanti. Nam cùm expellatur per formam; pro instãti quo incipit forma, incipit expulsio privationis; & sic expellitur in instanti generationis formæ. Hinc fit quòd privatio est quoad expelli in instanti generationis; alioquin in eo non expelleretur, cùm nequeat expelli id quod nullo modo est.

Hinc solves hanc molestam replicam. Nam quando in materia inducitur forma cadaveris, expellitur forma viventis: ergo expellitur forma viventis, quæ est pro illo instanti. Patet consequentia. Quia quod non est, nequit expelli. Ergo si forma viventis est in instanti, quo in materia inducitur forma cadaveris, jam in eodem instanti sunt in materia forma viventis, & forma cadaveris. Idem de gratia, quæ dum inducitur, expellit ab anima peccatum: at non expellit peccatum quod non est: ergo expellit peccatum quod est in anima in instanti, quo gratia inducitur: unde jam pro eodem instanti coexistunt gratia, & peccatũ.

Respondetur ex dictis, quòd in instanti, quo inducitur forma cadaveris, est forma viventis quoad expelli, non tamen entitativè in se, nam ita entitativè deficit in instanti antecedenti. Sic dic de gratia nobis donata, quæ in eo instanti expellit peccatum quod est quoad expelli, sed nõ est entitativè in se: unde pro nullo instanti probatur coexistentia utriusque entitativè.

15. Secunda conclusio. Principia entis in facto esse sunt tantùm duo, nempe materia, & forma. Ita Aristot. & omnes DD. communiter. Hæc duo sunt de mente M.P.N. Augustini infrà exponenda. Probatur unica ratione. Illa sunt principia entis in facto esse, quæ manent in composito genito: sed in genito tantùm manent duo, nempe materia, & forma; privatio enim in genito non manet, quia desijt per adventum formę: ergo sola materia, & forma sunt principium entis in facto esse. Confirmatur. Illa sunt principia entis in facto esse, in quæ resolvitur compositũ naturale: sed dum unio partium dissolvitur, fit resolutio in solam materiam, & formam: ergo &c.

Objicies. In composito etiam manet unio materiæ cum forma: ergo erit principium entis in facto esse. 2. Subsistentia manet etiam: ergo etiam erit principium. 3. Manent in mixto quolibet quatuor elementa: at omne compositum sublunare est mixtum ex quatuor elementis: ergo elementa erunt etiam principia entis

entis in facto esse.

Ad 1. dic unionem (dato quòd sit distincta ab extremis unitis) non esse partem dantem esse composito, sed esse nexum partium dantium esse. Vnde principium non est, sed nexus principiorum. Ad 2. dic, quòd subsistentia non est pars compositi substantialis, sed complementū compositi: quare non pertinet ad compositionem substantialem, sed ad integralem, ut dicemus in fine hujus libri: & sic non est principium compositi. Ad 3. dic, elementa non manere in mixto formaliter, sed virtualiter, quatenus in eo sun. qualitates elementorum, nempe frigiditas, calor, siccitas, & humiditas. Istæ qualitates sunt accidentia, & ideò nequeunt esse principia intrinseca entis substantialis. Dato, quòd in mixto manerent formaliter elementa, non essent principium; quia de ratione principij est nō esse principiatum: & quodlibet elementum est principiatum, quia constat ex materia, & forma elementali.

16. Ex dictis colliges, quo sensu Arist. dicit principia entis esse contraria, aliquando negat esse contraria. Quando dicit non esse contraria, loquitur de principijs entis in facto esse, quæ nullo modo contrariantur. Dum dicit esse contraria, loquitur de principijs entis in fieri, nā forma, & privatio contrariantur. Sed observa quòd hæc contrarietas est lata, sumpta pro oppositione; non est stricta, quia substantiæ nil est contrarium; ut cum Arist. dictum est lib. 6. Logicæ dum egimus de substantia. Colliges quo sensu etiam dicat Arist. quòd principia entis sunt duo, aliquando dicit esse tria. Sunt ergo duo pro ente in facto esse, tria pro ente in fieri.

17. Quæres: An materia sit magis principium quàm forma? De hoc dubio N.B. Ægidius hic lect. 14. dubitatione 1. Respondetur quòd forma magis habet rationem principij. Probatur. Illud est magis principium entis, quod magis facit ad esse: sed forma dans composito actualitatem, & speciem, magis facit ad esse, quàm materia dans composito potentialitatem: ergo forma est magis principium. Dicimus 2. Sub alia cōsideratione materia magis est principium, quàm forma. Probatur. Quia illud est magis principium, cui magis convenit diffinitio principij: sed hæc magis convenit materiæ, quàm formæ: ergo materia est magis &c. Probatur minor. Principium diffinitur *Ex quo aliquid fit*: sed hoc magis convenit materiæ, quæ est ens in potentia, quàm formæ, quæ est ens in actu, & privationi, quę est nihilū; non enim res generantur ex nihilo, nec ex ente in actu, sed ex ente in potentia, & hoc est sola materia: ergo &c. Vide hanc doctrinam in N.F. D. B. Ægidio loco laudato.

§. III.

§. III.

Expeditur doctrina Cardinalis Aguirre circa principia entis in fieri.

18. CArdinalis Aguirre in sua Philosophia novantiqua, postquam disp. 2. sect. 1. & 2. explicavit communem Arist. sententiam, sect. 3. intendit ostendere, quo sensu communis sententia falsa sit, & sibi proponit defensandam hanc conclusionem: *Si sermo est de principijs intrinsecè componentibus, nec privatio, nec materia, nec forma, sunt principia entis in fieri.*

Conclusionem probat 1. Quia ens in fieri nil est aliud, quàm fieri entis: sed fieri entis est quædam entitas accidentalis, vialis, & simplex, quæ caret compositione substantiali, qualis est illa, quæ resultat ex materia, & forma: ergo materia form & privatio non sunt pricipia constitutiva entis in fieri. Hæc probatio est in generali: postea probat figillatim sic, & per partes.

Primò de privatione. Nam omne principium intrinsecè constitutivum debet manere pro eo tempore, quo manet constitutum: sed generatio substantialis durat pro unico instanti, cùm sit mutatio instantanea; & pro eo instanti non durat privatio, quia nequit coexistere formæ, quæ incipit existere pro instanti generationis: ergo privatio nequit esse princip um intrinsecè constitutivum &c. Hoc idem latè probat argumento à nobis soluto num. 13. in fine, de instanti in quo privatio principiat.

De materia probat sic. Nullum subjectum est pars intrinsecè componens motum, vel actionem: sed materia est subjectum actionis generativæ, & mutationis substantialis: ergo materia non est principium constitutivum fieri entis naturalis. Majorem probat à paritate motus successivi localis, nam hic non componitur ex subjecto mobili tanquam ex principio intrinseco. Idem dic de motu alterationis. Insuper licèt forma substantialis intrinsecè recipiatur in materia, nō ideò illam intrinsecè componit, quia non est pars ejus, sed solùm est actus illius: ergo licèt fieri, vel generatio substantialis recipiatur in materia, non ideò materia illam intrinsecè componit.

De forma autem latissimè id probat. Et primò, quia nulla actio accidentalis componitur ex termino substantiali: sed fieri entis est actio accidentalis, & forma est terminus substantialis: ergo forma non est principium constitutivum fieri entis naturalis. 2. Omnis actio est prior termino: ergo est constituta intrinsecè ante terminum: ergo forma substantialis, quæ est terminus actionis generativæ, non est principiū constituens fieri entis. Vide apud Cardinalem laudatum alia argumenta, quæ solves doctrina danda pro istis.

19. Hæc doctrina de duplici sensu sententiæ Aristotelicæ,

tradita fuit à Spinula disp. 1. sect. 3. à num. 19. ut observat N. Villanova; eam expressè docet N. B. Ægidius lib. 1. Physic. lect. 17. circa finem, duplici dubio. Primum dubium est de privatione, quæ cùm in se non sit ens, utrum sit principium rei quantum ad esse? Respondet N. B. D. *Duplici via possumus investigare privationem non esse principium rei quantum ad esse.* Vide verba loco citato, quorū summa est, quòd privatio ex se non est ens: & quod non est ens, nequit facere ad esse. Secunda via, quia *licèt privatio maneat in toto motu, non tamen in termino motus, quia adveniente forma, cessat privatio. Non ergo per se facit ad esse rei, quia nil per se est constitutivum alicujus, nisi stet simul cum eo, cujus est constitutivum.* Ecce argumentum Aguirre, quo etiam B. Ægidius probat quòd privatio non est principium entis constitutivum *quantum ad esse.*

Posteà proponit N. B. D. secundum dubium sic: *Ulteriùs fortè dubitaret aliquis, dato quod privatio non per se facit, ut res fit, utrum per se faciat, ut res fiat?* Ecce hic non est quæstio de esse entis in fieri, sed de ipso fieri entis. Respondet quòd privatio licèt non sit per se principium quoad esse entis in fieri ob rationes datas, est tamen per se principium fieri entis. Preme verba, & rationem N. F. D. *Privatio* (ait) *non esse, & defectum importat: motus autem & fieri quia quid defectivum dicunt, non erit inconveniens, si defectus per se erit de ratione defectivi &c.* Hæc B. Ægid. & concludit: *Videtur ergo quòd sit per se principium fieri, licèt per se non possit esse principium ipsius esse.*

Habemus ex N. B. D. verum sensum doctrinæ Arist. circa privationem, quæ per se non est principium entis *quoad esse*, tum quia est non ens & nō ens nequit facere ad esse. Tum quia constitutivū debet manere cum constituto; privatio non manet quando venit esse formæ, quæ erat ratio Cardinalis Aguirre. Sed contra ipsum habemus ex N. B. D. quòd privatio est per se principium *fieri entis.* Ratio est, quia *fieri* est motus quidā, de cujus conceptu est esse defectivum, & citò transiens: sed id quod est defectivum, benè potest constitui per id, quod importat defectum; imò sic debet, cùm defectus constituti debeat venire ex aliquo ex constitutivis: ergo licèt privatio sit non ens, & importet defectum; non obest defectus ille, sed prodest ut constituat fieri entis.

2o. Pro solutione rationum Cardinalis laudati, oportet supponere doctrinam de identitate actionis, & passionis, traditam à nobis li. 6. Logicæ de Prædicam. actionis, & passionis Iuxta quam eadem entitas, quæ, ut ab agente egreditur, est actio, & facere; prout in passo recipitur, est passio, & fieri. Supponenda est etiam sententia, quam defendemus lib. 3. Physic. de eo quòd actio non est entitas, ut modus distinctus à termino, sed quidditas à termino distincta, ut de relatione

dictum

dictum est respectu sui fundamenti loco citato Logicæ nostræ. Hinc actio terminata ad substantiam, est entitativè substantia; actio productiva qualitatis est entitativè qualitas. Addit tamen actio supra entitatem termini actuale exercitium egrediendi ab agente, sicut relatio supra entitatem fundamenti addit exercitium referendi. Quare sicut essentia, & quidditas relationis, consistens in illo exercitio referendi, est quidditas realiter à fundamento distincta: sic essentia actionis consistens in exercitio egrediendi ab agente, quidditas est realiter à termino distincta: no autem entitas, aut modus distinctus à termino. His notatis.

Ad 1. rationem positam num. 18. nego majorem, quia ens in fieri, duo dicit, nempe fieri, & esse, unde plus est, quàm fieri entis. Sed admissa majori nego min. nego quòd fieri entis substantialis sit entitas accidentalis; est enim actio generativa entis, passivè sumpta, quæ solùm quidditativè distinguitur ab ente substantiali: unde entitativè est substantia composita, sicut terminus actionis illius est substātia composita ex materia, & forma. Hoc enim fieri entis habet pro termino ens in fieri, à quo non differt entitativè; aut modaliter: sed ens in fieri non est entitas accidentalis, & simplex, sed substantialis; & composita: ergo etiam fieri entis non est entitas accidentalis, & simplex. Observa quòd ens in fieri, & fieri entis possunt sumi dupliciter, nempe *quoad esse*; & hoc modo privatio solùm per accidens est principium ejus. Et *quoad fieri*, & hoc modo privatio est principium ejus per se.

21. Ad probationem de privatione, constat solutio ex dictis num. 13, in fine, & num. 14. Rursus ex verbis N.B. Ægidij num. 19. nam quòd privatio non maneat in instanti generationis, probat quòd non sit principium constitutivum quantum ad esse, & hoc est doctrina nostra; non autem probat quòd non sit constitutivum quantū ad fieri, quia sic constituit dando defectum mutationi, quæ est quid transiens, & defectivum. Dat istum defectum per modum termini derelicti: quare non requiritur quòd privatio existat in instanti generationis, sed quòd extiterit ante illud, & in eo instanti sit terminus derelictus.

Ad probationem de materia dic, quòd doctrina ibi assumpta, contradicit doctrinæ primæ rationis generalis. Dixerat Aguirre in prima r tione, quòd generatio substantialis est accidens. Nunc agens de materia dicit, quòd materia est subjectum rec ptivum gen rat on s substantialis. Hæc duo non coha rent in principijs Thomistarum, quæ sequitur: nam inde infertur, quòd accidentia recipiuntur in materia prima, & hoc est fal ;m, quia recipiuntur in toto composito.

Directè respondemus, quòd fieri est actio generativa, quę non di-

ſtinguitur entitativè à termino producto ; quare ſicut terminus productus poteſt ſumi adęquatè, & inadęquatè, ſic etiam fieri, vel generatio paſsivè ſumpta. Terminus adęquatus generationis eſt totum compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma unitis. Et cùm compoſitum non recipiatur in materia, ut in ſubjecto, ut patet, ideò terminus adæquatus generationis, & fieri entis adęquatè ſumptum, non recipitur in materia, ut in ſubjecto. Terminus autem inadæquatus generationis eſt forma ſubſtantialis, & cùm forma recipiatur in materia ut in ſubjecto, ſic fieri entis nadæquatè ſumptum, recipitur in materia, ut in ſubjecto. Hinc fit quòd probatio Aguirre ſuadet quòd materia non eſt principiu conſtitutivum fieri entis, inadæquatè ſumpti, quia ejus ſic materia eſt ſubjectum receptivum. Ceterùm cùm materia non ſit ſubjectum receptivum fieri entis adęquatè ſumpti, poteſt eſſe conſtitutivum ejus, & revera ſic eſt ; nec quidquam probatur in contrarium argumento Cardinalis laudati.

Ad probationem de forma nego minorem, ..ego quòd g neratio ſubſtantialis ſit actio accidentalis: hujus rationem dedimus num. 20. Ad 2. probationem obſerva quòd terminus poteſt conſiderari in *fieri*, & in *facto eſſe*. In fieri terminus eſt prior ſeipſo in facto eſſe, quia fieri eſt via ; & via præcedit terminum in eſſe termini. Hinc fit quòd actio, quæ importat *fieri*, & viam ad eſſe, eſt prior termino in eſſe termini, & termino in facto eſſe : ceterùm actio non eſt prior termino in fieri ſumpto ; quia indiſtincta eſt plenè à termino ſic in fieri accepto. Hinc fit quòd ante terminum in eſſe termini, vel in facto eſſe, actio intelligitur conſtituta, quare non conſtituitur per terminum in facto eſſe. Ceterùm conſtituitur per terminum in fieri. Vnde forma ſubſtantialis, quæ terminus eſt generationis, ſumpta in facto eſſe, non conſtituit fieri ſuum ; ceterùm ſumpta in fieri, eſt conſtitutiva ſuæ actionis generativæ ; imò ipſa actio, & fieri formę, nil eſt niſi entitas formæ, ut egrediens à generante.

Obſerva, quòd licèt terminus motus ſucceſsivi forſan non poſsit eſſe conſtitutivus motus : benè tamen terminus generationis ſubſtantialis, quæ motus eſt inſtantaneus. Hæc dixerim pro diſparitate motus, & termini ſucceſsivi, quem nobis objicit Aguirre. At lib. 3. Phyſic. dicemus etiam, quòd motus ſucceſsivus alterationis, terminatus ad qualitatem, nil eſt aliud quàm ipſa qualitas, ut ſucceſsivè egrediens ab agente penes gradus intenſionis. Ceterùm quia hoc nunc oſtendere difficile eſt, nega paritatem motus ſucceſsivi ad generationem inſtantaneam.

✱ (§) ✱ (§) ✱ (§) ✱
✱ (§) ✱ (§) ✱
✱ (§) ✱

§. IV.

§. IIII.

Vrgentiora argumenta contra communem doctrinam proponuntur, & dissolvuntur.

12. ARGVES contra privationé sic. Privatio dicitur à Philosopho principium per accidens; sed principium constitutivum non est principium per accidens: ergo privatio juxta Philosophum non est principium constitutivum. 2. Privatio potiùs opponitur generationi, quàm conducit; opponitur enim privativè formæ, quæ est principium geniti: sed principium constitutivum non opponitur constituto, nec comprincipijs alijs: ergo privatio non est principium constitutivum. 3. Privatio est ens rationis: sed ens rationis nequit esse constitutivum entis realis, quale est ens naturale in fieri: ergo idem. 4. Ens naturale in fieri non distinguitur ab ente in facto esse: sed privatio non est principium constitutivum entis in facto esse: g. nec est cõstitutivũ entis in fieri. 5. Fieri entis naturalis non distinguitur per nos ab esse entis naturalis, quod fit: sed juxta B. Ægidium, & veritatem privatio non est constitutivum entis quoad esse: ergo nec erit quoad fieri.

Hæc solvuntur ex dictis. Ad 1. dic, quòd privatio dicitur ab Arist. principium per accidens, quia non facit ad esse entis ad differentiam materiæ, & formæ, quæ nedum faciunt ad fieri entis, sed ad esse entis quod fit. Si tamen consideretur fieri entis, ut distinctum ab esse; tunc privatio est principium per se, & constitutivum; quia ut docet N. B. Ægidius, id, quod importat defectum, per se facit ad illud, quod est defectivum; & tale est *fieri* sub ratione motus, aut mutationis. Ad 2. dic, quòd juxta Arist. principia entis debent esse contraria, unde privatio debet contrariari formæ. Non tamẽ contrariatur generationi, quia hæc petit esse ex principijs cõtrarijs.

Ad 3. nega quòd privatio sit ens rationis. Solùm enim est ens rationis dum concipitur ut quid positivum, nec sic debet concipi, ut principium sit. Est ergo privatio realis carentia formæ in subjecto capaci; quare in recto est nihil, in obliquo aliquid reale, nempe capacitas formę. Sufficit esse in obliquo quid positivum, ut sit constitutivum entis positivi. Ad 4. dic, quòd ens in fieri, & ens in facto esse nõ differut entitativè, vel modaliter, sed solùm penes diversos status viæ, & termini, motus, & quietis. Hæc distinctio est quidditativa juxta dicta de actione, & termino, de relatione & fundamento: & hæc distinctio sufficit, ut privatio sit principium constitutivum entis quoad fieri, non verò entis quoad esse. Ex quo ad 5. dic, quòd fieri entis distinguitur quidditativè ab esse entis facti: quæ distinctio sufficit ut privatio constituat fieri, & non constituat esse. Vide dicta lib. 6. Logicæ quæst. 9. ubi de di-

stin-

stinctione quidditativa actum est.

23. Argues 2. contra materiam, & formam. Materia non est principium constitutivum entis in fieri, nec in facto esse : ergo non debet annumerari inter principia entis. Probatur antecedens. Materia non est principium constitutivũ entis adæquatè sumpti, nec entis inadæquatè sumpti : ergo nullo modo est constitutivum. Probatur antecedens quoad primam partem. Ens adæquatè sumptum, est totum compositum substantiale ex materia, & forma ; sed materia non est principium constitutivum totius compositi ex materia, & forma : ergo non est constitutivum compositi adæquatè sumpti. Probatur minor. Materia causat, & principiat recipiendo ; id enim convenit materiæ, quę est principium passivum, nempe recipere: sed materia non recipit compositum totum ; alioquin materia reciperet seipsam, quod implicat : ergo materia non est principium constitutivum compositi totius ex materia, & forma.

Quoad 2 partem probatur antecedens. Compositum inadæquatè sumptum, est compositum dicens solam materiam, vel solam formam: sed materia non est principium constitutivum compositi, ut dicentis materiam, nec compositi ut dicentis formam : ergo non est constitutivũ compositi inadęquatè sumpti. Minor quoad primam partem probatur. Materia constituit compositum recipiendo : sed non recipit compositum, ut dicit materiam ; alioquin materia reciperet seipsam : ergo non constituit compositum, ut dicit materiam. Quoad secundam partem probatur. Constitutivum non distinguitur à constituto : sed materia realiter distinguitur à composito ut dicente formam ; nam compositum ut dicens formam, est ipsa forma, & materia distinguitur realiter à forma : ergo materia non est constitutivum compositi, ut dicentis formam.

Idem argumentum fit in forma, quæ principiat, & causat compositum informando : at forma non informat seipsam, nec totum compositum, sed solam materiam : ergo forma non est principium constitutivum compositi adæquatè sumpti, nec compositi inadæquati ut dicentis formam. Restat quòd sit constitutiva compositi, ut dicentis materiam. Sed hoc non : quia constitutivum non distinguitur realiter à constituto ; forma autem realiter distinguitur à materia, & à composito inadæquatè sumpto, ut dicit materiam.

24. Respondemus notando quòd in principijs entis duo munera sunt diversa, & respectu diversorum. Materia enim est principium constitutivum entis, & simul causa intrinseca ejus. Vt constitutivum petit identitatem cum constituto; ut causa petit realem distinctionem ab effectu, & causato: ergo cùm respectu ejusdem non possit esse idem, & distingui : restat

quòd

quòd id habeat respectu diversorũ. Hinc materia est causa compositi, ut dicentis formam, quia causat recipiendo, & non recipit compositum adæquatè sumptum, nec compositũ, ut dicit materiam, ut benè probat argumentum. At simul materia est constitutivum intrinsecum compositi, & indistincta à constituto; quare nec constituit compositum adæquatè sumptum, cùm ab eo distinguatur; nec compositum, ut dicit formam, quia à forma realiter distinguitur materia. Quæ diximus de materia, applica formæ, in ea distinguens respectu diversorum munus constituendi, & munus causandi informando. Qua distinctione adhibita, plenè cessat argumentum.

Vidi alios solvere hoc argumentum, dicendo quòd causa intrinseca non distinguitur ab effectu; eò quòd simul est constitutiva, & causat constituendo: de ratione autem constitutivi est non distingui à constituto. Eis non acquiescas, quoniam nemo potest esse causa intrinseca sui ipsius. Rursus. Causa informativa est causa intrinseca; & tamen non potest informare seipsam. Causa item receptiva, intrinseca est; nec potest seipsam recipere, sed aliud à se: ergo causa, quantumcumque intrinseca, debet realiter distingui ab effectu causato. Nec obest quòd causa intrinseca, sit etiam constitutiva, vi cujus petit identitatem cum constituto. Nam munus costituendi exercet cum munere causandi respectu diversorum, ut dictũ est.

QVÆSTIO SECVNDA.

QVÆ SINT PRINCIPIA ENTIS IVXTA M. PARENTEM N. AVGVSTINVM.

§. I.

NVMERANTVR PRINCIPIA AVGVSTINIANA, ET EXPLICATVR QVID sit ratio seminalis.

1. B. D. N. Ægidius Rom. in 2. Sent. dist. 18. q. 2. art. 2. in fine hæc habet: *Posuit ergo Augustinus materiam & formam esse principia rerum mutabilium, sicut Philosophus, sed pro tertio principio, quod dixit Philosophus esse privationem, dixit Augustinus esse rationes seminales. Ergo sicut dicit Philosophus principia naturæ sunt materia, forma, & privatio; sic possumus dicere secundùm Augustinum quòd hujusmodi principia sunt materia, & forma, & rationes seminales.* Quod Augustini di-

dictum longè est melius quàm Philosophi, ut in sequenti dubitatione patebit. Hæc Doctor noster.

Ex quibus habemus quid de principijs entis naturalis senserit Augustinus, & quàm melius loquutus sit quàm Aristoteles, ex eodem sigillatim demonstrabimus. Nunc autem aliqua loca dabimus M. P. Augustini, ubi suam explicat sententiam.

Et primò circa materiam, & formam nedum fatetur esse principia omnium rerum mutabilium, sed assertivè dicit, quòd Deus ipsum edocuit hanc veritatem. Ita S. P. N. lib. 12. Confes. cap. 3. dicit, Deum alloquens: *Nonne tu Domine docuisti me, quòd priusquàm istam informem materiam formares, atque distingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omninò nihil: erat quædam informitas sine ulla specie.* Hoc protestatur etiam cap. 6 dicens: *Domine, si totum confitear tibi ore meo, & calamo meo, quidquid de ista materia docuisti me &c.* Et infrà: *Si totum tibi confiteatur vox, & stylus meus, quidquid de ista quæstione enodasti me &c.* Et lib. 13. cap. 33. dicit: *Cùm aliud sit cœli & terræ materies, aliud cœli & terræ species; materiem siquidem de omninò nihilo, mundi autem speciem de informi materia, simul tamẽ utrumque fecisti; ut materiam forma nulla moræ intercapedine sequeretur.* Quod repetit lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 15. & multis locis, quæ molestum esset referre.

Habemus ergo ex M. P. N. Augustino omnia entia naturalia, quæ videntur, facta esse ex materia, & forma simul productis; ita ut materia fieret de nihilo, forma autem, quæ vocatur species, quoniam ab illa species desumitur, facta est de informi materia: Ergo RR. atomistæ, & quotquot sententiam Aristotelis circa materiam irrident, & despiciunt, ut rancidos, & jam antiquatos errores aliorum Philosophorum in scholas inducant, despiciẽdi sunt, nec irridendi; sed miserendi, quoniã non unius Aristotelis sententiam rejiciunt, sed Augustini assertum verissimum, quod ipse ter protestatur se accepisse à Deo, sapientium emendatore.

Quantum ad rationes seminales vide dicta à nobis q. 2. Proœmialli num. 3. circa sententiam S. P. Augustini dicentis, quòd omnia quæ sunt in mundo, creata sunt simul à Deo in unico instanti, ut dicitur in Ecclesiast. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Quapropter cùm Moyses distribuat creationem mundi in sex dies, ita ut septimo die requieverit Deus ab omni opere, quod patraret; ne distributio ista dierum contrariá sit instantaneæ, & simultaneæ productioni, quæ à Deo asseritur Ecclesiastici 18. dicit S. P. Augustinus dies illos Geneseos non fuisse naturales, sed spirituales, quoniam constant ex cognitionibus matutina, & vespertina Angelorum, ut loco citato explicatum est. Vt ergo P. N. Augustinus in hac sententia per-

pevisitat lib. de Gen. ad litt. dicit, omnia esse in momento temporis à Deo creata, vel in se ipsis formaliter, vel in suis rationibus seminalibus. Quare loco cit. inducit rationes seminales.

Hinc lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 14. incipit sic: *Quæri autem meritò potest, causales illæ rationes, quas mundo indidit, cùm primùm simul omnia creavit, quomodo sint institutæ?* Quod prosequitur cap. 15, sequenti, & lib. 7. cap. 22. & lib. 9. cap. 17. ubi rationes seminales vocat primordia rerum, ex quibus gignuntur quæcumque in omni tempore generantur. Verba S. P. N. sunt hęc: *Ex his velut primordijs rerum, omnia, quæ gignuntur, suo quoque tempore exortus, processusque sumunt, finesque & decessiones sui cujusque generis.* Ergo rationes seminales sunt principium cujuscumque generationis, factæ post primam rerum creationē: quare sunt principium cujuscumque entis naturalis, denuò generati.

Et cap. 18. eis attribuit quòd agentia naturalia certos, & determinatos effectus producant. Dicit sic: *Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus.* Quia scilicet in tritico est ratio seminalis ad generandum triticum, in faba ad fabas &c. Et per rationes istas seminales Deus dedit rebus, à se primò creatis, virtutes activas, & passivas; ceterùm determinatas ad certos effectus, quandoque similes, quandoque dissimiles, ut se propagarent per loca, & tempora.

Has virtutes, & rationes seminales dedit Deus herbis & plantis tertia die, dicens: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundùm speciem suam.* Ceterùm animalibus dedit quinta die rationes seminales sua benedictione, ut se pro pagerent, dicente Moyse Gen. 1. *Benedixitque eis dicens: Crescite, & multiplicamini.* Homini verò sexta die sua benedictione dedit rationes seminales, ut patet ex textu.

3. At M. P. N. August. hujus doctrinæ author, monet lib. 9. cap. 17. Quòd Æva, quæ à sacro textu dicitur ex costa Adæ formata, facta non est ex his rationibus seminalibus, sed ex rationibus obedientialibus. Quare distinguit S. P. duas generationes rerum, unam naturalem secundùm cursum usitatum naturæ; alteram miraculosam præter, vel supra ordinem naturæ. Quæ fiunt primo modo, fiunt per rationes causales, & seminales, inditas rebus: quæ verò miraculosè fiunt, fiunt per rationes obedientiales, hoc est per potentias creatas, quæ Deo volenti obediunt, ut ex ejs fiat quidquid Deus fieri voluerit. Sic vis ignis est calefactiva, & combustiva juxta rationes seminales. Ceterùm si Deus ignem voluerit applicare ad refrigerandum, poterit, ut fecit in igne Babilonico, pueros refrigerate, & non comburente. Effectus iste ortus ex igne secundùm rationes

obedientiales, secundùm quas ignis, & quæcumque creatura nata est obedire Deo.

Occasione formationis Ævæ agit de rationibus seminalibus Magister Sent. in 2. dist. 18. ubi S. Thomas q. 1. art. 2. & N.B. Ægidius q. 2. art. 1 & dubijs lateralibus. Nec non Quodl. 2. q. 12. nullusq; ex scholasticis uberiùs feliciùsque de rationibus seminalibus disputavit. Eandem doctrinam habent alij interpretes loco citato Sententiarum. Et D. Thomas ejusdē meminit in summa Theologiæ 1. p. q. 71. art. 1. ad 1. & q. 91. art. 2. ad 4. & q. 92. art. 4. ad 3. sed ex professo 1. p. q. 115. art. 2. per totum, ubi quærit *Utrum in materia corporali sint aliquæ rationes seminales?* Et Cayetanus subjungit: *Motus est enim articulus hic propter verba Augustini.*

Hinc patet quoscumque Augustini discipulos debere rationes istas seminales exponere, tenere, & defendere, ut principium entis, juxta expositionem Præceptoris Angelici, fidelissimi interpretis doctrinæ Augustinianæ, & sensum Fundatissimi Doctoris nostri, voto, & doctrina Augustiniani. Cum his explicabimus duo; primò quid sint rationes seminales? Secundò, an dentur in rebus?

4. Circa primum Beati DD. Thomas, & Ægidius plures referunt aliorum opiniones, quas locis laudatis impugnant. Prima opinio dicebat rationes seminales esse formas generis, priùs introductas in

materia, quæ posteà complentur per formam speciei. Huic opinioni accedit alia dicentium quod ex forma generis latitante in materia, fit forma speciei, ut ex ratione seminali. Explicatur. Homo est animal rationale, & utrumque habet ab aliqua forma. Habet animalitatem, quæ est genus, non à sola materia, sed à forma aliqua, dante gradum sentiendi; & cùm hic gradus sit generícus, forma dans illum, dicitur forma generis. Forma autem dans homini rationalitatem, quę est gradus specificus, dicitur forma speciei. Dicit ergo utraque opinio quòd forma dans homini gradum generícum, est ratio seminalis in materia ad formā, dantem gradum specificum.

Vtraque opinio improbatur. Nam vel uterque gradus præstatur ab unica forma, vel à duplici distincta. Si ab unica? Ergo non præcedit forma generis formam speciei, ut ratio seminalis illius. Probatur consequentia. Quia ratio seminalis est realis causa, & principium formæ, quæ educitur ex materia; quare sicut materia distinguitur à forma, & precedit illam prioritate realis causalitatis; sic ratio seminalis: sed si forma generis, & forma speciei sunt eadem forma, non potest forma generis præcedere, & esse causa formæ speciei; cùm nemo possit præcedere seipsum, & esse causa sui ipsius: ergo si uterque gradus præstatur ab unica forma, forma generis nequit esse ratio seminalis ad formam speciei.

Si

Si gradus præstantur à diversis formis. Ergo nec prima est ratio seminalis secundæ, nec secunda erit forma substantialis, sed accidentalis. Probatur consequentia quoad primam partem, quia nulla forma fit ex alia, cùm nullus actus fiat ex ente in actu, sed ex materia, & ente in potentia. Quoad secundam partem probatur consequentia. Quia secunda forma adveniens materiæ, non dat ei primum esse, sed advenit materiæ habenti esse per primam formam: sed quod advenit materiæ habenti esse formale, est forma accidentalis, ut dicemus infrà agentes de materia impotente actuari duplici forma: ergo si formæ sunt distinctæ, secunda non erit substantialis, sed accidentalis.

5. Alij dixerunt rationem seminalem esse inchoationem formæ in materia. Improbatur, quoniã forma substantialis est indivisibilis: ergo nequit secundùm partem sui existere in materia, & pro posteriori existere totaliter. Quod enim est indivisibile non habet partes; & quod non habet partes, nequit præexistere secundùm partem sui.

Alij tenuerunt rationes seminales esse formas ipsas quasi latitantes in materia, ex cujus potentia educuntur, dum generantur. Hæc opinio, licèt videatur affinis errori Anaxagoræ ponentis formas latitare in materia, nihilque de novo generari, sed solùm detegi, quod in materia latebat; fundatur tamen aliquomodo in doctrina P. N. Augustini, qui lib. 3. de Trin. cap. 8. dicit quòd sicut matres sunt gravidæ fœtibus, sic iste mundus causis nascentium. At matres gravidæ habent in se fœtus latentes, qui partu detegũtur, dum in lucem prodeunt: ergo rationes seminales, quibus mũdus gravidatur, sunt formæ latentes in mundi materia. Improbatur tamẽ hæc sententia eis rationibus, quibus error Anaxagoræ: nec illi favet P. N. August. sed illi adversatur præcipuè in prima authoritate allegata num. 1. ubi docet quòd materia antè formam erat quædam informitas sine ulla specie. Nec exemplum matris gravidæ tenet quoad hoc, sed quatenus ex matre principio passivo nascuntur filij, ita ex materia principio passivo educuntur formę.

6. Angelicus Præceptor dicit rationes seminales esse virtutes activas, & passivas rerum, quibus se multiplicant per continuas generationes. Hanc sententiam ex parte approbat B. Ægidius, dicens magis accedere ad veritatem. Ab ea tamen recedit, quoniam virtutes illæ fuerunt prius in rebus, quàm rationes seminales: ergo sunt quid diversum. Probatur antecedens ex dictis, quia virtutes illę activę, & passivę fuerunt concreatæ cum ipsis rebus; in nullo enim instanti fuit ignis sine calore, nec stupa sine siccitate: at rationes seminales inditæ sunt rebus post creationem, nempe tertia, quinta, & sexta die, ut num. 2. dictum est: ergo &c. Rursus. Collatio virtutum pertinet ad opus creationis;

tionis; inditio rationum seminaliũ spectat ad opus perfectionis: sed juxta SS. PP. qui tenent dies Geneseos fuisse naturales, opus creationis præcessit tempore opus perfectionis; juxta P. N. Augustinum, qui dies illos dicit spirituales, opus creationis præcessit origine opera perfectionis: ergo virtutes illæ non sunt rationes seminales. Tandem post diem judicij cessabunt generationes, & sic deficient rationes seminales: at non deficient à rebus virtutes activę, & passivę, quibus creatę sunt: ergo quia rationes seminales quid additum sunt virtutibus activis, & passivis.

Id amplius ostenditur ex verissima doctrina D. Thomæ q. 5. de malo art. 4. ubi docet quòd in alia vita ignis, & alia agentia naturalia, non agunt quantum possunt, sed quantum Deus vult, & permittit. Quo fit, ut si Anima sancta descenderet in infernum, nullam ab igne molestiam pateretur. En ignis, & alia agentia in altera vita habent suas virtutes activas, & passivas, nec tamen agunt, nisi quę Deus fieri disponit: ergo ultra virtutes activas, & passivas aliquid aliud necessarium est ad agendum juxta D. Thomam. Hoc aliud est ratio seminalis in agentibus hujus vitę destinatis ad generationem sublunarium; & est ordo Divinæ justitiæ juxta D. Thomam in agentibus alterius vitæ, destinatis ad supplicium peccatorum.

7. Noster F. Ægidius, relatis aliorum sententijs, docet rationes seminales esse quosdam ordines, & habitudines, quibus virtus passiva subjicitur activę, & virtus activa sibi subjicit passivam. Quia enim cœlum non subditur virtuti activæ ignis, ideò ignis non combusit, nec calefecit cœlum. Et ut exemplo dato D. Thomæ utamur, quia ignis inferni non subjicit sibi nisi animas peccatorum, ideò ibi agens ut instrumentum Divinæ justitiæ, nõ agit in Animam sanctam, & innocentem. Ergo ultra virtutes activas, & passivas concreatas rebus, necessaria est Divina dispositio, ordinans activa passivis, dans passivis subjectionem his, & non alijs activis; & activis dominium in hæc, & non in alia passiva. Hæc subjectio, & habilitas, est ratio seminalis, quæ data est tertia, quinta, & sexta die; & ita necessaria, ut terra non germinaverit herbam virentem, nisi tertia die, quando à Deo per benedictionem recepit hanc rationem seminalem, quantumcumque antecedenter habuerit virtutem activam, & passivam ad talem effectum.

Eandem sententiam tenuisse D. Thomam credimus, licèt vocetenus diversam. Nam Præceptor Angelicus, dum dicit rationes seminales esse virtutes activas, & passivas rerum: non loquitur de virtutibus in esse entis, & qualitatis, qualiter sunt perfectio subjecti, in quo sunt; sed loquitur de virtutibus, ut ordinatis ad producendos certos effectus suæ speciei: at virtutes hoc modo includunt dominium activi supra passi-

passivum, & subjectionem passivi ad activum: ergo includunt illum ordinem, & habilitatem, quam N. B. Ægidius dicit esse constitutivum rationis seminalis.

Hic ordo, & habilitas, est pura relatio; quæ quando fundatur in substantia, est relatio secundùm dici, quando autem fundatur supra qualitates activas, & passivas rerum, est relatio prædicamentalis secundi generis. Patet autem ex dictis in Logica lib. 6. q. 9. quòd nulla relatio est entitas, aut modus distinctus à fundamento, sed quidditas realiter à fundamento distincta. Quare dicendum est idem de ratione seminali, quæ entitas non est, aut modus distinctus à virtutibus activis, & passivis rerum, in quo sensu exponimus D. Thomam; est tamen quidditas realiter distincta, & superaddita virtutibus, quia post creationem rerum, & virtutum, indita est hæc ratio seminalis diebus sequentibus, & potuit non dari; potest etiam semel data tolli, ut ablata est ab igne Babilonico, ne sibi subjiceret pueros, & eorum vestes, quas non tetigit omnino ignis. Quæ enim separantur, realiter distinguuntur, ut patet. At non semper distinguuntur realiter entitativè, aut modaliter, sed quidditativè, ut in Logica loco citato explicatum est.

8. Restat explicare quare hujusmodi habitudines vocantur à P. N. Augustino rationes seminales? De hoc multa apud BB. DD. Thomam, & Ægidium locis laudatis, cum quibus diximus breviter primò quòd vocantur rationes, quia derivantur à Divinis ideis, & ideæ Divinæ vocantur rationes causales. Ob id P. N. August. lib. 83. qq. quæst. 43. dicit: *Alia ratione factus est homo; & alia equus*: idest alia idea factus est homo, alia equus. Est enim Deus supremus Artifex, cujus sapientia attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; quare quidquid agit, operatur juxta exemplaria, quæ habet in mente, hoc est juxta ideas factibilium, quæ quoniam in mente Divina sunt, vocantur rationes. Et sicut à virtute Divina derivatur virtus creata, & ab esse Divino esse creatum; sic à Divinis ideis determinatis ad certos effectus, derivantur illæ habitudines agentium creatorum ad suos determinatos effectus. Quare vocantur rationes, nomine designante radicem unde desumuntur, nempe Divinas ideas.

Congruit cum nomine similitudo; nam sicut ideæ Divinæ sunt latentes in Deo, & invariabiles, sunt etiam determinatæ ad certos effectus, & primordialis causa cujusque rei creatæ: sic rationes seminales latent in rebus, durant invariabiliter à creatione usque ad finem mundi, in quo cessabunt generationes; sunt determinatæ ad certos effectus, ut de tritico, & faba dictum est, & ab eis, ut à prima radice causalitatis creatæ, veniunt quicumque effectus successivè generantur. Et sicut Deus per ideas operans, agit artificiosè;

tificiosè; sic natura per rationes seminales artificiosè operatur; & ita artificiosè, ut nullus sit effectus naturæ, qui non rapiat intellectum, benè considerantem, in sui admirationem. Virtutem seminis miratus Galenus, dubitavit an esset Creator, vel creatura. Nos lumine fidei illustrati, dicimus esse creaturam, sed derivantem à Deo virtutem, & rationem seminalem.

9. Dicuntur seminales, denominatione sumpta à principaliori generatione. Quæcumque generantur, fiunt ex semine, vel putrefactione; sed juxta Comment. 12. Metaphysicæ cap. 18. *Quod est semen in his, quæ nascuntur ex semine, est putrefactio in his, quæ nascuntur ex putrefactione.* Quare sicut natura propriè dicitur de perfectis, quæ nascuntur, extenditur tamen ad quæcumque licèt imperfecta, quæ oriuntur, & producuntur; dicúturque generari, cùm tamen generari propriè solùm conveniat viventibus, quæ gignuntur in similitudinem naturæ; ita seminalis vox, conveniens propriè animalibus perfectis, strictè genitis, extenditur ad quamcumque productionem etiam inanimatorum. Et ob id rationes illæ, quæ determinant virtutes activas, & passivas rerum ad certos effectus, vocantur à P. N. Augustino, stricto nomine *rationes causales*, lata significatione *rationes seminales*.

Congruit nomen, & similitudo. Nam sicut in semine continetur effectus, & ibi quasi latet; sic effectus in ratione seminali. Sicut semen est parvum quantitate, sed magnum virtute; rursus operatur artificiosè, & determinatos effectus juxta ordinẽ, à Deo inditum; sic ratio seminalis, quæ nullius est entitatis, distinctæ à virtute rerum, sed est quidditas quædam, magnæ tamen activitatis, artificiosè deserviés generationi rerum, effectusque à Deo determinatos producens. Et hæc de primo quæsito.

Circa secundum, nempe an dentur rationes seminales? Respondemus affirmativè. Eas concedit Magister Sententiarum in 1. dist. 18. ubi S. Thomas, B. Ægidius, Argentinas, & alij, præcipuè antiqui, omnesque ob unius Augustini authoritatem. At quia dogma hoc à Platonicis derivatum est, à quibus P. Augustinus, qui in pluribus platonizavit, plura desumsit circa ideas, quas astruerunt Platonici tum propter scientiam, tum propter rerum generationem, ut in Logica lib. 3. q. 2. dictum est; oportet illud amplius confirmare, & Peripateticis suadere. Pro quo sit.

§. II.

Probatur dari in rebus rationes seminales, additas virtutibus activis, & passivis rerum.

10. HOC probat N.B. Doct. loco laudato 1. Sent. dub. 5. literali. Primò ex Scriptura, nam licèt Deus in principio creaverit cœlum, & terram cum suis virtutibus activis, & passivis, nullum pro-

duxe-

dixerunt effectum, usque dum tertia die inseruit sua benedictione rationes seminales, dicens: *Germinet terra herbam virentem &c.* ergo quia natura ita imbecillis est ad suas generationes, ut ultra virtutes activas, & passivas concreatas, indigeat rationibus seminalibus, jam explicatis.

Confirmatur ex Apost. ad Rom. 13. dicente: *Non est potestas, nisi à Deo*: Ecce à Deo venit omnis virtus, & potestas activa, vel passiva. Sed ecce etiam venit à Deo ordo virtutis activæ ad passivam, & passivæ ad activam; nam immediatè subjungit Apostolus: *Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt.* Sed hic ordo est ratio seminalis, indita à Deo satore, & seminatore virtutibus activis, & passivis à seipso ordinatis: ergo ultra virtutes activas & passivas rerum, dantur in natura rationes seminales.

11. 2. Probatur assertio Augustiniana à ratione. Ratio seminalis est aptitudo, qua passivum subjicitur activo, & ordinatio activi ad proprium passivum: sed sine ista subjectione non stant generationes: ergo ratio seminalis ad generationes rerum necessaria est, ultra virtutes rerum activas, & passivas. Probatur minor. Nam quia cœlum non subjicitur virtuti activæ ignis, ignis non agit in cœlum, nec ipsum calefacere potest. Rursus quia ignis inferni, & Purgatorij, non æquè sibi subjicit animas puniendas, vel expiandas, sed inæqualiter juxta ordinem inditum à Divina justitia virtutibus activis, & passivis non æqualiter, sed inæqualiter combusit cum molestia. Rursus ex his quæ videmus. Quia stupa est magis subjecta igni, quam lignum; & lignum aridum magis quàm viride, stupa citiùs igni ur„ & lignum aridum citiùs quam viride; nec sequitur ignitio usque dum per calorem lignum ponitur in perfecta subjectione virtuti activæ ignis: ergo &c.

Confirmatur. Stantibus virtutibus activis, & passivis rerum, cessabunt generationes post diem judicij, per ablationem rationum seminalium: ergo quia ultra virtutes activas, & passivas rerum requiruntur ad generationes rationes seminales. Hac ratione suadet D. Thomas, quòd motus cœli ad generationes necessarius est, quia post diem judicij cessabunt generationes, ex vi quòd motus cœli cessabit, teste Scriptura in Apocalypsi dicente: *Iurabit per viventem in sæcula sæculorum, quòd tempus non erit amplius.* Quia nempe cessabit motus cœli, qui est tempus, & sic cessabunt generationes sub cœlo, quę pendent à motu cœli, teste Arist. lib. 2. de Gen. textu 54. & 55. ubi ait: *Ignis sine cælo est deterior organo.*

Hæc sententia Philosophi, qua D. Thomas utitur ad dictum assertum, non improbatur à B. Ægidio, sed confirmatur ex illo Job 38. *Numquid nosti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra?* Ceterùm dicit recursum Aristotelis ad motum cœli

pro

pro generationibus sublunaribus, esse merè philosophicum, & insufficiens; recursus autem P. N. Augustini ad rationes seminales, theologicus est, & adæquatus Rem aliquomodo explicemus in gratiam Patentis nostri, & nostri Doctoris Fundatissimi.

11. Recursus Philosophi ad motum cœli est philosophicus, quia probatur necessarius ex ratione philosophica sic. Cœlum est primum alterans; sed sine primo alterante nullum agens secundum potest alterare: ergo nec generare; cùm omnis generatio fiat per alterationem. Rursus. Cœlum est primum movens: sed sine primo movente nullum movens secundum movet: ergo nec generat, quod sine motu stare non potest. En principia purè philosophica: quæ insufficientia sunt, quoniam pro generationibus oportet ulteriùs recurrere ad rationes seminales.

Recursus hic theologicus est: Nam rationes seminales derivantur à Divinis ideis: sed necessitas Divinarum idearum, & recurrendi ad Divinas ideas, unde rationes seminales derivantur, solùm theologicè potest probari: ergo recursus P. Augustini ad rationes seminales, theologicus est. Probatur theologicè sic. Sicut virtus creata derivatur à virtute Dei; ita determinatio virtutis creatæ ad certos effectus, derivatur à principio determinante virtutem Divinam ad effectus creatos; at ideæ Divinæ determinant objectivè Omnipotentiam; sicut subjectivè, vel imperativè Divina voluntas, decernens productionem effectus determinati: ergo à Divinis ideis derivatur ratio seminalis, qua virtus creata determinatur ad suos certos effectus.

13. 3. Probatur assertio Augustiniana à ratione. Illud est simpliciter necessarium ad quamcumque generationem entis, sine quo generatio esse, nec intelligi potest: sed sine recursu ad Divinum ordinem, rebus impositum per rationes seminales, nequit esse, aut intelligi generatio: ergo rationes seminales sunt necessariæ ad generationem. Probatur minor. Ex sola præsentia calefactivi ad calefactibile, nequit intelligi actio calefactiva, & passum actu calefieri: ergo sine recursu ad Divinum ordinem &c. Probatur antecedens. Ex sola præsentia divitis ad pauperem nequit pauper ditari, quin aliquid de bursa divitis transeat ad bursam pauperis: sed calor calefactivi nequit trãsire in passum, quia accidens non migrat de subjecto in subjectum, ut dicitur 7. Metaphysicæ: ergo ex sola præsentia &c.

Ob hanc rationem N. B. Doct. dubio 5. laudato dicit: *Quantò magis quis est sciens, tantò magis dubitat, quomodo fiant actio & passio in rebus, nisi ultra virtutes activas & passivas in istis inferioribus recurrat ad aliquas superiores causas.* Videbis ignem applicatum ligno, ipsum calefacere: nec aliam hujus effectus rationem dedit Philosophus; nisi solam

lam experientiam. At si putes, quòd calor exit ab igne, & transit in lignum, falleris; quia calor est accidens; & accidens non migrat de subjecto in subjectum, ut probatur 7. Metaphysicæ. Esto sciens hujus, & maximè dubitabis, quomodo fiat calefactio illa. Vt hoc dissolvat Arist. recurrit ad motum cœli, ut dictum est num. 11.

Sed N.B. Ægidius reponit sic loco laudato: *Nos tamen Theologi, habentes amplius motivum ad loquendum de hac materia* (id est lumen fidei, cui innituntur rationes nostræ) *ultra cœleste corpus, reducimus ista in Divinum ordinem; dicentes, tantam esse imbecillitatem creaturæ; quòd per virtutes, quas habet, non potest aliquam actionem efficere, nisi hoc sit per Divinum ordinem, supponentem activa passivis: ex quo ordine, & ex qua suppositione, activa agunt in passiva absque eo quòd activa immittant aliquid ad extrà passivis, fit actio, & passio, & fit productio effectuum. Quo ordine amoto, amoventur rationes seminales, & quo posito, ponuntur, ut isti ordines sint quid formale in productione effectuum.*

Confirmatur hæc ratio ex alijs generationibus, passim obvijs. In grano tritici adest virtus activa, & passiva ad sui multiplicationem; vis activa residet in cuspide; quapropter formicæ reponentes grana in suis foveis, corrodent cuspidem, ne nascatur. Sub cuspide in reliquis partibus grani est vis passiva. Vt hoc granum multiplicetur, dum terræ mandatur, oportet ipsum corrumpi, docente Christo Dño Joann. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ergo in grano, terræ tradito, emoritur virtus activa & passiva ejus, totaque substantia illius cum suis virtutibus corrumpitur, ante novam generationem herbæ, & fructus. Si corrumpitur substantia, & virtus omnis generativa tritici, quomodo causatur novum triticum generatum? Non à sole, cœlo, & elementis; quia ista sunt causæ æquivocæ, ut dicemus 2. Physicorum. Non à tritico seminato; quia semel corrupt m, & emortuum, jam non est. A quo ergo, ut à principio univoco causatur? Si cum Augustino t neas rationem seminalem, facilè respondebis ab ea causari; quoniam seminalis ratio determinat residua illa grani emortui, ut deserviant generationi tritici, & non fabæ, aut ciceris. Ergo necessariæ sunt ad quamcumque generationem.

§. III.

Ostenditur, quot titulis sententia Augustini P. N. præferenda est Aristotelicæ.

14. DOCTOR Noster probat loco laudato dub. 1. & 4. lateralibus, quòd sententia Augustiniana circa tertium principium entis præferenda est Aristotelicæ: primò, quia congruentior, secundò, quia completior, ac tertio quia principalior.

cipalior. Tot titulis Parentis nostri sententiâ præferendam putamus cum Doctore nostro, & ex ipso suadetur sic.

Et primò quòd sit congruentior, patet ex discrimine inter privationem & rationem seminalem. Privatio est carentia formæ in subjecto apto ad illam : quare in recto est carentia, & non ens, solùm autem est quid positivum in obliquo, quatenus dicit aptitudinem materiæ ad formam. At ratio seminalis in recto dicit aptitudinem materiæ ad formam cui subjicitur, & ordinem quam agenti subordinatur ; in obliquo autem dicit ratio seminalis carentiam formæ. Nunc sic. Sed id quod in recto est quid positivum, & in obliquo negativum, aptiùs, & congruentiùs ponitur pro princ.p.o entis positivi, quàm id quod in recto est quid negativum, & solùm in obliquo positivum : ergo congruentiùs ponitur ratio seminalis pro tertio principio entis, quàm privatio.

Confirmatur. Ideò Philosophus dixit privationem esse principium per accidens, quia solùm principiat ratione illius quod dicit in obliquo: ergo si id quod privatio dicit in obliquo, ratio seminalis dicit in recto, hæc erit principium entis per se. Tunc sic. Sed congruentiùs assignantur principia entis, quæ sunt talia per se, quàm principia per accidens: ergo sententia de ratione seminali principiante, congruentior est, & convenientior.

15. Quòd ergo sententia Augustiniana sit completior probatur. Nam privatio juxta Aristotelem solùm principiat, quatenus se tenet ex parte materiæ, illam inclinans in formam substantialem, juxta illud : *Privatio est causa appetitus.* Sed rationes seminales nedum inclinant materiam in formam, sed etiam formam in materiam ; imò & inclinant agentia extrinseca, ut materiam transmutent : ergo completior inclinatio habetur per rationes seminales, quàm per privationem, & sic completiùs principiant generationem. Minor patet ex dictis num. 7. & 11.

Confirmatur. Plus indiget causa formalis principio inclinante ipsam in materiam, quàm materia, vel causa materialis principio inclinante eam in formam : ergo si quia materia eget principio inclinante, ponitur privatio inclinans, ut principium ; potiùs, veriùs, meliùsque poni debet pro principio ratio seminalis, mutuò inclinans materiam in formam, & formam in materiam. Probatur antecedens. Materia perficitur per formam, à qua actuatur: forma verò non perficitur, sed imperficitur per materiam, à qua potentializatur, juxta illud : *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Sed unumquodque per suam naturam inclinatur in extremum à quo perficitur, nec ad hoc necessarium est aliud inclinans; eget tamen principio inclinante in extremum, id quod ab extremo non perficitur, sed coartatur, & deprimitur : ergo.

Tandem

Tandem, quòd ſententia Auguſtiniana principalior ſit, probatur. Ratio principij principaliùs convenit principio actiſvo, qualis eſt forma; quàm principio paſsivo, qualis eſt materia: ſed privatio ſe tenet ſolùm ex parte materiæ; ratio verò ſeminalis potiùs ſe tenet ex parte formæ, licèt ſe teneat etiá ex parte materiæ: ergo ratio principij principaliùs tribuitur rationi ſeminali, quàm privationi. Major patet ex dictis q. præcedenti num. 17. Minor conſtat ex dictis hìc pro ratione ſeminali.

16. His rationibus N. B. Doct addere poſſimus ſequentem probationem. Illa ſententia melior eſt, & præferenda, quæ citra dubiũ tangit veritatem, & facilius ſe expedit ab argumentis in contrarium; Sed ſententia Auguſtiniana tangit veritatem, & faciliùs ſe expedit ab argumentis communibus: ergo melior, & præferenda eſt, Minor quoad primam partem patet ex dictis. Nam verosimiliùs ponitur pro tertio principio entis id quod in recto eſt quid poſitivum, & in obliquo negativum; quàm privatio, quæ in recto eſt quid negativum, & poſitivum in obliquo. Rurſus veriùs ponitur principium mutuò inclinans materiam in formam, & formam in materiam, quàm privatio ſolùm inclinans materiam: ergo ſententia Auguſtiniana potiori titulo tangit veritatem, quàm Ariſtotelica.

Quòd autem faciliùs ſe expediat ab argumentis, oſtenditur reſumendo quædam ſuprà objecta cõtra privationem. Nam cùm privatio ratione ſui ſit quid negativum, nequit percipi quomodo ſit principiũ entis poſitivi. Rurſus privatio non eſt principium entis *quoad eſſe*: & cùm *fieri* e tis non diſtinguatur ab eſſe ejus, videtur quòd privatio neutrius ſit principium. Rurſus nequit ſine magna difficultate deſignari inſtans, in quò privatio principiat. Ac tandem dantur aliquæ generationes ſine privatione, ut diximus de eductione corporum, & generatione vermium ex ſpeciebus Euchariſticis. Hæc omnia probant, vel quòd privatio non eſt principium, vel quòd per accidens principium eſt.

De ratione ſeminali non ſic. Quia in recto eſt quid poſitivum; & ſic nil mirum quòd principium ſit entis poſitivi. Deinde, cùm ſit poſitivum, eſt principium entis quoad fieri, & quoad eſſe. Rurſus cùm ratio ſeminalis maneat in materia ſemper, non eſt locus dubitandi, in quo inſtanti principiet. Tandem nulla eſt dabilis generatio ſine rationibus ſeminalibus: nam cum materia identificantur; & ſicut ſine materia non eſt dabilis generatio; ſic nec ſine rationibus iſtis. Ergo ſententia P. N. in omnibus præferenda eſt Ariſtotelicæ.

(§)

§. IIII.

Solvuntur argumenta contra sententiam Augustinianam.

17. CONTRA sententiã nostram quædam objicit, & solvit N.B.D. ex D.Thoma, & ex utroque eadem solvuntur à nostro Gavardi, quę quoniam ex dictis §. 1. solvuntur facilè, hìc summatim proponam, & solvam. 1. rationes non habent esse, nisi in natura rationali : ergo in materi nullę sunt rationes. 2. semen importat potentiam activam: sed in materia non est potentia activa, sed passiva: ergo in materia non sunt rationes seminales. 3. sequeretur formas latitare in materia, si in illa essent rationes seminales formarum. 4. multa non fiunt, ex semine, sed ex putrefactione, ut constat de animalibus imperfectis : ergo talia non fiunt ex rationibus seminalibus.

Ad 1. dic rationes esse formaliter in natura rationali ; in materia autem sunt analogicè, & similitudinariè, ut dictum est. Ad 2. dic, quòd semen importat utramque potentiam activam, & passivam, ut in grano tritici explicatum est. Ratio seminalis ex parte formæ dicit potentiam activam, ex parte materiæ solam passivam. Ad 3. dic, quòd in materia latent rationes seminales, quæ sunt habitudo ad formas ; non autem latent essentiæ formarum, ut volebat Anaxagoras. Ad 4. dic, quòd genita ex putri, dicuntur genita ex semine, denominatione sumpta à principaliori genito, ut num. 9. dictum est.

18. Argues aliter contra sententiam nostram. Vel ratio seminalis distinguitur à materia, & forma, vel nõ distinguitur. Si nõ distinguitur; non erit tertium principium distinctum ab eis. Si distinguitur; nequit esse principium : ergo non subsistit quòd ratio seminalis sit tertiũ principiũ entis loco privationi. Minor quoad primam partẽ patet; nam quod non est, non est principium : ergo quod non est distinctũ à principijs, non erit principium distinctum. Quoad secundam probatur. Nam ratio seminalis juxta dicta, est habitudo activi ad passivum, & passivi ad activum; quare est mera relatio; quæ .. distin..a est à materia, & forma, supra quas fundatur ; erit quid relativum, & purus ordo. At quid relativu nequi esse principium entis absoluti : ergo si ratio seminalis est quid distinctum à materia, & forma, nequit esse principium entis n fieri.

19. Hoc argumentum petit duo explicanda, nempe an ratio seminalis sit distincta à materia; rursus, quid est illud distinctum, quod habet rationem principij. Primum dubium solvitur ex doctrina N. B. Ægidij loco laudato dub. 3. lateralì. Et quidem videtur quòd ratio seminalis in materia non distinguitur ab ea. Primò, quia si esset distincta à materia foret actus materiæ, quia

quia solus actus differt à potentia materiæ. At in materia pro ordine ad formam nullus est actus: ergo rationes seminales, quæ in materia præcedunt formam, non differunt à materia. Rursus si differrét,& essent in materia, facerent compositionem cum illa, quia compositio nil est nisi distinctorum unio: sed ante formam nulla est compositio in materia, nec ex materia: ergo non differunt. Ex alia parte videntur differre. Quia rationes seminales additæ sunt materiæ post ejus productionem; rursus sunt auferibiles ab ipsa, & de facto auferentur post diē judicij, in quo cessabunt generationes: sed quod additur, & tollitur, est distinctum ab eo, cui additio fit, vel ablatio: ergo rationes seminales differunt à materia.

Hoc dubium solvitur ex doctrina B. Ægidij data à nobis lib. 6. Logicæ q. 9. ubi actum est de distinctione relationis à fundamento. Ibi diximus, quòd relatio prædicamentalis non est entitas, aut modus distinctus à fundamento, sed quidditas realiter distincta. Cùm ergo ratio seminalis sit relatio quædam subjectionis passivi ad activum, & quasi dominij activi supra passivum; tenendum est, quòd non est entitas, aut modus distinctus à materia, sed est quidditas distincta. Quare argumenta hìc objecta, suadent utrumque, nempe prima quòd non est distincta entitativè, aut modaliter; ultima verò quòd differt quidditativè. Explicatur in appetitu materiæ ad formas, qui eisdem argumentis suadetur non esse distinctum materia, & esse distinctum, cùm possit tolli à materia, ut de facto tolletur postquam cessent generationes rerū. Nec patet solutio, nisi recurras ad B. Ægidij doctrinam, tenens a petitum illum differre quidditativè à materia, sed non entitativè, aut modaliter.

2o. Circa secundum dubium videtur, quòd hoc quidditativum distinctum à materia, est purus ordo, & quid relativum. 1. quia distinctio quidditativa solùm convenit relativis, non autem absolutis, ut loco cit. Logicæ dictum est. 2. quia si illud non esset purè relativum, esset quid absolutum: sed absolutum additum absoluto, facit compositionem cum illo: ergo rationes seminales additæ materiæ, facerent compositionem cum materia; quod à nobis negandum est cum N. F. Doct. Aliunde videtur tale quidditativum non esse purè relativum; quia relativum purum nequit esse principium intrinsecum entis absoluti, ut in rgumento princip li dictum est.

Hoc dubium solvi debet ab omnibus circa appetitum materiæ ad formas, & circa aptitudinem materiæ ad eas, quam in obliquo importat privatio formæ in materia. Nam privatio ratione hujus aptitudinis est principium entis. Vel ergo hæc aptitudo est purus ordo, vel quid absolutum. Si purus ordo; quomodo est principium entis. positivi absoluti?

absoluti? Si est quid absolutum, & separabile à materia, ut separatur sepè, quomodo dum materiæ additur, non componit cum ea?

Dicendum est juxta nostra principia, data in Logica loco citato, quòd rationes seminales materiæ, & formæ sunt relationes secundùm dici, quia fundãtur immediatè in substantia, in qua nulla relatio prædicamentalis fundatur. Istæ relationes secundùm dici habent esse quidditativum, distinctũ à fundamento: quod quidem non est esse de genere relativo accidentali, ut sunt relationes prædicamentales; sed est esse indifferenter pertinens ad prædicamentum sui fundamenti, nempe substantiæ, ob id non facit compositionem cum fundamento, quia quidditas est, non entitas, aut modus: & quia non habet conditiones relativi prædicamentalis, non est esse relativum formaliter, sed secundùm dici. Nec inconvenit quòd tale relativum sit principium intrinsecum entis absoluti: primò quia non est principium entis in facto esse, sed in fieri; unde non est de compositione, & constitutione entis, sed requisitum ad fieri illius, ut de privatione dicitur ab Aristotelicis. Secundò, quia rationes seminales principiant inclinando materiam in formam, & subjiciendo materiam formæ, & agenti; at relativum à nobis explicatum, sic inclinat, & subjicit materiam; imò ipsa inclinatio, & subjectio sunt relatio secundùm dici: ergo relativum tale potest, & debet esse principium entis absoluti in fieri.

21. Augues 3. Ex doctrina Augustiniana plura inconvenientia sequuntur, quæ non inferuntur ex Aristotelica: ergo Aristotelicæ præferenda non est. Antecedens probatur numerando inconvenientia. Primò sequitur principia entis in fieri esse plura quàm tria. Nam præter materiam, & formam, adest ratio seminalis: at hæc non est unica, sed triplex, nempe una ex parte materiæ, alia ex parte formæ, tertia ex parte agentis: ergo principia entis erunt quinque. Secundò sequitur quòd inter principia intrinseca entis ponendum est aliquid extrinsecum. Nam ponimus rationes seminales; sed inter has datur ratio seminalis ex parte agentis, quæ est extrinseca genito, non minus quàm virtus agentis: ergo ponendum est quid extrinsecum inter principia entis intrinseca. Tertiò sequitur, quòd generatio substantialis non sit *transitus materiæ de non esse ad esse*, ut dicitur in diffinitione, ab omnibus admissa, sed est *transitus materiæ de esse seminali formæ, ad esse formale illius*; quod est inauditum. Patet sequela, quia in prima diffinitione importatur de formali privatio, & inde probatur esse principium: quare dum id negamus, & loco ejus astruimus rationem seminalem, corrigenda est communis diffinitio generationis. Quartò sequitur quòd principia entis non sunt contraria, nec materia transit de contrario in contrarium; quia ratio seminalis

non

non contrariatur formæ, ut contrariatur privatio ; nec cedit, ut privatio cedit adveniente forma. Tandem sequitur, quòd pro ente in facto esse tot erunt principia, quot pro ente in fieri; nam ratio seminalis manet cum forma in genito : sed principia in facto esse sunt quæ manent in genito: ergo ratio seminalis etiam est principium entis in facto esse; & sic tot sunt principia ejus, quot entis in fieri.

22. Ad argumentum respondemus neg. antecedens : nam inconvenientia numerata, vel talia non sunt, vel ex nostra sententia minimè sequuntur. Ad 1. nego sequelam. Nam licèt rationes seminales dicantur pluraliter, & revera sint plures inadequatè ; sunt tamen unica adequatè in ratione principij. Qui enim identificant unionem materiæ cum forma, & defendunt ab eis indistinctam, debent dicere quòd entitas unionis est duplex, nempe entitas materiæ, & formæ ; sed non dicunt uniones esse duas, sed unicam ; quæ ut se tenet ex parte materiæ, est materia ; ut se tenet ex parte formæ, est forma. Sic ratio seminalis, quę non est entitas, aut modus distinctus à materia, & forma; ut se tenet ex parte materiæ, est entitativè materia ; ut se tenet ex parte formæ, est entitativè forma : quare entitativè est duplex, sed formaliter in ratione principij est unica, ut de unione dictum est. Quòd si quæras, an si unica unitate simplicitatis, an verò unitate compositionis? Respondeo petendo à t in exemplo dato, quomodo unio materiæ & formæ est unica ? Non quidem unitate simplicitatis, quia ejus entitas non est simplex, sed co posita, nempe entitas materiæ & formæ unitarum. Non unitate compositionis; quia unio non est composita, sed est nexus componens partes. Ergo neutra unitate unio unica est. Dicendū unionem esse unicam unitate completionis, quæ completur ex duplici unione incompleta, & inadæquata. Sic ratio seminalis, quæ est tertiū principium, est unica completè, & duplex incompletè.

Ad 2. nego sequelam, ad ejus probationem dic, nos non ponere pro principio entis intrinseco rationem seminalem, ut se tenet ex parte agentis, sed ut se tenet tam ex parte materiæ, quàm formæ, & connotans actionem agentis, cui materia subjicitur. Hoc modo ratio seminalis est quid intrinsecum enti, sicut materia, & forma.

Ad 3. concedo sequelam, quæ non inconvenit ; quia cùm Philosophi teneant sententiam Aristotelis de privatione, tenen. consequenter diffinitionem generationis, ab ipso datam. Qui autem Augustinianam sententiam defendunt, diffinire debent generationem, ut in argumento habetur, vel diffinitione, quam in præsenti adducit N. Villanova, nempe generatio est *via ad formam*: ubi privatio non importatur. Dici potest, quòd in nostris principijs salvatur communis diffinitio generationis

tionis etiam, nam cùm ratio seminalis dicat in obliquo carétiam formæ; materia transiens de esse seminali ad esse formale, transit de non esse formali ad esse formale.

23. Hic ad 4. nego sequelam, quia etiam ratio seminalis contrariatur formæ, sicut privatio cum hoc solo discrimine, quòd privatio ratione recti contrariatur, at ratio seminalis contrariatur ratione obliqui; quare adhuc in nostris principijs materia transit de contrario in contrarium. At quia contrarietas non est ratio formalis principiandi, sed conditio adjuncta; ideò non ponimus in recto carentiam formæ, ut ponit Aristoteles, sed eam ponimus in obliquo ponentes in recto positivũ rationis seminalis, quod est formalis ratio inclinandi, subjiciendi, & principiandi.

Ad ultimum nego sequelam: quia licèt in genito maneat ratio seminalis, non manè, ut principiũ. 1. quia non manet dando esse genito, quoniam tale esse datur plenè à materia, & forma. 2. quia ratio seminalis, ut sit principium, debet connotare carentiam formæ; hanc non connotat in endum factum est. Vel dic quòd eadem sunt principientis in fieri, & in facto esse juxta Augustinum, non autem juxta Aristotelem: quia cùm hoc tertium principium deserviat ad subjiciendam materiam formę, & agenti; hæc subjectio non finitur generatione, sed durat toto tempore, quo genitum conservatur sub forma, & sub actione conservativa. Vnde ratio seminalis dat esse genito, nempe esse talis subjectionis, quod pro conservatione geniti necessarium est, sicut fuit pro illius prima productione. Vide dicta in Logica lib. 3. q. 7. de relatione, ut inde solvas facilè alia argumenta, quæ fieri possunt cõtra rationes seminales.

(4)

QVÆSTIO TERTIA.

AN SIT, ET QVID SIT MATERIA PRIMA?

§. I.

Probatur authoritate & ratione existentia materiæ primæ.

1. QVæstione 1. hujus libri à num. 3. notavimus cum P. N. Augustino varios antiquorum errores circa principia rerum corporearum; quos omnes, diversa licèt via, contra existentiam materiæ primæ retoris repro-

reproducere. Nam si cum Anaxagora neges dari veras generationes rerum, negabis commune subjectum generationis, & corruptionis; & hoc est materia prima. Si cum Democrito recurras ad atomos, ex quibus omnia fiunt, non fiet ex materia prima; quare nec erit in rerum natura. Si cũ Parmenide, & Melisseo dicas, omnia fieri ex igne, & terra, aut ex aere, & aqua; agendũ erit de elementis, non de materia prima Aristotelica, quę in rerum natura non apparet. Hìc jam vides, recolenda esse dicta à nobis loco citato, ubi de his erroribus actum est, ut veram sententiam de existentia materiæ primæ teneamus, nec jam dicta iteremus.

Omnes isti errores, ut benè notat N. B. Ægidius, inde orti sunt, quoniam prisci Philosophi nullum agnoverunt medium inter ens in actu, & nihil. Hoc dato, subsumebant sic; sed ex nihilo nihil fit: ergo vel nihil denuò fit, cùm præcedat ens in actu; & sic non dantur generationes: vel omnia fiunt vel ex igne, vel ex aqua &c. quæ sunt entia in actu.

Sententiam Atomistarum suscitatam vidimus à RR. quæst. 1. num. 4. & quæ loco materię ponit elementa, docetur à Primario Salmanticensi Medico Ludovico Rodriguez, cujus argumenta adducit, & solvit Cardinalis Aguirre in sua Philosophia, disp. 3. Præcipuum fundamentum est. Quando mixtum resolvitur in quatuor elementa, dicendum est, vel tunc denuò produci, vel quòd erant formaliter in mixto ante resolutionem. Non producuntur denuò; quia non est assignabilis causa productionis, nam hæc nequit esse mixtum, alioquin ageret in sui destructionem, quod implicat. Nec potest esse cœlum, quia talis recursus est alienus à Philospho. Ergo restat quòd elementa illa, quæ denuò apparent resoluto mixto, erant in eo formaliter ante resolutionem. Ergo non erat materia diffinita ab Aristotele, sed erant quatuor elemẽta, quæ mixta, & alterata, sunt materia ex qua fiunt generationes.

2. In hac parte dupliciter potest proponi quæstio: 1. An detur in mundo materia prima? 2. An detur materia diffinita ab Aristotele? De hoc secundo potest esse controversia apud Catholicos, sed non de pr[illegible]o, quia de fid[illegible] est dari materiã primam, ex qua Deus fecit omnes res corporeas. Ita habetur lib. Sapiẽtiæ cap. 11. *Omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa.* Ob id P. N. Augustinus lib. 1. contra adversarium legis, & Prophet. cap. 8. dicit, non solùm omnia facta esse ex materia, sed & ipsam materiam esse à Deo factam. En verba S. P. *Nec enim materies omnino nihil est, de qua Sapientiæ* 11. *legitur. Qui fecisti mundum de materia informi. Non ergo quia informis dicta est, omnino nihil est: nec Deo fuit vel ipsa coæterna, tanquam à nullo facta, vel alius eam fecit, ut haberet Deus, de qua faceret mundum. Absit enim ut dicatur*

catur Omnipotens non potuisse facere, nisi unde faceret inveniret. Ergo & ipsam Deus fecit.

Eandem sententiam tenuerunt SS. PP. quorum cathalogum texit Masius: quare si quid potest dubitari, id est, an orbis terrarū factus sit ex materia Aristotelica? In quo dubio tenēda est pars affirmativa cūP. Aug. &DD. nostris, nāP. N. li. 12. Conf. cap. 6. fatetur se edoctum à Deo in quæstione ista, & dum materiam primam explicat, plenè adhęret sententiæ Aristotelicæ: ergo quia verissima est, & à summa veritate dictata ipsi Patri, & Doctori nostro. De hoc §. sequenti. Interim pro suadenda à ratione existentia materiæ primæ, supponendum est, quòd materia est commune subjectum receptivum formarum, ex quo, & ex varijs formis, resultant entia completa, & substantialia, quæ sunt in mundo. Hoc suppositō ex dicendis.

3. Probatur 1. dari in mundo materiam primam. A parte rei dantur in mundo generationes, & corruptiones; & generatio unius est corruptio alterius. Sed istæ non possunt dari sine materia prima, quæ est subjectum communis generationis, & corruptionis: ergo datur materia prima Aristotelica. Major est de fide, si quid probant textus allegati quæst. 1. hujus lib. num. 5. Quibus addantur verba illa Christi Domini dicentis: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Vbi Præceptor Noster indicat granum in terra corrumpi, & ex eo emortuo alia plura denuò generari. Accedunt sensus ostendentes nobis novas hominum, animaliū, & plantarum generationes, & præcedentium desitiones.

Minor probatur. Generatio est *fieri formæ ex præsupposito subjecto*, ad differentiam creationis, quæ est *fieri rei ex nihilo*. Sed fieri rei ex præsupposito subjecto nequit dari sine subjecto, quod prāsupponitur, ut patet: ergo generatio nequit dari in re sine materia prima, quæ est commune subjectum &c.

Confirmatur. Quando animal moritur, vel destruitur totaliter compositum vivens, ut nil ejus maneat; vel aliquid manet, quod cum forma cadaverica, denuò generata, constituit totum compositum cadavericum. Si manet? Ergo manet commune subjectum generationis, & corruptionis, & hoc vocamus materiam primam. Si non manet? Ergo compositum viventis fuit annihilatum, & non corruptum. Patet consequentia quia corruptio est destructio rei quoad aliquam partem, annihilatio est plena destructio rei quoad omnes partes. Falsitas sequelæ ostenditur, quia solus Deus potens creare, potest annihilare; creata agentia solùm possunt generare, & corrumpere: ergo dum vi agentis naturalis creati moritur animal, & fit cadaver; corrumpitur animal, non annihilatur: ergo quia pars animalis manet, quæ cum forma cadaverica denuò genita, compositum facit: & hæc pars est commune subjectum generationis

nis cadaveris, & corruptionis viventis; & tale subjectum vocatur materia prima. Hæc ratio supponit nullam creaturam posse creare; quod de facto verum est: an autem divinitus possit creare, dicemus lib. 2. Physic.

Confirmatur ex principio Ecclesiæ usu ve era tis Martyrum cineres. Nam vel in cinere manet aliqua pars corporis Martyris viventis, vel non. Si non manet: ergo nihil remanet veneratione dignum, quod est temerarium dicere. Si manet: ergo hoc er mater a, vel forma, vel aliquod accidens Martyris. At non accidentia, quia destructo composito substantiali, pereunt omnia illius accidentia. Non etiam forma viventis, ut patet, quia hæc separata est à corpore incinerato: ergo vel nihil manet veneratione dignum, vel manet materia sub forma cineris, quæ antea fuit cum anima rationali Martyris. Vide plura de corpore Christi in triduo mortis, & in Sacramento, quæ hic confirmant sententiam communem, & egregiè tractantur à N. B. Doct. in tractatu de Gradibus formarum, parte 2. per plura capita.

4. Restat solvere, quę num. 1. objecta sunt. Ad primum dicimus illud principium *Inter ens in actu & nihil non datur medium*, esse falsum; & cùm error in principijs sit causa erroris conclusionum; ideò ex illo capitali errore Antiquorum, tot erroneæ sententię sequutæ sunt. Inter ens & nihil nullum est medium, quia sunt immediatè opposita: ceterùm est medium inter nihil, & ens in actu, nempe ens in potentia, quod à P. N. Augustino vocatur *prope nihil*. Hinc est quòd res denuò genitæ non sunt ex nihilo, nec ex ente in actu, sed ex ente in potentia, quod est materia prima Aristotelica.

Ad fundamentum nostri Medici Salmanticensis, dicendum quòd elementa in mixto non manent formaliter, sed virtualiter, ut dicemus, Deo dante, in lib. de Gener. dantur in mixto qualitates elementorum, nempe calor ignis, humiditas aquæ, siccitas aeris, & frigiditas terrę; sed non dantur formæ ipsę elementorũ. Hinc, dum mixtum resolvitur in elementa, dicendum, illa denuò generari. Quod si quæras causam immediatam, dicimus cum Cardinali Aguirre esse elementa circunstantia, quæ sicut sufficiunt destruere mixtum, valent ad introducendas suas formas in materia mixti. Et argumentum probat quòd datur corruptio sine generatione; nam contendit mixtum corrumpi, & nil de novo generari. Hoc autem impossibile est, quia natura non intendit malum, dum operatur; quare per se intendens generare novam formam in materia, destruit per accidens prę-existentem in communi subjecto formarum.

Sed demus totum argumentum, & quòd in mixto sint formaliter elementa: illa non sunt materia prima; quia elementum est compositũ ex materia, & forma elementali. Inde nec est ens in potentia, nec potest

esse subjectum novæ generationis. Audi S. P. N. Augustinum impugnantem Manichæos, cum Fausto docentes, omnia esse formata ex elementis, quæ sunt veluti materia, & subjectum generationis, & corruptionis. Dicit sic lib. 20. contra Faustum, cap. 14. *Si esset ibi mens quædam formans, & elementa corporea, quæ formarentur, illa elementa dicenda essent Hyle, id est materies, quam formaret eadem mens. Hoc si diceretis, non quidem multum erraretis, in eo quod est Hyle, nisi quòd ipsa quoque elementa, quamvis in alias formas formanda, tamen quia jam elementa sunt, & speciebus propriis distinguerentur, Hyle* (hoc est materia prima) *non essent, quia illa est prorsus informis.*

5. Hinc colliges, solam materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem; elementa verò posse fieri vel per generationem, vel per creationem, quare possunt desinere esse vel per corruptionem, vel per annihilationem. Pro sequela ista probanda, nota quòd nequit corrumpi, nisi quod potest generari. Et hinc fit quòd ea, quæ nequeunt deficere nisi per annihilationem, ut Angeli, & anima nostra, nequeunt fieri, nisi per creationem. Iam verò quòd elementa corrumpantur, patet dum ex aere fit ignis, ex aqua aer; quare elementa possunt fieri per generationé. An sic facta sint in primordio mundi, dicemus infrà. Quantum ad materiam patet esse incorruptibilem, si probemus eam esse ingenerabilem, & solùm posse fieri per creationem à Deo.

Probatur sic. Quod est primum subjectum generationis, non præsupponit aliud subjectum; alioquin non esset primum: sed quod non præsupponit aliud subjectum, nequit fieri ex præsupposito subjecto, & consequenter nec generari: ergo debet fieri ex nihilo, & sic creari. At materia est primum subjectum generationis, ut dicemus: ergo est ingenerabilis, & incorruptibilis; & sic solùm potest habere esse per creationem, & desinere per annihilationé. Ob id P. N. August. dicit materiam esse factam ex nihilo à Deo Creatore; imò quidquid fit ex materia per eductionem, & generationem, verè dicitur à Deo creatum, quoniam factum est ex materia, quæ à Deo facta est ex nihilo: quare vel mediatè, vel immediatè omnia ex nihilo facta sunt. Sic habet lib. 1. Gen. contra Manich. cap. 6. *Deus rectissimè creditur omnia de nihilo fecisse, quia formata de ista materia formata sunt; hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est.* Et libro 1. de Gen. ad litt. cap. 14. quòd materia est à solo Deo Creatore.

Verba S. P. sunt hęc: *Fides Catholica præscribit, & certissima ratio docet nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium non solùm formatarum, sed etiam formabilium, Inchoatore Deo, atque Creatore.* Ratio constat ex dictis. Quia nullum agēs, nisi Deus potest creare; reliqua enim agentia generant ex præsuppositō subjecto: sed materia non potest fieri, nisi per creationem; ergo non

potest

potest fieri nisi à Deo. Fides id præscribit, quia Deus est Creator omniũ, & omnia mediatè, aut immediatè facta sunt ex nihilo: sed ut diximus cum P. N. omnia facta sunt sic, quia materia ex nihilo facta est, & per creationem: ergo fides præscribit materiam esse à solo Deo Creatore.

§. II.

Traditur cum Arist. diffinitio materiæ, primæ, & confirmatur ex doctrina P. N. Augustini.

6. TVrpissimè erravit Almericus dicens Deum esse materiam primam, quoniam est causa prima in omni genere causæ. Qua ratione seduxit discipulum suum David de Dinando, ejusdemque erroris propugnatorem effecit. Hæc hæresis damnata est in Concilio Lateran. VIII. Eorum deceptio redarguitur 1. quia licèt Deus sit prima causa in omni genere, dicente perfectionem; secùs in genere dicente imperfectionem: at causa efficiens, & finalis, & exemplaris, dicunt perfectionem; causa verò materialis, & formalis, dicunt imperfectionem receptionis, & informationis; ergo Deo, in omni genere perfectissimo, convenit esse primam causam efficientem, finalem, & exemplarem; repugnat tamen esse causam materialem, aut formalem.

Rursus juxta P. Augustinum lib. de Natura boni cap. 18. Potentia receptiva sanitatis non continet actu sanitatem, potentia passiva ad scientiam, ex se non habet perfectionem scientiæ. At Deus actu continet omnem actualitatem, & perfectionem totius entis; ergo ei repugnat potentia passiva materiæ. Rursus licèt omnia creata facta sint à Deo, non autem ex Deo: sed omnia corporea facta sunt ex materia: ergo Deus non est materia ipsa. Tandem materia à Deo facta est, ut ostensum est §. antecedenti: sed quod factum est à Deo, non est Deus: ergo Deus materia non est. Dimisso hoc errore.

Quid sit materia prima explicandum est: sed non putes posse plenè explicari, aut ab auditoribus intelligi, nam P. N. Augustinus semper difficillimum censuit id explicare, & ideò lib. 12. Confess. cap. 6. dicit, se quidem rationibus naturalibus investigasse essentiam materiæ, & pervenisse ad suspicandum quid esset, non autem cognovisse; & quia ibi non quiescebat, fuisse sibi à Deo hanc quæstionem enodatam. Sic Deũ alloquitur. *Sed nosse cupiebam, non suspicari. Et si totum tibi confiteatur vox, & stylus meus, quidquid de quæstione ista enodasti me &c.* Vide dicta hic q. 2. §. 1. num. 1.

Oritur difficultas cognoscendi materiam, ex eo quòd quidquid cognoscitur directè, est ens actuale; quod verò indirectè cognoscitur, ut privationes, est nihil: at materia non est ens actuale, nec nihil, sed *prope nihil*, & veluti medium inter nihil & ens in actu: ergo nec directè, nec indirectè potest cognosci. Rursus diffinitio explicat quid sit res, per

genus,

genus, quod est ratio conveniendi, & per differentiam, quę est ratio distinguendi: sed materia, cùm sit pura potentia, non habet differentiam, quæ finitur ab actu: ergo diffiniri non potest, nec explicari, aut intelligi quid sit.

7. Hinc sicut Deus ratione summæ perfectionis diffiniri non potest, & explicatur melius negativè, dicendo quid non sit: sic materia ob suam potentialitatem, & imperfectionem nequit strictè diffiniri, & negativè explicatur quid sit à Philosopho per hæc verba 7. Metaphysicę text. 8. *Materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Non est *quid*, quia non est forma, aut actus formalis, à quo sumitur quidditas rei. Non est *quale*, quia materia est substantia, & qualitas est accidens. Non est *quantum*, quia realiter differt à quantitate, quæ etiam accidens est. *Non est aliquid* &c. quia nullam habet actualitatem de genere entis, quæ ens determinatur, sed est in genere entis pura potentia. Hæc diffinitio per negationem data ab Arist. defectuosa est, quia convenit nihilo, & non enti, ut patet; nec ullo modo insinuat quid sit materia prima.

Defectus istos correxit P. N. August. lib. 12. Confess. cap. 3. dicens: Materia *non est aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil.* Omisit P. Augustinus verba illa Arist. *Nec aliquid eorum, quibus ens determinatur*, quia superfluè addita, semel quòd de materia dicitur non esse *quid*, *quantum*, aut *quale*. Addidit *Non spiritus*, ad denotandum potentialitatem materiæ non esse spiritualem: Et ly *Non tamen omnino nihil*, ut denoteur materiam esse quid positivum, distinctum à nihilo, & privationibus: quare non est nihil sed *prope nihil*.

8. Diffinitur utcumque materia ab Arist. hic text. 82. sic: *Primum subjectum, ex quo aliquid fit, cùm insit, & non secundùm accidens.* Dicitur *subjectum ex quo*, vi cujus materia convenit cum elementis, quia ex elementis fit mixtum; sed ab eis differt per ly *primum*; quia elementa non sunt primum subjectum, cùm ipsa fiant ex materia, ut ex subjecto. Dicitur *ex quo aliquid fit*, ut distinguatur materia à causa efficiente, quæ non est *ex qua*, sed *à qua*: & à formali, quæ est *per quam*; & à finali, quæ est *propter quam* fit quidquid fit. Dicitur *cùm insit*, ut noteur, quòd materia manet in composito cum forma quæ fit ex materia, ad differentiam elementorum, quæ non manent formaliter in mixto, quod fit ex elementis. Dicitur *& non secundùm accidens* ad differentiam privationis, quæ solùm per accidens est principium *ex quo* fit ens: materia autem est principium ex quo per se fit, quidquid fit.

M. P. N. August. lib. 12. Confess. cap. 7. & 8. diffiniens materiam, eam vocat *Mutabilitatem capacem omnium formarum*. Hinc orta brevior, & clarior diffinitio materiæ ab omnibus admissa. *Est pura potentia*

in ordine ad formam. Vel *primum subjectum, eductivum formarum.* Omnia hæc in idem recidunt, quia idem est esse *primum subjectum*, ac *puram potentiam*, & *mutabilitatem capacem formarum.* Hoc totum juxta M.P.N. Augustinum non est *ens*, quia omne esse provenit à forma; & materia nō est forma. Nec hoc est *nihil*, quia in nihilo non est capacitas recipiendi formam; materia autem ita capax est: ergo materia est medium inter ens & nihil, ut docet Commentator, & est *prope nihil*, ut dicit P. N. Augustinus loco laudato cap. 7.

Observa in diffinitione Augustiniana primò, quòd materia est quid positivum substantiale: nam est capax omnium formarum: sed nihilū non est ita capax, ut patet, quia in nihilo nihil recipitur: ergo materia quid positivum est. Eodem argumento probatur esse quid substantiale: nam forma substantialis nequit recipi in accidentali potentia: ergo quia potentia materiæ, in qua forma recipitur, quid substantiale est. Observa secundò quòd verba Augustiniana nullum actum insinuant, sed meram potentiam. Nam dum P. N. dicit, quòd materia est *mutabilitas capax formarum*, totum esse materiæ ponit in capacitate, & mutabilitate ad formam; capacitas actualitatis, non est actualitas, nec mutabilitas actualitatum actualitas est, sed totum est capacitas ad actualitatem variabiliter recipiendam: ergo materia ex se solùm est pura potentia receptiva formarum amissibiliter, & variabiliter.

9. Restat videre quid sit hæc pura potentia? Pro explicatione nota, quòd potentia est duplex, una activa, alia passiva. Activa est ad dandum, vel agendum: passiva est ad patiendum, vel recipiendum. Potentia ergo materiæ non est activa, sed passiva, quia non est ad agendum, sed ad patiendum, nec est ad dare, sed ad recipere actualitatem, & esse ab alio.

Nota autem, quòd potentia passiva est duplex etiam, nempe objectiva, & subjectiva. Prima competit omnibus creaturis possibilibus, & omni effectui antequam producatur. Consistit hæc in mera non repugnātia ad essendum: Quare cùm alij mundi, ab isto diversi, non repugnent produci à Deo infinitæ virtutis, dicuntur possibiles, & habent potentiam passivam, ut producātur; ceterùm est merè objectiva. Ratio ultimi est, quia illa potentia passiva non fundatur supra aliquod esse productum, & existens, quod habeant alij mundi; sed merè dicuntur possibiles, quia sunt objectum Divinæ Omnipotentiæ; unde eorum potentia ad essendum, objectiva est. Potentia materiæ ad formam, est potētia subjectiva, quia fundatur supra entitatem materiæ, verè productam. An autem hæc entitas habeat aliquā actualitatem entitativam, metaphysicam, aut existentialem, dicemus infrà.

Quæres an hæc potentia materiæ sit distincta à materia? Affirmant pul-

plures citati à Villanova, sed negant cum B. Ægidio nostro reliqui cõmuniter. Placet distinctio, quæ in præsenti procedit N. Gavardi, distinguës in materia duplicem potentiam, unam radicalem & remotam, alteram proximàm & quasi formalem. Prima est entitas nuda materiæ; & hæc non differt à materia. Rursus ita materia recipit, sicut forma informat: sed forma per suam essentiam informat, & actuat materiam, ita ut vis informandi non differat à forma: ergo & materia per suam essentiam recipit formam, ita ut potentia receptiva non differat à materia. At potentia proxima receptiva, dicit materiam dispositam ultimò ad formam, quare addit dispositiones, quæ sunt accidens realiter distinctũ à materia. Sed observa quòd dispositiones non dãt materiæ potentiam receptivam, sed determinant indifferentiam materiæ ad omnes formas ut determinatè recipiat hanc, & nõ aliam: ergo potentia proxima materiæ differt à materia, sicut differt potentia determinata à se ipsa non determinata. Hæc distinctio non est quoad rectum constitutivum potentiæ, sed quoad obliquum; quia potentia determinata connotat dispositiones; potentia indifferens connotat carentiam dispositionum. Omittimus alia, quæ in sequentibus q̃q. plenè dillucidantur.

QVÆSTIO IV.

Vtrum materia includat in se actum entitativum?

§. I.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. PRIMA sententia docet, materiam non ita esse puram potentiam, ut nullum actũ entitativum includat. Ita Scotus in 2. Sentent. dist. 12. Pereira, Toletus, Suarius in Metaphysica disput. 13. sect. 5. quem plures sequuntur ex RR. Societatis. Traditur hæc opinio ab Henrico, & latè defenditur à nostris Ariminensi, & Lusitano. Probatur 1. Quia omne ens positivũ, vel est actus vel habens actum: sed materia est ens positivum, & non habet actum, cùm sit simplex; & omne habens actum, sit compositũ: ergo habet ratione sui actualitatem de linea entis, & sic habet actum entitativum.

Confirmatur. Omnis distinctio fit per actum: sed non solùm forma distinguitur à materia, sed materia distinguitur à forma: ergo materia habet actum entitativum. Secundò licèt materia habeat à forma esse formatum; non tamen habet à forma entitatem positivam, quam habet:

bet : ergo habet ratione sui actum entitativum, vel actualitatem entitatis. 3. Omne quod à Deo producitur, habet cum Deo aliquam similitudinem : sed materia est producta à Deo, & cum Deo actu purissimo non habet similitudinem pura potétia, quæ saltem non habeat actum entitativum : ergo materia illum habet. Hæc confirmatio sumitur ex D. Thoma q. 3. de veritate art. 5. ad 1. ubi dicit : *Licèt materia prima sit informis, tamen inest ei imitatio primæ formæ; quantumcumque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.*

Confirmatur 4. ex Avicena lib. 2. suæ Metaphysicæ ubi ait: quòd si forma esset causa per se ad esse materiæ, tunc destrueretur materia ad destructionem formæ, & per formã succedentem haberet esse alia materia. Et urgetur sic. Si materia habet à forma actum entitativum, & non ratione sui, sequeretur quòd per corruptionem formæ, corrumperetur entitas materiæ, & actualitas entitativa, quam materia habet à forma : sed hoc est falsum, cùm materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, ut suprà vidimus : ergo ratione sui habet actum entitativum.

Probatur 2. Eadem sententia à Merinero sic. Si materia non esset entitas actualis, & existens, sed potiùs esset pura potentia objectiva, sequeretur, materiam non esse unum ex principijs entis naturalis; item non esse partem compositi substantialis; item non esse subjectum trãsmutationum substantialium. Sequela patet, nam hæc munera non potest habere materia, quin sit entitas actualis per hoc quod sit purá potétia objectiva. Rursus sequeretur omnes productiones substantiales debere dici creationes, quia omnia fierẽt ex nihilo. Patet sequela, quia materia sine actu entitativo est nihil : ergo quod fit ex materia, fieret ex nihilo.

2. Secunda sententia negat materiæ actum entitativum. Ita omnes Thomistæ, & Ægidiani, quos sequitur N. Villanova hìc disp. 4. dub. 3. licèt brevissimè, quia quæstio multum habet de nomine, & res est ferè nullius momenti. Probatur 1. ex Arist. 1. Physic. textu 69. ubi docet, quòd materia ita se habet ad res naturales, sicut res naturales ad artificiales : sed res naturales ex se nullum includunt actum artificialẽ; ergo neque materia ullum actum naturalem ; actus autem entitatívus naturalis est. Accedit D. Thomas 1. p. q. 7. art. 2. ad 3. *Dicens quòd materia non existit per se ipsam in rerũ natura, cùm non sit ens in actu, sed potentia tantùm.*

A ratione probatur. Quia juxta Aristot. 9. Metaph. textu 1. ens dividitur in actum, & potentiam : ergo per hoc præcisè quod materia sit potentia, etsi nullum includat actũ, erit ens : sed materia ex se solùm habet quòd sit potentia, nullum includens actum. Et confirmatur. Membra dividentia rationem communẽ, sunt inter se opposita, ut includunt

rationem communem : sed actus & potentia dividunt rationem entis: ergo sunt ens, & inter se sunt oppositi. Sed nullum oppositorum includit aliud oppositum : ergo materia, quæ est potentia divisiva entis , nullum includit actum.

Confirmatur 2. Materia includens actum entitativum , vel ex se esset actus, vel faceret compositionẽ cum actu, quem includeret. Non ultimum , quia aliàs materia esset receptiva talis actus , & sic non esset primum subjectum receptivum formarum. Non primum : quia omnis actus vel est informans ; & hoc repugnat actui materiæ, sicut materiæ repugnat esse formam informantem. Vel esset actus per se subsistens ; & hoc etiã repugnat imperfectioni materiæ , quæ non potest æquare, aut excedere perfectionem formæ; excederet tamen materia , si esset actus per se subsistens, & forma esset actus per se informans. Ergo nec materia est actus, nec ullum includit actum.

§. II.

Nostra sententia probatur , & contraria fundamenta expenduntur.

3. NOSTRA sententia est cum communi Thomistarum; & quia in quæstionibus de voce, oportet prius voces explicare, dicam primò in quo omnes conveniunt. Omnes fatemur, qtiòd materia habet entitatem propriam , & à Deo productam , qua differt ab entibus purè possibilibus. Patet hoc ex quæst. antecedenti, ubi ex M. P. Augustino ostensum est, quòd materia est à Deo creata ; & quòd ejus potentia non est purè objectiva, sed subjectiva. Quòd si hoc appelles actum entitativum, ut vult, & suadere nititur Merinero suprà; nemo nostrum negat materiæ talé actum entitativum.

Fefellit sic loquentes hoc argumentum. Cuicumque potentiæ debet correspondere suus actus : sed materia ante productionem habuit potentiam objectivam ad essendum : ergo huic potentiæ correspondet aliquis actus : sed non alius, nisi entitas materiæ producta , ad quam erat in potentia ante productionem : ergo materia producta habet in sua entitate actum, & hic est entitativus. Hoc argumentum detegit quo sensu plures vocant actum entitativum entitatem materiæ productam : sed in eo à nullo Thomista , aut Ægidiano negatur.

Argumentum non suadet, entitatem materiæ productam debere dici actum entitativum, sed quòd sit actus relatè ad potentiam objectivã: at per hoc quòd materia producta sit potentia subjectiva in genere entis, est actus relatè ad potentiam objectivam : ergo non debet dici actus entitativus , sed potentia subjectiva. Et urgetur. Nam potentia objectiva est non repugnantia ad essendum : ergo potentia objectiva materiæ est non repugnantia ad essendum puram potentiam subjectivam ; sed hæc nõ

repugnantia reducitur ad actum, dū per creationem fit materia pura potentia ſubjectiva : ergo pro potentia objectiva non eſt neceſſarius actus entitativus, vel de genere entis.

Alij contendunt actum entitativum eſſe actu exiſtentiæ ; quæ ut probent materiam ex ſe habere actum entitativum, probant ex ſe habere propriam exiſtentiam. Sed de hoc ſenſu infra erit quæſtio, dum exiſtentiam materiæ exponamus. Nūc autem de n itate m t riæ ut diſtincta ſaltem per rationem à ſua exiſtentia , inquirimus ſit ne actus de linea entis , nec ne ? Reſpondemus negativè cum DD. ſecundæ ſententiæ.

Probatur 1. authoritate Plilo-ſopi 1. de Generat. cap. 12. dicentis : *Materia eſt poteſtate ens , & hoc ens ; ſimpliciter autem neque ens, neque hoc ens.* In hoc ſenſ loq it r de mater a P. Auguſt. 12. Confeſ. cap. 3. dicens : Materia *Non eſt aliquid , non color &c. non tamen omnium nihil.* Sed ſi in genere entis eſſet actus, foret al qu d in eo genere, & actu eſſet ens , no autem ſolùm poteſtate: ergo juxta Ariſt. & P. Auguſtinum materia non inc udit actum entitativum.

Confirmatu ex D. Thoma 1. contra Gentes cap. 43. ubi ait : *In rebus invenitur aliquid quod eſt potē-tia tantùm , ut materia prima; & aliquid quod eſt actus tantum, ut Deus ; & aliquid quod eſt actus, & potentia ut res cetcræ.* At ſi materia includeret actum entitativum , eſſet ſimul actus entitativus , & potentia ad formas, quare non eſſet potentia tātùm: erg &c. Hæ doctrina D. Thomæ deſumpta eſt ex conſid ratio e illa P. Auguſtini, Deo loquentis circa opera ab ipſo producta lib. 12. Confeſsionum cap. 7. ubi ait : *Tu Domine feciſti Cælum , & terram, duo quidem, unum prope te, aliud ro e nihil ; unum quo ſuperior tu ſolus eſſes ; aliud quo inferius nihil eſſet.* Nomine Cœli intelligit naturam Angelicam, nomi e terræ ateriam informem. Se ſi materia includeret actū ent tativum , non eſſet propè nihil; nec eſſet quo inferius nihil poteſt concipi; cùm pura potentia in genere entis ſit imperfectior quocumque actu ent tativo : erg x utroque S cto Doctore noſtro dice dum eſt ma teriam non habere actum entitavum.

Confirmatur ex N. B. Ægidio n Examerone p... cap. 1. d cente : *Pura potentia, ut vult Commentator 1. Phyſic. textu 75. & 78. eſt medium inter ens & nihil : non e m eſt ens , quia non habet eſſe ; & non eſt nihil , quia poteſt eſſe. Hoc enim dic t potentia, quod no eſt, ſed pot ſt ſſe: ratione qua non eſt, no eſt ns; ratione qua po teſt eſſe, non eſt nihil.* En qualit r, & quare materia eſt prope nihil, & differt ab ente , & à nihilo. Sed ſi haberet actum entitativum , haberet actu eſſe , & non eſſet pura potentia ad eſſe ; nec differret ab ente , nec eſſet medium inter ens, & nihil : ergo &c.

5. Confirmatur 3. ex N. Argentinate, allegante authoritatē Cō-

mentatoris 3. de Anima, ubi dicit de materia quòd est pura potentia in genere entium: ergo si materia ex se haberet aliquem actum, ille non esset de genere entium, sed de genere nihilorum. Ergo non esset actus entitativus, sed dicendus esset, si liceat, actus nihilativus.

Hæc confirmatio, sicut præcedentes, explicat quo sensu decidenda est quæstio de actu entitativo. Actus enim entitativus est actus de genere entis; quare dum quæritur, an materia habeat actum entitativum? Quæritur an habeat, vel sit actus in genere entis? Sed sic intellecto dubio, verior est sententia negans materiæ actum entitativum: ergo standō veræ intelligentiæ dubij, nostra sententia verior est. Probatur min. Primò, quia ens, quod dividitur in materiā, & formam, dividitur in actū & potentiam; actus correspondet formæ, & potentia materiæ: sed quod in genere entis est potentia, non est actus in genere entis: ergo &c. Rursus. Quicumque actus sit materia, ille non erit de genere entis juxta Commentatorem: ergo materia in sensu dicto non habet actum entitativum. Omittimus alia, quia in quæstione, quæ ferè est de voce, satis nobis erit loqui cum Aristotele, Commentatore, & SS. PP. Doctoribusque nostris, nec voces corrigendæ sunt ob solùm RR. placitum.

6. Ad fundamenta contraria quæ num. 1. posita sunt, respondemus facilè. Ad 1. dic materiam esse ens positivum habens actum, ab ipsa distinctum, quia nunquam fuit sine forma actuante, ut docet P. Augustinus, & ex ipso B. Ægidius loco laudato Exameronis. Hic autem loquendo de materia secundùm se independenter à forma, illa nec est ens, nec nihil, nec quid, aut aliquid simpliciter, ut ostensum est; ceterùm, quia hoc potest esse per formam, ideò est quid positivum potentiale; & est in genere entis potentia ad actum.

Ad primam confirmationem dic cum Argentinate nostro, eam oppositum probare; nam si materia esset actus in genere entis, non differret in eo genere à forma; cùm illa quæ conveniunt in ea ratione, qua conveniunt, non differant; tunc autem forma, & materia convenirent in esse actus de genere entis. Respondetur directè materiam, & formam in genere entis differre trascendentaliter per proprias entitates, & differentias oppositas actus, & potentiæ, quibus constituuntur, non autē differunt formaliter, quia differentia formalis sumitur ab actu. Vel dic juxta principia sequentis quęstionis, quòd materia differt à forma, non per actum, sed per carentiam privativam actus.

Ad secundam confirmationem dic, quòd materia ratione sui habet entitatem positivam: ceterùm hæc entitas in genere entis est pura potētia; unde non est actus entitativus, vel actus de genere entis, ut est forma, quæ entitativè est actus. Ad 3. respondet N. Argentinas materiam non habere similitudinem cum Deo,

quare non est in eo idea materiæ primæ. Hoc idem insinuat Ægidius N. & suadetur. Nam Deus solùm habet ideam factibilium: sed materia ratione sui non fit, nec creatur à Deo, sed concreatur: ergo ratione sui nõ habet in Deo ideam, sed ratione cõpositi. Sustineas, debes dicere quòd solùm compositum fit ratione sui; partes verò ratione compositi; unde ratione sui nec fiunt, nec in Deo habent ideam.

Meliùs solvitur admittendo materiam habere aliquam similitudinẽ cum Deo, ceterùm minimam in sola ratione analoga entis. Id docet D. Thomas in authoritate adducta inter arguendum. Nec istam negant DD. nostri, sed fatentur, in ponũt in Deo ideam compositi, constantis ex materia & forma. Accedit quòd materia est ens creatum, quod ratione sui est potentiale, & ratione formæ actuatur per esse: ergo in ratione universalissima entis, est Deo similis, & participatio Dei, licèt imperfectissima. Duo dicit materia, nempe entitatem, & potentialitatem: in primo est Deo similis; in secundo dissimilis; nec potentialitas ista addit supra entitatem materiæ aliquid positivum, sed carentiam actualitatis, quæ oritur ex imperfectione materiæ, sicut in nobis potentia peccãdi, quia facti sumus ex nihilo. Quare nec potentia peccandi, nec potentialitas materiæ, est à Deo, nec participatio, aut similitudo Dei: sed solùm id, in quo fundantur, nempe entitas.

Ad 4. dic eodem fundamento probari à RR. quòd materia habet propriam existentiam, quæ è infrà plenè discutietur. Interim dic, quòd materia in composito habet duplex esse; unum potentiale, & hoc est proprium materiæ, quod semper manet, licèt formæ varientur. Aliud est esse actuale, & hoc habetur per formam; ceterùm realiter distinguitur à materia, & est variabile per variationem formarum. Primum esse est ingenerabile, & incorruptibile, & sic entitas materiæ ingenerabilis est. Secundum est generabile, sed cùm distinguatur à materia, nõ reddit materiam generabilem, aut corruptibilem.

7. Ad secundum fundamentum Illustrissimi Merinero dicimus primò continere falsum suppositum. Supponit enim quòd si materia non est ens actuale, est nihil, vel pura potentia objectiva. Hoc tale dum est, & fuit capitalis error antiquorum Philosophorum, ut dictum est quæst. præcedente. Datur medium nempe potentia subjectiva. Imò nisi detur materia sic, non potest esse primum subjectum, nec cum forma facere unum per se; nam ex duobus entibus in actu non fit unum per se: ergo ut ex materia & forma fiat unum per se, debet materia esse ens potentiale. Ergo tantum abest quòd ex positione nostra sequantur absurda illata à Merinero, ut potiùs sequantur ex ipsius & aliorum positione. Dicimus 2. sequelas non tenere, quia non posumus materiam in pura potentia objecti-

va,

va, quia sic est nihilum, sed materia creata, quæ est ens potentiale, & potentia subjectiva.

Ad ultimam sequelam, concedo illam cum M. P. Augustino, allegato à nobis q. præcedente num. 5. nego tamen probationem Merineri, quæ supponit falsum, nam materia sine actu entitativo non est nihil, sed prope nihil: ergo quæ fiunt ex materia, fiunt ex prope nihilum. At juxta M. P. Augustinum omnia, quæ fiunt ex materia, fiunt ex nihilo, quoniam materia ex nihilo facta est. Hinc fit, ut sequela Merineri sit vera, sed probatio falsa.

QVÆSTIO QVINTA.

An materia includat actum metaphysicum?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. SICVT compositio ex materia & forma dicitur compositio physica, quia partes sunt Physicæ; ita compositio ex genere, & differentia, vocatur compositio metaphysica, quia genus, & differentia sunt potentia, & actus de linea metaphysica, & essentiali. Hinc est, quòd quærere de materia an habeat actum metaphysicum, sit quærer an includat conceptum aliquem differentialem. Nec sermo est de quacúque differentia: nam certum est materiam differre à forma: ergo per aliquam differentiam, quæ facit differre. At cùm hæc differentia possit esse actualitas positiva, nam juxta Philosophum *Actus est, qui distinguit*; vel possit esse quid negativum, ut eo ipso ens in nihilo, quo differt ab ente, sed non differt per actualitatem positivam, quæ in nihilo non est: ideò dubitatur, an materia differat à forma, & alijs, per actualitatem positivam, quæ est actus metaphysicus, an verò per carentiam talis actualitatis? Si dicas primum, habet materia actum metaphysicum; sin autem, non habet.

Prima sententia affirmat in materia actum metaphysicum. Ita Suarius in Metaphysica disp. 13. sect. 5. Peñafiel, Massius, Froylan, Palanco, & alij ex RR. Thomistis. Probat Froylanus sic. Quoties in aliquo reperitur vera differentia contractiva, & divisiva prædicati superioris univoci, in eo datur actus metaphysicus: sed in materia datur talis differentia: ergo in materia est actus metaphysicus. Min. probatur. Materia est pars potentialis compositi; unde per ly po-

potentialis contrahitur, & determinatur ratio communis pa t's: sed ratio partis est univoca ad materiam, & formam: ergo &c. Probatur min. Ratio partis simpliciter, & æqualiter participatur à materia & forma.

S. cum al quibus respondeas ra tionem partis non esse univocam ad materiam, & formam, qui materia non est pars si pliciter compositi; sed secundùm quid. Insurgit Illustrissimus Froylanus dicens hoc esse confugere ad monstruum in Metaphysica; & confugium hoc multis rationibus repellit.

2. Primò, quia nullus sine te_ri_a_e me_phy sica affirmare pot_ri_ mat_riam _on esse partem simpl_c_ter compositi substantialis. Secúdò compositum resultans ex materia & forma, est tale simpliciter: sed totum simpliciter tale, debet resultare ex partibus, quę sint partes simpliciter: ergo materia est pars simpl c ter compositi. Min. probatur. Nam esse to um simpliciter, est de g n r boni: sed bonum st x integr c usa; ergo totum simplic ter &c. Et rget r: qui na pars hominis est materialis, o us homo est ma erialis: ergo si una p_rs c_mpositi nõ est ars sim l c ter, totum comp st tũ o eri al simpl c er.

Tertiò, sic se habet m teria in genere physico, sicut terminus in gen re logico, vel di lectico; nam sicut m t ria in genere phys co est primum princip um, in quod fit ultima resolutio physica; sic terminus est primum princium, in quod resolvuntur omnia dialectica; sed terminus est pars simpliciter totius dialectici: ergo m eria est pars simpliciter totius physici. Quartò, in composito accidentali, v.g. *album*, materia accidentalis est pars simplicit r, & albedo, quæ est forma accidentalis est etiam simpliciter pars; ergo idem in composito substantiali. Patet consequentia, qui quod convenit formæ accidentali, non est negandum materiæ primæ.

3. Secundum fundamentum hujus sententiæ proponitur sic à Magistro laudato. Materia verè componitur ex gener, & differentia: ergo habet actum metaphysicũ. Probatur antecedens. Ratio pr nc p j naturalis per modum generis prędicatur de materia & forma: ergo &c. Probatur añs. Nam ratio principij præd catur de materia & forma, ut de principio activo, & passivo, quę differũt specie: sed aliunde prædicatur univocè: ergo &c. Minor probatur. Primò, quia ratio principij simpliciter, & æqual ter par icipat à ma er a, & forma. Secundò, quia dum Aristoles numerat principia ent s, æqualier o i a a eria , & formam. Tertiò, quia contra veram Metaphysicam est assere_e rationem n_turę nõ esse univocam ad m teri ,&form .

Tertium fundamentum ejusdem sententiæ est, quòd mater cœlest s, & sublunaris conveniunt univocè in rat o e m teriæ, & differunt specificè penes ordines diversos ad distinctas formas: ergo jai in materia secundùm se datur genus, & differentia, & sic datur actus metaphysicus. Confirmatur. Vtraque materia con-

ve-

venit genericè in ration ſubſtantiæ incom letæ potentia is ; rurſus utrãque convenit n ratioi e univoca corporis : ergo cùm aliunde 'i eran ſpecificè , differunt per ſuum actum metaphyſicum.

4. Fortiùs eadem ſententia ſuaderi po eſt ſic. Qui quid conſta ex g ner , & differentia , habet actũ m aphyſicum : ſ d ateri o ſtat ex genere, & differentia : ergo &c. Minor probatur primò. Quidquid diffinitur, conſtat ex genere,& differentia , cùm diffinitio ex talibus conſtet ; ſed materia diffinitur à Philoſopho, ut vidimus quæſt. 3. ergo. Secundò. Quidquid habet realem unitatem, habet realèm diſtinctionẽ ab alijs : ſed quidquid ab alio realiter diſtinguitur,habet realem actum metaphyſicum,qui diſtinguit : ergo idẽ. Tertiò. Vel ra io puræ potentiæ diſtinguit materiam à forma,cum qua co ve it in ratione ſ bſtantiæ ; vel non di nou t. S non di nou t; ergo nil habet mate ia,per quod diſtinguatur à forma. Si diſtinguit : ergo eſt actus metaphyſicus, & differen ia diſtinguens.

Confi ma ur 1. I plic quòd materia diſtinguatur à forma per carentiam actual tat s metaphyſicæ:ergo ſi aiſtingu tur, a ff rt r poſitivũ actum metaphyſicum. Antecedens probatur. Materia poſitivè differt à fo ma ; ſed carentia actualitatis metaphyſicę, cùm ſit privatio., & non ens, nequit poſitivè diſtinguere materiam à forma : ergo &c. Probatur maj. Diſtinctio poſitiva eſt quæ tur inter duo en ia poſitiva: ſed materia & forma ſunt du ent poſtiva, ut patet : ergo poſitivè differunt.

Co firmatu 2. Id quod ſtingu it ſſentialiter ma e iam à for a , conſtituit in rinſecè entita em m e rię ; am conſtitutivum, & diſtinctiv m em ſunt : ſe pr vat o actus metaphyſ ci nequit intrinſecè conſtituere entitatem poſitivam materiæ : ergo nec diſt ouere illa à fo ma; Minor patet, qui priv io,vel carẽtia entis,nequit conſtituere ens. Tertiò,juxta P il ſop um . *Actus eſt qui diſtingu.t* : ſed priv o actual tat s metaphyſicę non eſt actus,ſed carentia actus : ergo nequit materiã à forma diſtinguere.

Quartò.Dum a eri a terminat productionem, actualiter diff r à nihilo ; ergo x ſe habet actualitatem ſſentiæ, ſine qua actualiter à nihilo n n di ferret.Quin ò. Pr v tio eſt carent a form ę i ſubj cto cap ci : ſed m.teria ſine actualitate eſſentiæ on eſt capax actuali atis formæ : ergo habet ex ſe talem actualitatem. Probatur min. Quod non habet actuali at in eſſentiæ, eſt nihil actualiter,& quoad eſſentiam : ſed in nihilo non eſt capacitas actualitatis formæ :ergo &c. Tandem. Omnis potentia ſpecifica r ſtiy e ordinem ad actũ: ſed materia reſpicit formam ſubſtantialem ut actum: ergo habet poſi ivã actualitatem per ordinem ad formã.

Secunda ſententia negat materiæ ſecundùm ſe omnem actualitatẽ metaphyſicam, conte dens materiam ff rre à fo a per carent am priva

ti-

tivam actualitatis. Ita Bajona, Aguirre, & alij ex Thomistis. Ex nostris Villanova hic disp. . dub. 1. addēs hanc sententiam esse Arist. P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij.

Probatur 1. authoritate Philosophi 1. de Gener. text. 12 dicentis: *Materia est p estate ens, & hoc ens, simpliciter autem non quid ens, neque hoc ens.* Ex quo sic. Quidq id habet differentiam positivam, qua constituitur distinctum à nihilo, & alijs entibus, est actualiter ens, ut patet de forma, & composito: sed juxta Philosophum materia non est actualiter ens, nec hoc ens: ergo non habet actualitatem, & differentia sit vā. Vrgetur. Quidquid habet differentiā positivam; habet unitatem specificā, vel numericam, quę per differentiam constituitur: sed Philosophus negat unitatem specificam, & numericam materiæ, dicens no esse *Ens, neque hoc ens*: ergo de mente ejus materia non habet differentiam positivam.

Probatur 2. ex D. Thoma 1. par. q. 105. art. 1 ad 2. dicente: *Materia prima est pura potentia sicut Deus est actus purus.* Sed Deus est actus purus, ita ut non habeat potentialitatem metaphysic : rgo materia sic est pura potentia, ut non habeat actualitatem ullā metaphysicā. Observa quòd ly *sicut* non dicit plenam paritatem: Nam Deus sic est actus, ut nec habeat rationē sui potentialitatem; nec ratione alterius possit illam habere. At materia ratione alterius, nempe formę, potest habere actualitatem. E quia hoc

posse est perfectio, licèt remota, & in ratione analoga entis; ideò materia sic potens, & aliqu m d similis analogicè Deo actualissimo, à quo hanc similitudinem in ratione e is participat, ut dictum est quæst. 4. num. 6.

6. Probatur 3. à ratione. Omnis actualitas metaphysic sumitur ab actualitate physica: sed in materia núlla est actualitas physica, ut cōstat ex dictis q. 4. & consabi ex dicendis; idque fatentur Thomistæ nobis hic contrarij: ergo in materia non est actus metaphysicus. Probatur maj. Omnis potentialitas metaphysica sumitur à potentialitate physica; quare juxta Arist. *Genus sumitur à materia*; & in Deo, ubi non est potentialitas physica, no est genus; in Angelis autem, si genus est saltem improprium, est aliqua potentialitas physica, nempe in ordine ad existentiam, vel sublistentiam: ergo &c.

Confirmatur 1. Materia p suam essent ā st pot t a: sed quod essentialiter, & per suam essentiā, est potentia, non potest dicere essentialiter aliquem actum: ergo nec habere actum essentialem metaphysicum. Major docetur à Commentatore cap. 1. d Substantia orbis dicente, quòd materia substantificatur per posse, & quod posse est ejus essentialis differentia. Constat item ex divisione entis in actum & pote iam, materia autem cōtinetur nomine potentię sub ente. Minor est certa, nam nulla essentia constituitur per oppositā, ut sunt

actus, & potentia : ergo quod essentialiter &c.

Confirmatur 2. Materia secundùm se totam recipit formam: sed si includeret actum metaphysicum, non reciperet formam secundùm se totã: ergo idem. Probatur minor. Materia recipit formam, quatenus est potentia passiva: sed si haberet actum metaphysicum, non esset secundùm se totam potentia passiva, sed partim esset potentia, partim esset actus: ergo &c.

Tertiò, illud est differentia essentialis materiæ, per quod materia constituitur membrum divisivum entis: sed ens dividitur in materiam, & formam, ut in potentiam & actum: ergo sicut differentia formę est actus, ita differentia materiæ est potentia. At potentia non est actus metaphysicus, aut physicus: ergo differentia materiæ non est actus metaphysicus.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

7. NOSTRA conclusio erit cum DD. secundæ sententiæ, quoniam expressior habetur in P. N. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio, & conformior est dictis, & dicendis de materia prima. Dicimus ergo quòd materia non differt à forma, & alijs, per differentiã positivam, quę sit actus, ut homo differt per rationalitatem ab equo; sed distinguitur per carentiam privativã actualitatis metaphysicæ, & physicę: quo fit, ut materia non habeat speciem positivam, quæ constituitur per differentiam positivam; sed habet speciem privativam, quia ejus unitas specifica est carere omni specie. Eisdem ferè verbis traditur hęc conclusio à Commentatore in de Substantia orbis cap. 1. dicente quòd carere omni specie, est sibi pro specie.

Probatur 1. ex P. N. August. lib. 12. Confess. cap. 3. ubi de materia dicit, quòd est *Quædam informitas sine ulla specie*: sed si haberet actum metaphysicum differentialem, haberet speciem constitutam per illum, cùm species constituatur ex genere, & differentia: ergo juxta P.N. August. materia non habet actũ metaphysicum.

8. Dices cùm M. Palanco, & alijs, materiam non habere speciem physicam, benè tamen metaphysicã; non hanc, sed primam negat materiæ P.N. Augustinus. Ceterùm hæc expositio facilius impugnatur, quàm defenditur. 1. quia si materia haberet speciem metaphysicam, haberet genus, & differentiam; unde esset cognoscibilis non minus, quàm alia entia per genus & differentiam cognoscuntur, & diffiniuntur: sed juxtà P.N. August. 12. Confess. cap. 5. materia non cognoscitur nisi ignorando, & ignoratur noscendo; quod est nõ esse cognoscibilem juxta phrasim Augustinianam, ut egregiè N.B. Ægidius explicat in Examerone cap. 3. ergo juxta P. N. Augustinum materia

ria non habet ſpeciem metaphyſicã.

Explicatur. Juxta P. Auguſtin. lib. 12. de Civit. Dei cap. 7. *Species intelligibiles mens noſtra intelligendo conſpicit; ſed ſi deficiunt ſpecies, illa neſciendo condiſcit.* Sed juxta eundem ubi ſuprà, materia ignorando noſcitur, & neſciendo condiſcitur: ergo quia in materia ſecundùm ſe non eſt ſpecies intelligibilis. At ſpecies metaphyſica ex genere & differentia cõſtans, eſt intelligibilis, ſicut & diffinibilis: ergo juxta S. P. Auguſt. in materia non eſt ſpecies metaphyſica.

Ob hæc S. P. N. vocat materiã inviſibilem ad illa verba Geneſis 1. *Terra erat inanis, & vacua*, & ut alia littera habet, *Inviſibilis, & incomposita*: Nomine terræ materiam intelligens. Nam ſicut tenebræ videntur à nobis, dum non videtur lumẽ; & ſilentium auditur, dum non auditur ſonus; quare non videndo vidẽtur tenebræ, & non audiendo ſonum, auditur ſilentium: ſic dum intelligimus quid informe, quod eſt ignorare formam, cognoſcimus aliquomodo materiam: & è contra dum noſcimus quid formatum, ignoramus materiam.

9. Secundò juxta P. Auguſtin. lib. de Natura boni dicendum eſt, *Materiam per nullam ſpeciem, ſed per privationem omnis ſpeciei cogitari vix poſſe*: ſed ſi haberet ſpeciem metaphyſicam, poſſet æquè benè cogitari, ac alia entia; nec opus eſſet, immò eſſet repugnans cogitare materiam cum privatione omnis ſpeciei; alioquin eſſet privata omni ſpecie, & haberet ſpeciem metaphyſicam: ergo juxta S. P. non habet materia ſpeciem, adhuc metaphyſicam.

Tertiò juxta S. P. N. materia *Non eſt aliquid, non color, &c.* ut dictum eſt quæſt. 4. num. 7, quæ verba ſunt etiam Ariſtotelis 7. Metaphyſicæ textu 8. dicentis: *Materia non eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Sed ſi haberet actum metaphyſicum, & ſpeciem metaphyſicam, eſſet *quid* in ſpecie metaphyſica determinata; haberet actum, quo determinaretur ratio entis communis ad materiam, & formam; nec eſſet *prope nihil*, ut dicitur à P. Auguſtino, ſed diſtaret à nihilo per genus entis, & per propriam differentiam, ut reliqui enti: ergo materia de mente utriuſque non habet ſpeciem metaphyſicam, nec metaphyſicum actum.

Quartò audi S. P. Auguſt. 12 Confeſſ. cap. 12. ubi conſiderãs duo, quæ fecit Deus, unum formatum, empyreaturam Angelicam; aliud informe, ſcilicet materiam primam, dicit iſtum ſignificari illis verbis Geneſ. 1. *Terra erat inviſibilis, & incomposita*; Et ſubdit: *Quibus verbis inſinuatur informitas materiæ, ut gradatim excipiatur, qui omnimodam ſpeciei privationem, nec tamen ad nihil perventionem, cogitare non poſſunt.* En ex ſacris litteris probatur juxta M. P. Auguſt. materiam ita eſſe informem, & inviſibilem, ut habeat omnimodam privationem ſpeciei, nec tamen perveniat ad eſſe nihil. At ſi haberet privationem ſolius ſpeciei

physicæ, non haberet omnimodam privationem speciei; nec esset periculum perveniendi ad nihilum; nam ab illo distaret tum per rationem communem entis, tum per differentialem actum metaphysicum: ergo ex sacro textu juxta expositionem P. Augustini tenendum est, materiam non habere speciem metaphysicam, nec actum metaphysicum.

10. Hæc est etiam mens D. Thomę 2. de Anima textu 2. & 8. Metaphysicæ cap. 1. ubi ait: *Materia prima dicitur esse una, non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate formæ, sed per remotionem omnium formarum.* En ratio pro nobis. Ab eodem principio habetur unitas specifica, ac differentia; quia per differentiam constituitur res una & indivisa in se, & divisa à quolibet alio: sed unitas materiæ non est positiva, sed negativa, desumpta à carentia & remotione omnium formarum: ergo ejusdem differentia non est actualitas positiva, sed negativa, consistens in carentia privativa omnis actualitatis.

Si dicas S. Thomam excludere à materia unitatem positivam physicam, non metaphysicam: & de hac est quæstio. Contra: nam non stat actualitas metaphysica sine actualitate physica, ut num. 6. probatum est: ergo nec unitas metaphysica sine physica. Præterea juxta D. Thomam unitas materiæ sumitur à remotione omnium formarum: sed à remotione tali nequit desumi unitas, & actualitas metaphysica: ergo unitas materiæ juxta D. Thomam positiva non est, sed privativa. Probatur minor. Carere omni forma, & actu physico non est prædicatum positivum adhuc metaphysicè, sed negativum: at unitas, & actualitas metaphysica est prædicatum positivum: ergo à remotione omnium formarum, quod est carere omni forma, nequit desumi &c.

Noster B. Ægidius ubique docet hanc sententiam, sed præcipuè in Examerone parte 1. cap. 3. ubi exponit authoritates suprà inductas P. N. Augustini: & ibidem cap. 6. ubi approbans assertum Commentatoris suprà allegatum, dicit de materia, quòd *carere omni specie est sibi pro specie, idest pro sua substantiali differentia, quia per hoc substantialiter differt ab omnibus alijs.*

11. A ratione probatur conclusio nostra. Illa solùm differentia debet concedi materię primæ, quæ sufficienti modo distinguat materiam ab omni eo quod non est materia: sed sine actualitate metaphysica positiva, per solam carentiam privativam omnis actualitatis, differt materia ab omni eo, quod nõ est materia: ergo non habet actũ metaphysicũ, nec speciẽ positivã, sed negativã. Major patet, tum ex doctrina contrariorũ, qui solũ ponunt in materia actũ metaphysicum, ut eam distinguant ab omni eo quod nõ est materia. Tum & præsertim, quia cùm materia sit pura potentia, solùm debet illi concedi actus requisitus

tus, ut d ſtinguatur ab alijs. Minor probatur: Quidquid non eſt materia, eſt forma, vel compoſitum, vel accidens, vel creatura poſsibilis, vel nihilum: ſed materia differt ab omnibus iſtis ſufficienter p_r carentiam _riv_tivam omnis actualitatis : ergo &c. Minor probatur per ſingula.

In primis differt à forma, & compoſito ſubſtantiali, habentibus actualitàtem metaphyſicam; ſicut nihilum differt negativè ab ente per carentiam entitatis. Rurſus differt ab accidentibus, habenti us ſuas actualitates met phyſicas, quibus carer materia. Differt etiam à nihilo; quia licèt nihil, & materia conveniãt in ca_re actualitate; differunt, quia materia eſt capax recipiendi actualitatem formę, cujus non eſt capax nihilum: unde carentia actualitatis in nihilo eſt negativa, in materia autem eſt rivativa, quia eſt carentia formæ in ſubjecto capaci.

Differt andem à creaturis poſſibilibus, tum quia creaturæ iſtæ ſunt nihil extra Deu ; a ia utem nihil non eſt, ſed *prope nihil*: quare ſicut materia differt à nihilo per privationem actualitatis, ſi etiam à cr aturis poſsibilibus. Tum etiam, quia potentia ad eſſendum in creaturis poſſibilibus eſt purè objectiva, conſiſtens in non repugnantia ad eſſendum; po tentia autem materiæ eſt ſubjectiva: unde in materia datur ſtricta priv - tio actualitatis metaphyſicæ, quę non datu in creaturis poſsibilibus; quare p_r il ar privationem ſ is differ_ ab _is, ſicu_ à _uocum u _d ma ria non eſt.

Confirmatur. Ma_eri juxta S. P. Auguſtinum eſt prope nihil : ſed ſi haberet actualitatem metaphyſicã, non foret prope nihil : ergo juxta P. Auguſtinum materia non habet actum metaphyſicum. Minor probatur. Materia ſic eſt prope nihil, ut non ſit da ile in inea entis aliquid inferius materia, ut enim S. P. dicit 12. Confeſsionum, Deus ſic fecit materiam, ut eſſet id, *quo inferius nihil eſſet* : ſed ſi haberet actum metaphyſicum, non foret id, quo inferius nihil eſſet : ergo non foret prope nihil. Probatur m nor. Quod minus d ſtat à nihilo, illud eſt inferius in genere entium : ſed quod caret actu metaphyſico minus diſtat à nihilo, quàm materia habens actum metaphyſicũ: ergo ſi materia haberet &c. Major patet, & minor eſt certa, nam minus diſtat à nihilo id, quod taliter eſt pura potentia ut nullum includat actũ, quàm q od eſt potentia includens actualitatem. Hinc eſt quòd cùm materia ſit magis prope nihil dum c ret actu me_aphyſico, quàm habẽs actum ; debemus pone_e materiam ſine tali actu, ut e_m _n mus_ro e nihil, plenè informem, & qua inferius nihil ſit, ut docet M.P.N. Auguſtinus.

12. Ex dictis colliges quòd materia non habet unitatem ſpecificã poſitivam, ſed negativam, ut expreſsè doc nt de mente D. Th _ e Complutenſes in Philoſophia diſp. 3. q. 3. §. 2. ratio eſt, quia ſpecies conſtituitur per differentiam, quæ eſt actus metaphyſicus : at m_teria o_ habet actum

actum metaphysicum, qui distinguat eam à nihilo,& ente; sed distinguitur ens primum actus privativam: ergo ejus species negativa est,non positiva. Observa quòd materia in opposito habet duplicem unitatem specificam; unam negativam; & hæc est intrinseca conveniens materiæ ratione suæ entitatis; alteram positivã derivatam à forma informante: ceterùm hæc est extrinseca materię, & variabilis,sicut & esse formale quod à forma recipit materia.

In alio sensu potest explicari unitas specifica materiæ sic. Est unum negativè,quia non habet principium unde sit multiplex specificè. Aut non est una positivè,quia non habet differentiam specificam positivam, qua in determinata specie constituatur. Quod dictum est de unitate specifica,intellige de unitate numerica,quæ sumitur à differentia individuali,quæ actus est, & quo caret potentia materię secundùm se. Quare materia secundùm se est una numero negativè,quia secundùm se non habet principiũ numericę multiplicationis: sed non est positivè una numero. Maximè cùm multiplicatio, & distinctio numerica in materia, oriatur ex divisione portionum materię;quę divisio oritur à quantitate, ut dictum est libro 6.Logicæ q.5.

*****

§. II

Expenduntur fundamenta sententiæ contrariæ.

13. REstat solvere fundamenta contraria, quæ posita sunt num.1.Ad primum dic solutionem datam ibi esse optimam, nam ratio partis est analoga ad materiam, & formam; quia forma est pars simpliciter, materia autem est secundùm quid pars compositi naturalis. Hinc fit, ut ratio partis non sit genus ad utramque; nec *potentialis* fit differentia specifica contrahens rationem partis. Nec hoc est confugere ad monstrum in Metaphysica, ut contendit Illustr.Poylan, sed stat confugere ad doctrinam Magni P.Augustini & Thomisticam,ut patebit ex solutione objectionum quas parum conseqüenter congerit laudatus Magister. Illę habentur num.2.

Ad 1.replicam dic nullam esse veritatem metaphysicam in negãdo materiam esse partem simpliciter compositi substantialis. Ut enim docet B. Ægidius in 2. Sent. dist. 1. p. 1.q.6.art.1.§.*Secunda via*: materia non habet esse simpliciter, sed secundùm quid; & ut ait P. Augustin. est *prope nihil*; ac juxta D.Thomam 1. contra Gentes cap.43.materia est potentia tantùm ad esse. Ergo materia non dat composito se simpliciter, sed esse secundùm quid. Patet consequentia, quia nemo dat quod non habet. At materia & forma, quo modo sunt

sunt par s,quo dãr sſe cõpoſito; nã esſe c~poſi.i habetur à partibus cõponẽtibus: ergo ſtãdo veræ doctrinæ Auguſtinianæ,& Thomiſticæ, dicẽdũ eſt materiam non eſſe partem ſimpliciter compoſiti ſubſtantialis.

Ad 2.concedo quòd totum reſultans ex materia,& forma, eſt tale ſimpliciter : nego autem conſequentiam,quæ non valet ad partes omn s compoſiti. Et inſtatur. Nam totum ex materia & forma eſt ſimpliciter actuale actualitate phyſica:ergo omnes ejus partes ſunt ſimpliciter actuales actualitate phyſica ? Hanc conſequentiam negabit Froylanus,& quicumque Philoſophus,tenens materiã primam eſſe puram potentiam in genere phyſico. Ergo nec valet conſequentia nobis objecta. Sicut ergo compoſitum ſubſtantiale eſt ens ſimpliciter actuale ; nec petit quod omnes partes ſint actuals,ſed quod non ſit potentia, alia actus ; alioquin reſultaret ens per acc dens , ſi fieret ex duobus entibus in actu. Sic totum eſt ta e imp iciter,licèt omnes ejus partes non ſint ſimpliciter tales : imò ſi forent, non reſultaret totum ſimpliciter,& per ſe, ſed per accidens. Nec probatio Froylani valet contra nos, quæ inſtatur pariter : nam eſſe qu d actuale eſt de genere boni ; & bonũ eſt ex integra cauſa ; quare ſi aliqua pars compoſiti non eſt ens in actu, compoſitum non erit ens in actu. Vide quàm mala eſt conſequentia iſta; nec meliorem putes, quæ nobis objicitur.

14. Dicendum quòd eſſe ſimpliciter & actuale compoſiti petit integram cauſam: at cauſa hujus bonitatis eſt compoſi~ ex actu & potentia, ex parte ſimpliciter , & parte ſecundùm quid : quia ſi ambæ partes ſint actuales,non reſultabit unũ per ſe, ſe per accidens,&ſecundùm quid. Sic totus homo eſt intellectivus, licèt una pars, nempe corpus nõ ſit intellectiva ; eò quòd intellectivum humanum non eſt ſimplex ut Angelicum , ſed compoſitum ; nec petit omnes partes eſſe intellectivas, ſed unam intellectivam , & aliam, quę non impediat, ſed adjuvet intellectivam. Homo non dicitur ſpiritualis ſed materialis ; non præcisè, quia aliqua pars ejus materialis eſt; ſed quia impedit,& non adjuvat ſpiritualitatem animæ.Cùm ergo potentialitas materiæ non ob et, ſed adjuvet actualitatem formæ,ut ſimul unitę dent actualit te , & ſi ſimpliciter compoſito; ideò hoc eſt tale ſimplic ter,& actuale, licèt aliqua pars ne actualis , nec talis ſimpliciter ſit.

Ad 3. re licam Froylani dic, quòd ly *ſicut* dicit aliqualem paritatem, ſed non plenam. Termini ſunt prima principia artefacti Dialectici, ut in Summulis propugnavimus c m Doct.Noſtro,&nunc concedimus : at aliter materia, & forma ſunt principia entis ſubſtantialis. Alietas eſt, quia ex vocibus nulla ex ſe eſt ſubjectum, aut prædicatum,quę ſunt materia,& forma propoſitionis ; unde intellectus eſt qui determinat quænã ſubjectum ſit, quænam prædicatum.

Quo

Quo fit, ut cùm ex se sint indifferentes ad utrumque, ex se sunt æqualiter principia artefacti. At materia ex se est potentia; forma ex se est actus: cùmque ad hoc non sint indifferẽtes, sed determinatæ per suas entitates, per easdem sunt inæquales in principiando compositum naturale. Adde quòd compositum substantiale petit fieri ex potentia, & actu simpliciter talibus, quo fit ut non petant uniri unione distincta. At subjectum, & prędicatum uniuntur copula ab eis distincta, quia non sunt per se actus, & potentia in genere logico; sed per accidens beneficio intellectus determinantis, quis terminus sit subjectum & potentia, quis prædicatum, & actus.

Ad 4. concesso antecedẽti, nego consequentiam. Quia potiùs sequitur oppositum ex antecedenti. *Album* est concretum accidẽtale ex subjecto, & albedine, quorum utrumque est ens in actu, & pars simpliciter dans actualitatem illi concreto: ceterùm quia ex entibus in actu non fit unum per se; ideò concretum illud est unum per accidens. At compositum substãtiale est unum per se, & simpliciter: ergo petit oppositum, nempe quòd una ex partibus sit potentialis, & non sit simpliciter pars.

15. Hæc diximus, ut solutionem aliorum teneamus: at facilij solvi potest argumentum admittendo quòd ratio partis, substantię, principij sit ratio communis, & vel tí generica; quod revera non est, quia inæqualiter participatur per materiã, & formam. Sed cedamus contentioni distinguendo majorẽ arg. mẽ i. Quod constat ex genere, & differẽtia, habet actum metaphysicum; si differentia sit positiva, concedo maj. si sit negativa, nego maj. & sub eadem distinctione nego min. Nam ratio *potentialis*, quæ est differentia materiæ, contrahens rationem partis, substantiæ, & principij, sicut contrahit rationem entis, non est differẽtia, & prędicatum positivũ, ut rationalitas in homine; sed negativum consistens in carẽtia privativa actus omnis physici, & metaphysici, ut probatum est §. præcedenti. A carentia privativa actus metaphysici nõ est actus metaphysicus, patet: ergo differentia materię non est actus metaphysicus. Probatẽd bant contrariũm habere differentiam positivam, quę sola est actus metaphysicus dans unitatem positivam: sed hoc non habetur in rationibus eorum.

16. Ad 2. fundamentum Mag. Froylani; positum num. 3. respõdemus cum D. nostræ sent. negando quòd ratio principij sit genus ad materiam & formam, & de eis prędicetur univocè. Vide quęst. 1. hujus lib. num. 17. doctrinam B. Ægidij de duplici genere, quo materia & forma sunt inæqualiter principium entis. Ex ibi dictis, & in solutione præcedentis fundamenti, nego primã probationẽ minoris. Ad 2. dic, quòd licèt Aristoteles æquè numeraverit materiam, & formam inter principia, non sequitur esse æqualiter principia entis; nam æquè numeravit privationem etiam; cùm privatio non æquè sed per accidens principiet fieri entis. Ad 3. dic, quòd

quòd non est contra veram metaphy sicam negare rationem naturę esse univocam materiæ,& ita mò vera metaphysica id docet: Nam cùm natu a sit pri ci m radicale a tivũ motus, & quiet s; materia quę ex se est principium passivum, & solùm ratione formę est principium activũ in cõposito,inæqualiter, & analogicè participat ra ionem naturæ.

Respondemus 2.ad to um fundamentum, quòd licèt ratio principij admittatur un voca ad materiam, & formam,& sic genus; at contrahitur ad materiam per differentiam negativam, quę materiam constituit in sola spec e negativa. Patet, quia materia est principium passivum, & per o- dum puræ potentiæ. A hoc o um nõ est actus metaphysicus, sed arentia privativa totius actualitatis: ergo ex toto fundamento objecto l probatur pro actu metaphysico.

17. Ad 3.fundamentum positum num.3.dicimus pr ò nil robare contra nos, qui quæst. seq en i defendemus de mente P. Augustini materiam cœlestem, & sublunarem esse ejusdem speciei. Sed demus differre specificè;dic mus differre specie negativè, non aut m specie positiva. Patet ex contrariorum doctrina;quia differunt p nes diversos ordines ad actum; sed ordo ad actum non est actus, sed potenti ,& c rentia privativa actualitatis: ergo differentia utriusque materiæ non est actus metaphysicus. Observa quòd talis ordo est quid positivum transcendentaliter quia est entitas materię, quę positiva

est.At non est formaliter quid po ti vum,quia est pura potentia ad formã à qua ola habe ur ctual tas physica, & metaphysica.

18. Ad l a fundamenta po sita num.4.respondemus, & ad primũ dicimus 1.quòd materia non constat ex genere &differentia,licèt distinla- tur per esse *primum subjectum ex quo* &c. uia ly *subjectum* quod est genus n est univocum, se nalogum a m ter a recip ent m fo as, & d compositum quod est subjectum accidentium. Admisso quòd ratio subjecti nivoca sit; dicimus q ò iffe- rentia st positiva, sed negativa. Quia differentia est ly *primum*: sed ly primum dicit caren iam adhuc primæ actualitatis,cujus materia est primum subjectum receptivum: ergo ly primum non e dif er n ia positiva, sed negativa; & sic non est actus metaphysicus.

Ad 2.dic mus quòd m eria est ens positivum,sicut & forma,& ab ea distingu ur posi ivè transcendentaliter, & habet uni atem transcendentalem positivam: quod totum venit ab entitate materiæ,quæ positiva est. At hìc est quæ tio de unit a e, & distinctione formali, & specifica; quæ desumitur à differentia,specifica positiva; quam cùm non habeat materia, unicè differens à forma negativè formaliter per c rentiam pri ti a actualitatis; ideò ex distinctione positiva transce dentali materiæ à forma, non probatur actus metaphysicus,sed entitas positiva potentialis. Ad 3. dic quò ratio potentiæ distinguit mate-

riam à forma, sed non est actus metaphysicus, quia non distinguit positivè, sed negativè.

19. Ad 1 confirmationem dic, quòd materia dupliciter distinguitur à forma, nempe positivè transcendentaliter, & negativè formaliter, prima distinctio non sumitur à carentia privativa actualitatis, ut benè probat argumentum; sed ab entitate materiæ, quæ positiva est. Secunda sumitur à tali carentia, quia est distinctio formalis purè negativa.

Ad 2. confirm. ic, quòd privatio actualitatis sicut non distinguit transcendentaliter materiam à forma; sic nec constituit entitatem materiæ. At quia distinguit negativè formaliter materiam à forma, ideò constituit speciem materiæ, quæ ideò negativa est, & non positiva. Privatio benè potest, imò debet cõstituere speciem negativam, quæ nequit constitui per quid positivum; sicut nec species positiva per negativum, au non ens. Hinc ad 3. confirm. dic, quò actus est qui distinguit positivè formaliter, cetrùm carentia actus distinguit formaliter negativè. Sic carentia hominis differt formaliter à carentia equi; sed non per actum, sed per diversam carentiam actus. Distinctio specifica materiæ à forma est formalis negativè; ideo non ab actu, sed à carentia actus.

Ad 4. conf. dic, quòd materia differt positivè transcendentaliter à nihilo; & hoc per suam entitatem positivam. At differt etiam à nihilo formaliter, sed non positivè, sed negativè: quia licèt utrumque habeat carentiam actualitatis, in nihilo est negativa, sed in materia est privativa, ut dictum est.

Ad 5. conf. nego quòd materia sine actualitate metaphysica non sit subjectum capax actualitatis formæ. Ad probationem dist. maj. quod non habet actualitatem essentiæ, est nihil actualiter, est nihil vel prope nihil, concedo; est nihil determinatè, nego maj. Id quòd est nihil absolutè, & determinatè, non est ens formaliter, nec transcendentaliter. At materia hoc modo non est nihil, quia transcendentaliter est ens potentiale. At quia hoc ens non habet unitatem formalem, nec est in specie positiva, ideò nõ est ens formale. Hinc materia est nihil prout nihil opponitur enti formali; sed non est nihil prout opponitur enti transcendentali; & ideò est prope nihil, sed non est absolutè & determinatè nihil. In nihilo formali; dummodo sit ens transcendentaliter, benè datur capacitas recipiendi formam, & actualitatem; unde carentia actualitatis in tali nihilo privativa est.

Ad ultimam conf. dic, quòd ordo materiæ ad formam est transcendentalis; & sic vi illius habet materia solam unitatem transcendentalem: non autem habet unitatem, & distinctionem formalem positivam, quare nec actum metaphysicum habet per ordinem ad formam.

20. Dices cum Suario ubi suprà. Materia in composito habet suam essentiam realem; alioquin nõ esset ens reale: sed essentia materiæ

non

non constituitur intrinsecè per formam : ergo per suammet entitatem, & per se ipsam habet materia essentiam, & actualitatem metaphysicam. Minorem probat multipliciter, & verè, dicendo ad primum: quia non negamus materiam habere entitatem ratione sui, nec item quòd ratione sui habeat essentiam : solùm negamus hanc essentiam materiæ distingui specificè, & formaliter à forma per aliquam differentiam positivam: quod nec probat Suarius, nec facilè suaderi potest. Vnde dist. majorem. Materia habet essentiam realem, potentialem, concedo, quia talis est essentia, qualis entitas ; actualem, nego maj. Quia materia in composito habet entitatem actuatam, sed non actualem; & sic in eo habet essentiam actuatam, sed non actualem.

Observa attentè pro tollenda omni æquivocatione terminorum, quòd quando dicimus quòd materia habet essentiam potentialem, non dicimus quòd materia sit in potentia ad habendam essentiam per formam. Hoc nimirum est falsum, ut benè probat Suarius hìc : nam sicut materia per seipsam est entitas, & non est in potentia ad habendam entitatem ; sic non est in potentia ad habendã essentiã per adventũ formæ; alioquin foret sicut creaturę possibiles, quæ sunt in potentia objectiva ad habendã essentiam, & entitatem. Sed dicimus materiam habentem ratione sui entitatem, & essentiam, non habere entitatem, & essentiam actualem, sed potẽtialem. Sic materia dum actu datur, actu est materia, sed non est actus; actu est ens, sed non est ens actuale. Contrarij cum Suario probant materiam ratione sui habere entitatem, & essentiam actualiter, sed non actualem.

Dices. Quid aliud est essentia actualis, quàm essentia, quæ actu datur ? Respondeo esse quid aliud. Nam materia sub forma actu datur, sed nõ est actualis, sed actuata. Vt materia actu detur, sufficit quòd ratione sui habeat entitatem actuabilem per formã, & revera sic est. Vt autem sit actualis requirebatur, quòd ratione sui esset actus, & non potentia : sed talis non est.

QVÆSTIO SEXTA.

An materia cœlestis, & sublunaris sint ejusdem speciei?

§. I.

Proponitur mens D. Augustini, & B. Ægidij, concordaturque cum sententia D. Thomæ.

1. DE hac quæstione agimus in præsenti, quoniam decidenda est ex principijs datis in præcedenti, ipsaque ex his dicendis amplius

plius confirmantur. Spectat proprie ad libros de Cœlo, & mundo, eamq; sic difficilem putarunt aliqui, ut sine revelatione Dei non posset determinari. Constabit tamen decisio ex principijs naturalibus: & quia Cajetanus 1. p. q. 66. art. 2. conqueritur de N. B. Ægidio, quoniam declinavit à suo Angelico Magistro in præsenti; & aliqui Augustinienses dolent, quòd Angelicus Præceptor in hac quæstione declinaverit à sententia P. N. Augustini; ideò quæstionem istam radicitus discutiendam assumimus, & aliqualem concordiam inter Beatissimos DD. nostros invenire satagimus, viâ sternentes aliorum ingenio, ut vota nostra, viribus imparia nostris, adimpleant, & promoveant.

Quæstio ista primò divisit Platonem, & Aristotelem; quoniam Plato in Timæo circa finem, tenuit quòd cœli erant de natura quatuor elemẽtorum: quare sicut in omnibus elementis materia est una in specie, sic in cœlis, & elementis simul, materia est una specificè. Eandem sentẽtiam, teste D. Thoma ubi suprà; tenuerũt alij Philisophi antiquiores Aristotele. Et q oniam hæc positio arguit cœlos debere esse corruptibiles, sicut elemẽta corruptibilia sunt, nam semel convenientes in materia, conveniunt in principio corruptibilitatis, quod est materia cum privatione formæ; ideò Plato tenuit cœlos quidẽ natura sua corruptibiles esse, sed non corrumpi propter voluntatem Dei præservantẽ eos à corruptione; unde teste P. N. Augut. lib. 13. de Civitate Dei cap. 16. introducit Plato Deum artificem supremum di entem cælis: *Natura vestra estis dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia, quia voluntas mea major est omni nexu vestro.*

3. Contra istam positionem stetit Aristot. lib. 1. de Cœlo à textu 5. usque ad 19. probans cœlos esse incorruptibiles; quod suadet ex motu circulari, qui connaturalis est cœlis. Probatio est hæc. Motus cœli circularis non habet contrarium; motus autem elementorum habet contrarietatem; nam ignis tendit sursum, aqua deorsum; sursum autem, & deorsum contrariantur: at motus est index formæ, & qualitatum, à quibus oritur motus: ergo elementa constant ex qualitatibus contrarijs, secus cœli. Sed quod habet contrarium, est corruptibile; secus quod non habet contrarium, à quo destruatur: ergo cœli carentes contrarietate qualitatum, sunt incorruptibiles; elementa verò corruptibilia sunt. Hinc sequitur quòd cœli, & elementa differunt ratione materiæ; tum quia *corruptibile, & incorruptibile differũt genere* physico, quod est materia, aut logico quod desumitur à materia; tum etiam quoniam cùm principium corruptibilitatis sit materia capax omnium formarum; si in cœlis datur eadem materia specificè, erunt cœli corruptibiles, cujus cõtrarium probatum est.

Angelicus Magister loco laudato sequitur sententiam Aristotelis, quare approbat cœlos esse incorruptibiles natura sua; & materiam cœlorum esse distinctę speciei à materia sub-

ſublunarium corporum. Et cùm in primo argumento ſibi objeciſſet authoritatem P. N. Auguſt. lib. 12. Confeſ. docentis, unam eſſe materiam omniũ corporalium; reſpondet ſic: *Ad primum dicendum, quòd Auguſtinus ſequitur in hoc opinionem Platonis, non ponentis quintam eſſentiam.* Vocatur ab Ariſtotelicis cœlũ *quinta eſſentia*, quia quatuor elementa ſunt quatuor eſſentiæ; cœlum autem ſi diſtinguitur, & eſt incorruptibile, eſt eſſentia diſtincta ab elementis, & ſic eſt quinta. Quare non ponere quintam eſſentiam in corporalibus ſubſtantijs, eſt aſſerere cœlum, & elementa convenire in materia, & eſſe corruptibilia æqualiter ratione naturę. En hìc diſcordantes Aug. & Thomam, illum Platonis, hunc Ariſtotelis doctrinam propugnantem. Edoceris etiam, ſi cum P. Auguſtino Platonis ſententiam propugnes, & tibi objiciatur ſententia D. Thomæ, reſpõdere D. Thomam ſequi in hoc opinionem Ariſtotelis ponentis quintam eſſentiam.

B. Ægidius in 2. Sentent. diſt. 12. Solvit rationem D. Thomę, quã in hoc articulo adducit pro Ariſtotelica ſententia: & ponit tres rationes, quibus ſuadere nititur materiam cœlorum, & ſublunarium eſſe unam in ſpecie. Eas adducit, & ſolvere contendit Cajetanus in commentario hujus articuli, & ante ſolutionem dicit: *Sed revera mirum eſt de tam præclaro diſcipulo, quomodo à tanto declinavit magiſtro in re tam parvula.* En diſcordãtes etiam in hac quæſtione Magiſtrũ Angelicum, & diſcipulum Fundatiſſimum: quorum concordiam ad mentẽ Auguſtini Parentis, ſi obtineamus, nõ leve Scholæ noſtræ præſtamus obſequium.

3. Pro concordia P. N. Auguſtini, & D. Thomæ, oportet videre, quo ſenſu ſequutus eſt P. Auguſtinus ſententiam Platonis. Tenuit Plato, ut vidimus, quòd materia cæleſtis, & ſublunarium corporum erat una in ſpecie. Hoc probavit, quoniam cœli natura ſua ſunt corruptibiles; & ſolùm à voluntate Dei ſunt incorruptibiles. P. N. Auguſtinus eandem ſententiam tenet lib. 12. Confeſ. cap. 8. lib. Imperfect. in Geneſ. cap. 3. & 4. lib. 1. contra Manich. cap. 7. & alibi. Ceterùm non probat hoc ratione Platonica, quoniam nullibi expreſsè approbat cœlos eſſe corruptibiles. Immò Pſalmo 148. ubi de cœlis dicitur *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi*, inſinuat eorum permanentiam. Et ex Gen. 1. ubi cœlum vocatum eſt à Deo *Firmamentum*; dicit S. P. lib. 2. de Geneſ. ad litt. cap. 10. ſic dictum *Non propter ſtationem, ſed propter ſtabilitatem ſuam.*

Immò dum ſibi opponit illud Jobi 14. *Donec atteratur cœlum*: & illud Pſalmi 102. *Opera manuum tuarũ ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes.* Et Ioan. 2. *Cœlum & terra tranſibũt*: item illud 2. Petri cap. 3. *Cœli magno impetu tranſient, & ardenter ſolvẽtur.* Omnia exponit S. P. Auguſt. lib. 2. de Civit. Dei cap. 24. dicens, partem accipiendam eſſe à toto; ſicut dum tempore diluvij dicitur mundus aqua inundatus, cùm tamen ſolùm inunda-

verit terram, & aerem, terræ vicinũ: nomine cœli intelligendum aerem, sicut in Scriptura dicuntur *aves cœli*. Vel intelligi nomine cœli dęmones re positos igni, quia creati sunt in cœlo, & aliqui cadentes, in aere remanserũt, post finem mundi incarcerandi.

Rursus lib. 21. de Civitate Dei cap. 8. cùm retulisset ex libris Marci Varronis, quòd stella Veneris, quam Plautus *vesperuginem*, & Homerus *Hesperon* vocat, colorem, magnitudinẽ, figuram, & cursum mutasse, tempore Ogigis Regis; novas item ex aliorum testimonio stellas generatas: dicit tales mutationes factas ex volũtate Dei, potentis immutare naturas, quantumcumque permanentes, ut accidit tempore Josue, ad cujus imperium quievit Sol, tempore Ezechiæ, quo Sol retrogressus est decem lineis &c.

5. Quid? S. Parens noluit, aut saltem distulit quæstionem decidere de cœli corruptibilitate. Audi S. P. in Psalmos Conc. 2. sup. Psalmum 101. dicentem. *Sunt, & cœli cœlorum superiores in firmamento, sed utrum & ipsi perituri sint igne, an hi soli cœli, qui etiam diluvio perierunt, disceptatio est aliquanto scrupulosior inter doctos, nec facilè, maximè in angustia temporis explicari potest. Dimittamus ergo eam, vel differamus; noverimus tamen perire ista, Deum manere.* Nempe ex Psalmo laudato, ubi de cælis dicitur Deo *Ipsi peribunt, tu autem permanes.*

En argumentum. P. Augustinus insinuat cœlos incorruptibiles locis datis; vel saltem ultimo loco non vult quæstionem decidere, sed sub dubio manere: at nunquam S. P. dubitavit de unitate materiæ cœlestium, & sublunarium, ut ex locis laudatis constat: ergo quia tenuit sententiam Platonis de unitate materiæ, sed non tenuit rationem Platonicam, aut saltem non probavit unitatem materiæ ex corruptibilitate cœlorum. Hinc verba D. Thomę allegata exponenda sunt sic: *Dicendum quòd Augustinus sequitur in hoc opinionem Platonis, non ponentis quintam essentiam*: sequitur quoad unitatem materiæ, sed non quoad exclusionem quintę essentiæ.

Probavit P. N. unitatem materiæ ex eo quòd Sapientię 11. dicitur, Deum fecisse mundum *ex materia informi*: at materia informis est una negativè, ut dicemus infrà: ergo cœlu, elementa, & alia, quæ sunt partes mundi, facta sunt ex unica in specie materia. Ob id sępè repetit quòd ante formarum receptionem, quibus materia formata, & distincta est, erat materia *Quædam informitas sine ulla specie*: sed ubi nulla est species, nulla est distinctio specifica; ergo materia exqua factus est totus mundus, erat una sine specifica distinctione.

5. Hinc constat primò quòd licèt D. Thomas in eo articulo sequatur Aristotelem, docentem cælos incorruptibiles, non contrariatur Augustino sequenti Platonem; quia P. N. non sequitur Platonem circa corruptibilitatem cœlorum, sed circa unitatem utriusque materiæ. Si quæ autem cõtrarietas est inter SS. Doctores, sola est, quòd Augustinus dicit ex vna ma-

te

teria facta esse omnia; sed D. Thomas dicit materiam cœlestem & sublunarē differe specificè, quod probat in solutione ad 4. sic: *Dicendum, quòd cùm potentia dicatur ad actum, ens in potentia est diversum ex hoc ipso quòd ordinatur ad diversum actum, sicut visus ad colorem, & auditus ad sonum. Vnde ex hoc ipso materia cœlestis corporis est alia à materia elementi, quia non est in potentia ad formam elementi.*

Hæc contrarietas solvitur, notādo quòd Augustinus loquit r de materia secundùm se, dum p_o ill priori originis præcedit formam omnem, & omnia accidentia formarum. D. Thomas non loquitur de materia secūdùm se, sed de materia informata, aut sigillata per dispositiones ad hanc formā præ alia. Patet hoc primò, quia ante talem sigillationem nulla materia potest vocari cœlestis, nulla sublunaris, aut elementalis. 2. quia sicut materia sublunaris non potest dici aquea, nisi habeat dispositiones ad formam aquæ; nec terrea, nisi per dispos i iones ad for mam terræ; quare materia secundùm se, & a_te om_em sigillationem, no_ est aquea, terrea, ignea &c. sed ad om nia indifferens; i_a in omni materia secundùm se. Quare dum audis materiam cœlestem, materiam sublunarem, jam non audis materiam secundùm se, sed sigillatam, & dispositam ad formam cœli, aut elementi. 3. Quia in materia secundùm se non est ordo ad formam determinatam, sed ad omnes indifferenter; solùm enim per dispositiones ad determinatam formam, redditur ordo materiæ ad formam determinatam: ergo dum D. Thomas distinguit utramque materiam penes ordines determinatos ad diversas formas, non loquitur de materia utraque secundùm se, ut loquitur Augustinus, sed de materia informata, aut sigillata, quod non contradicit sententiæ Augustinianæ.

6. Et quod loquendo de materia secundùm se, teneat D. Thomas Augustini sententiam, constat ex dictis à nobis hìc quæst. 5. ubi cum Angelico Magistro defensavimus, materiam esse unam p r remotio _ nium formarum, hoc est per carentiā privativam om is formæ. At in sola materia secundùm se, datur hæc carentia privativa omnis formæ in generali; in mater a autem sigillata datur solùm privatio i lius formæ ad quam est sigillatio: v.g. in vivente materia appetit solam formam cadavericam, non formam auri, aut ligni, quia ad solam cadavericam sigillatur materia viventis per suas dispositiones: ergo cùm materia secundùm se, nulla datur sigillatio juxta D. Thomam, materia sic nec appetit determinatam formam, nec habet privationem formæ determinatæ, sed omnium i differenter, & remotè, & sic est una per talem remotionem.

Hac via exponit B. Ægidius rationem D. Thom. eam solvens ne cōtraria si sen en iæ Augustinianæ. Sed Cajetanus ubi suprà laudatus, Ægidio non acquiescit, & reponit sic. Privatio, ut habetur 4. Metaphys. est negatio in subjecto apto nato: sed materia lunæ secundùm se est apta nata reci-

recipere formam ignis, & hanc negationem ejus: ergo in materia lunæ est privatio formæ ignis. Nec potest responderi ad hoc, nisi negando rationē privationis. Hæc Cajetanus: cui pro B. Ægidio respondemus, quòd privatio fundans appetitum materiæ ad formam, non est aptitudo remota, nec impedita, sed proxima, & expedita. Patet, quia materia viventis non appetit omnes formas, sed cadavericam; quia ad hanc solam expedita est per qualitatem mixti viventis: sed materia secundùm se ante omnem sigillationem non est sic expedita; materia autem lunæ per qualitates formæ cœlestis est impedita ad sublunares perpetuo impedimento, si cœli sunt incorruptibiles: ergo nec materia lunæ est privatio fundans appetitum, & corruptibilitatem; nec in materia mūdi secundùm se, est privatio ad formā determinatam, sed remotè, & indifferenter ad omnes cœlestes, & sublunares.

7. Hinc deducitur concordia B. Ægidij nostri cum suo Magistro D. Thoma: nam D. N. non ponit in materia cœli, & sigillata ad formam cœlestem per qualitates formæ, privativa aliarum formarum, appetitum ad illas, aut potentiam expeditam ad omnes formas; nam tenens cum Aristotele cœlos incorruptibiles, dicit materiam unitam formæ cœlesti inalterabili, esse impeditam, ne alias recipiat; quare cum forma constituit quintam essentiam ab elementis. Dicit tamen, quòd in materia cœlesti secundùm se, & præcisivè à qualitatibus dispositibus, datur potentia eadem ad omnes formas, ac in materia sublunari, quod non negat D. Thomas, nec Aristot.

Breviùs. Materia ante omnem dispositionem, & sigillationem, dicatur materia prima: materia sigillata vocetur materia secunda. Quo posito, mens Augustini, & B. Ægidij est, cœlos & elementa habere eandem specificè materiam primam: sed differre in materia secunda. At Aristot. & D. Thomas contra Platonem solùm contendunt cœlos differre ab elementis penes materiam secundam; nec aliud probant rationes Thomisticæ, ut videbimus: ergo. Nec B. Ægidius, nec P. Augustinus eme contra D. Thomam: nec liquid à RR. probatur, ut videbimus contra sententiam Augustinianam.

8. Dices: Etiam materia sublunaris sigillata ad unam formam, nō habet privatione aliarum, nec appetitum; cùm non habeat potentiam proximam, sed radicalem ad eas: at hoc dicit etiam B. Ægidius de materia cœlesti: ergo corpora cœlestia, & sublunaria, ne dum conveniunt specificè in materia prima, sed in materia secūda. Rursus. Materia sublunarium est principium corruptionis, quia habens unam formam, appetit alias, & habet privationem illarum: sed juxta dicta hæc privatio, & appetitus ad formam B. non datur in materia sigillata ad formam A: ergo datur in materia sublunarium secundùm se, & præcisivè ab omni sigillatione. At in materia cœlesti secundùm se, & præcisivè

vè à ſigillatione, datur eadem potentia, ac in materia ſublunari: ergo datur idem appetitus ad formas, & eadē privatio; & conſequenter erit principium corruptionis ſicut materia elementorum; cujus contrarium intendit B. Ægidius.

Reſpondemus: quòd materia cœleſtis, & ſublunaris, ſecundùm ſe, & ante omnem ſigillationem, habet eandem potentiam ad omnes formas indifferenter; ceterùm cùm potentia iſta ſit remota, non fundat appetitū, nec ſatis eſt ad privationem, quę dicit carentiam formę in ſubjecto apto aptitudine proxima. Hinc fit quòd adhuc materia ſic ſumpta, non intelligitur principium corruptionis. Primò, quia priùs eſt dari compoſitum, quàm poſſe corrumpi: quando autē intelligimus materiam ſecundùm ſe ante omnem formam, adhuc non datur compoſitum. Secundò, quia materia non machinatur corruptionem unius formæ, niſi in vi appetitus alterius formæ determinatæ: appetitus autem materiæ ſecundùm ſe, ſi datur, eſt ad omnes formas indifferenter, nō ad unam determinatè. Tertiò, quia materia non machinatur corruptionē omnium formarum, quia hoc eſſet intendere unicè in malum; ſed intendit corruptionem unius determinatè, ex vi privationis, & appetitus alterius: ergo uſque dum in materia ſit appetitus ad formam in particulari, & determinatè, non intelligitur principium corruptionis. Quartò. Appetitus ad omnes formas indifferenter, ſatiatur per quamlibet: ſed dum ſatiatus eſt, non machinatur corruptionem: ergo dato quòd in materia ſecundùm ſe ſit appetitus ad omnes formas indifferenter, vi ejus non intelligitur materia incipium corruptionis.

Eſt ergo materia principium corruptionis, quando in vi privationis adjunctæ appetit aliam formam determinatè, diſtinctam ab ea, quam poſſidet. Hic appetitus datur in materia ſublunarium, ſed non in materia cœleſtium. Ratio eſt, quia qualitates materiæ, habentis formam cœleſtem, ſunt inalterabiles, cùm non habeant contrarium; & ideò reddūt incapacem materiam, aut impeditā, ne per alterationem qualitatum fiat proximè potens recipere aliam formam: ergo ollun à materia fundamentum privationis, & appetitus ad _lia_ formam _terminat_m, & diſtinctam ab ea, quam poſſidet. Qualitates autem materiæ habentis for_m_m ſublunarem, ſunt alterabiles, & habent contrarium: quare reddunt materiam expeditam, ut media alteratione habeat potentiam proximam, & appetitum ad aliam formam. In hoc eſt diſcrimen utriuſque materiæ, quòd cùm non ſit niſi in materia qualificata, ideò dicimus cœleſtia, & ſublunaria differre penes materiam ſecūdam.

Hinc oritur diſcrimen quæ ſolvit replica facta. Nam licèt materia tam cæleſtis, quàm ſublunaris, ſigillata ad unam formam, non habeat potentiam proximam, nec aperitum ad aliam, & in hoc conveniat utra-

que materia: differunt, quia sigillatio ad formam cœlestem est per qualitates inalterabiles, & sic perpetua, & incorruptibilis, plenè impediens, & pro semper appetitum ad alias formas. Ceterùm sigillatio materiæ ad formam sublunarem, est per qualitates alterabiles, & corruptibiles, quare licèt impediant pro tempore appetitum ad aliam formam, non semper & perpetuò. Hinc patet solutio ad replicam, & discrimen utriusque materiæ secundæ; nam materia cœlestis est sigillata sigillatione perpetua, & incorruptibili; materia sublunaris sigillatione defectibili, & temporanea.

§. II.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

9. PRima sententia affirmat utrãque materiam specificè differre. Sic Thomistæ communiter, & ex DD. Societatis Suarius in Metaphysica disp. 13. sect. 9. Fonseca, Echalaz, Conimbricenses, & alij, allegantes D. Thomam 1. p. quæst. 66. art. 2. eandem sententiã insinuat S. D. 1. 2. q. 49. art. 4. & 2. contra Gent. cap. 16. ubi sic exponitur à Ferrariensi, sicut in summa à Cajetano. Probatur hæc sententia primò ex Arist. 10. Metaphysicæ cap. 10. dicente: *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere*: at non genere logico, quia cœlum, & sublunaria ponuntur in eodem prædicamento substantiæ: ergo differunt genere physico. At hoc est materia: ergo cœlum, & sublunaria habent diversam materiam.

Secundò probatur authoritate D. Thomæ locis laudatis, ubi tenet utramque materiam esse distinctam, quod directè probat rationibus infrà expendendis: at non loquitur de utraque materia, ut informata; nam sic etiam materiæ sublunares sunt diversæ inter se: ergo loquitur de utraque materia secundùm se, tenens esse distinctam specificè ante, & independenter ab omni forma.

10. Tertio probatur à ratione. Cœli sunt incorruptibiles: sed non essent, si materia cœlorum esset ejusdem speciei cum materia sublunarium: ergo utraque materia est diversæ speciei. Probatur min. Primò, quia quæ conveniunt in materia, sunt invicem transmutabilia, ut patet in elementis, & mixtis sublunaribus, quæ invicem transmutantur, quoniã in materia conveniunt: sed quæ sunt invicem transmutabilia, non sunt incorruptibilia: ergo &c. Secundò. Quia si utraque materia esset ejusdem speciei, utraque haberet eundem appetitum, & privationem formarum; quare materia cœlestis posset appetere sublunarem, & ea existente, expoliari cœlesti: sed hoc est cœlos non esse incorruptibiles: ergo.

Confirmatur ex D. Thoma loco laudato contra Gentes. Quæ habẽt diversas proprietates, habent diversas essentias, & si specie distinguuntur: sed materia cœlestis, & sublunaris

ris habent diversas proprietates: ergo & essentias specie diversas. Probatur min. Materia sublunaris habet pro proprietate innovari quoad esse; materia autem cœlestis non hoc, sed innovari quoad situm; hæc enim solùm est receptiva novi motus; illa autem novæ formæ substantialis: at istæ sunt proprietates diversæ: ergo &c. Et urgetur à simili. Nam quia natura spiritualis solùm potest recipere accidentia spiritualia; materialis verò accidentia sensibilia, & corporea, ideò demonstratur à posteriori naturas illas esse diversas; ergo si materia cœlestis non potest recipere id, quod materia sublunaris &c.

Confirmatur 2. ex Suario. Illa sunt æquè corruptibilia, quæ æqualiter habent principium corruptibilitatis: sed si materia cœlestis, & sublunaris, essent ejusdem speciei, haberent æquè principium corruptibilitatis: ergo dato cœlos esse incorruptibiles; nequit eorum materia esse ejusdem speciei cum materia sublunarium. Probatur min. Principium corruptibilitatis in materia est appetitus alterius formæ ratione privationis adjunctæ, & impropriè vocatur appetitus, quod nihil est aliud quàm capacitas recipiendi formam: sed si ponitur materia cœlestis ejusdem speciei cum sublunari, est æquè capax recipiendi formas alias, ac materia sublunaris; utraque enim tunc diffiniretur eadem diffinitione, nempè *Potentia in ordine ad omnes formas*: ergo &c.

11. Quartò probatur à ratione ex D. Thoma loco laudato 1. partis in solutione ad 4. Illæ potentiæ specificè distinguuntur, quæ habent diversa, & adæquata specificativa: sed sic se habet utraque materia: ergo. Probatur min. Materia sublunaris respicit ut actum adæquatum formas sublunares, materia cœlestis solùm formam cœlestem: sed hæc sunt specificativa diversa: ergo. Probatur maj. quoad secundam partem. Materia, quæ potest plures formas recipere, non respicit unam inamissibiliter: sed materia cœlestis recipit formam cœlestem inamissibiliter, quia cœlum est naturaliter incorruptibile: ergo respicit solam formam cœlestem, ut actum sibi adæquatum.

Confirmatur. Potentia quam habet materia sublunaris ad plures formas, est ad actum reducibilis, potentia, quæ in materia cœlesti potest concipi ad plures formas, non est ad actum reducibilis: Sed implicat, quòd potentia ejusdem speciei sit ad actum reducibilis, & ad actum non reducibilis: ergo implicat quòd utriusque materiæ sit eadem specificè potentia, & essentia.

Confirmatur 2. Distinctio potentiarum nō solùm est per actus, sed antecedenter ad actus, distinguuntur potentiæ per ordines distinctos ad diversos actus: sed materia cœlestis dicit ordinem ad formam cœlestem, materia sublunaris ad formas sublunares, quæ sunt actus diversi: ergo differunt per illos ordines materiæ secundùm se, & antecedenter ad ipsas formas. Minor patet ex dictis: &ma-

jor probatur exemplo potentiæ visivæ, quæ differt ab auditiva, quia utraque dicit ordinem ad diversos actus videndi, & audiendi. Vide alias rationes num. 29.

13. Secunda sententia docet utramque materiam esse ejusdem speciei Sic Plato cum Philosophis antiquioribus Aristotele: ex posterioribus Avicena, Avicembron. Citatur pro hac sententia P. Augustinus locis landatis num. 3. S. Bonaventura, Scotus, Molina, Quiros, & alij Societatis. Ex nostris B. Ægidius in 2. Sent. dist. 12. quæst. 2. art. 4. & in Examerone parte 1. cap. 4. Argentinas, Venetus, Gavardi, Nicolaus à S. Ioane Baptista, & ferè omnes Augustiniani, si excipias Ægidium Lusitanū.

Hæc sententia dupliciter defendi potest: primò asserendo cœlos esse ab intrinseco corruptibiles; & sic illam defendunt Plato, Scotus, Molina, & alij. Hac via probatur 1. Quia ex historia Geneseos constat Deum fecisse cœlos ex eadem materia, ex qua fecit elementa: sed elementa sic facta, sunt corruptibilia ab intrinseco: ergo & cœli corruptibiles sunt; & eorum materia est eadem specificè cum materia sublunarium. Major probatur, quia cap. 1. dicitur *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Quod explicans Salomon Sapientiæ 11. dicit Deo: *Omnipotens manus tua creavit orbem terrarum ex materia invisa;* & juxta litteram Græcam *Ex materia informi.* En ex unica materia totus orbis formatus; & audi S. Petrum dicentem de materia aquę factos esse cœlum, & terram. Sic habet in 2. Epist. Canon. cap. ult. *Latet hoc volentes, quòd cæli erant prius, & terra de aquâ, & per aquam consistens Verbo Dei.* Idemque dixisse Petrum cum Simone Mago disputantem, testatur S. Clemens lib. 1. Recognition.

Secundò probatur, quia ex Scriptura constat, cœlos aliquando corrumpendos, & igne conburendos, & in meliorem substantiam transformandos, ut habetur Isaiæ 51. & 65. Petri Epist. 2. cap. ultimo. Quòd si huc usque ignis elementum non egit in cœlum Lunæ sibi vicinum, & in alios orbes; non est dicendum causam esse incorruptibilitatem naturalem cœlestium, sed quòd *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum*, ut dicitur in Psalmis: quam causam designavit Plato inducens Deum dicentem cœlis, *Natura vestra estis dissolubilia, voluntate autem mea indissolubilia.* En Verbo Domini cœli firmati à Divina voluntate, hoc est ab extrinseco: ergo quia ab intrinseco corruptibiles sunt, & sic conveniunt in materia cum sublunaribus.

14. Nec urget ratio Aristotelis contra Platonem, suadens cœlos incorruptibiles, ex motu circulari, qui non habet contrarium. Non urget 1. quia contra testimonia Scripturæ nil valent rationes humanæ plenè fallibiles. Tum, quia motus ille circularis est ab intelligentia motrice, nō autem ab intrinseco cœli; alioquin cœlum viveret, si haberet motum ipse, & à se. Ergo sicut Angelus mo-

vet

vet circulariter cœlos, posset alijs modis quaquaversum movere, motu habente contrarietatem. Quòd si iceatur, nec momentum futurum violentum cælis, quorum ab intrinseco petunt circularem. Contra est, nam hoc dicitur, sed non probatur; nec est unde probetur, nisi quia non habent qualitates contrarias, vel quia habent figuram sphęricam, & circulare. Prima ratio est circulus vitiosus, quia probatur non habere qualitates contrarias ex motu circulari, non habente contrarium; & probatur motus circularis ex essentia corruptibilis qualitatum. Secunda ratio est levissima, quia globi perfecti sine circulo moveri possunt deorsum ratione gravitatis; cœli autem leves non sunt, sed magnæ mollis. Præterquam quòd Deus *Extendens cœlum sicut pellem*, potuit in plano extendere, sicut extendit circulando globum: ergo tunc nō esset unde motus circularis esset ab intrinseco. Adde quòd figura est terminus quantitatis, & sic accidens, non substantia cœlorum; ergo dato motū circularem esse ob figuram sphęricā, non esset ab intrinseco naturæ cœlorum, sed accidentis terminantis eorū quantitatem.

Tertiò probatur à ratione. Dato quòd in cœlis sit materia, illa est potentia ad esse, & non esse formæ: sed materia sublunarium corruptibilium est potentia ad esse, & non esse formæ: ergo dato quòd in cœlis sit materia, illa est ejusdem speciei cum sublunari, & cœli sunt etiam ab intrinseco corruptibiles. Patet consequentia, quia ideò in sublunaribus datur principium corruptibilitatis, quia in eis materia est potentia ad esse, & non esse formæ. Major probatur. Potentia pura secundùm se est ad esse, & non esse; nec enim potentia habet, si pura sit, per quod determinetur potiùs ad esse; cùm solus actus determinet, & in potentia pura nullus est actus. Secundò. Potentia pura priùs habet privationem, quàm esse formæ; ergo sic pura est ad utrumque. Antecedens probatur. Prius est in potentia id quod habet ex se, quàm id quod habet ab alio: sed potentia pura ex se habet privationem formæ, formam autē habet ab alio: ergo &c. Tertiò. Nam in 1. Physicorum dicit Aristot. quòd materia est principium unum subjecto, & duo secundùm rationem: hoc ideò, quia materia est subjectum tum formæ, tum privationis formæ: ergo materia cœli est potentia ad esse, & non esse.

Confirmatur. Dato quòd materia Solis non sit in potentia ad aliam formam, est in potentia ad formam Solis, & ejus privationem; hoc ipso est principium corruptibilitatis: ergo cœli corruptibiles sunt, & eorum materia est ejusdem speciei cum sublunaribus. Minor patet, nam ideò Aristot. 9. Metaph. text. 17. negat in Cœlis potentiam contradictionis, nempe ad esse, & non esse, quia tenet cœlos esse incorruptibiles.

Confirmatur 2. Juxta Arist. 5. Metaph. text. 10. quæ sunt idem genere, sunt unum in materia: sed cœli, & sublunaria sunt unum in genere

re substantiæ corporeæ: ergo habent unicam, & eandem specificè materiã. Tertiò: diversus actus fit in diversa potentia, & unus in una: sed omniã corporum sublunarium, & cœlestium forma est una, nempe corporeitas: ergo omnium corporum materia est una.

15. Secunda via defendendi unitatem specificam utriusque materiæ, admittit cœlos esse ab intrinseco incorruptibiles: dicit tamen quòd eorum materia secundùm se, antè omnem formam tum substantialem, tum accidentalem dispositionem & sigillãtem, est ejusdem speciei cum materia elementorum, & sublunarium. Hac via defenditur ab Ægidio nostro cum P. Augustino, & ferè omnibus Augustinianis; nec non ab alijs DD. suprà laudatis. Et quia rationes urgentiores sunt Ægidianæ, ut videre est apud Cajetanum in Commentario articuli D. Thomæ, ideò eas explicabimus §. sequenti, ubi hac via cum his DD. hanc sententiam propugnabimus.

§. III.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

16. Dicimus materiam cœlestem, & sublunarem esse ejusdem speciei negativè, hoc est non differre specificè, adhuc dato cœlos esse incorruptibiles. Probatur 1. ex P.N. Augustino lib. 12. Confes. cap. 3. ubi de materia secundùm se, ut præcedit formam cœli, & terræ dicit: *Erat quædam informitas siue nulla species*: sed si utraque materia differret specificè, non esset informitas, nec sine ulla specie, sed potiùs cum duabus speciebus: ergo de mente S. P. dicendum est materiam cœli, & sublunarium non differre specificè.

Confirmatur ex eodem S. P. eodem lib. cap. 12. ubi adductis verbis Genes. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua*, aut *invisibilis, & incomposita*, ut dicit alia littera, subdit: *Quibus verbis insinuatur informitas materiæ, ut gradatim excipiantur qui omnimodã specie privationem, nec tamen ad nihil pervention em, cogitare non possunt*. En qualiter redarguit sacrotexturgantes materiam esse *prope nihil*, & carere omnimodè specie. Sed si differret utraque materia, non careret omni specie, nec esset prope nihil, ut infrà cum B. Ægidio à ratione probabimus: ergo de mente S. P. tenendum est materiam cœlestem non differre à sublunari.

17. Dices primò S. P. negare materiæ speciem positivam, non autem negativam: sententia autem D. Thomæ, & Aristot. solùm contendit materias differre specie negativè priori ad formam, non positivè, quia hæc distinctio habetur per actum, & formam.

Contra. Nam S. P. dicit privationem speciei esse omnimodam, non esset omnimoda, si non esset privatio speciei positivæ, & negativæ. Præterea: Licèt materia relatè ad formam sit distincta, & habeat speciem, & unitatem negativam, ut quæst. 5. dictũ est

est; at materia sublunaris nequit habere speciem negativam distinctam à materia cœlesti juxta principia S. Parentis: ergo S. P. excludit utramque distinctionem specificam, positivam, & negativam. Probatur antecedens. In materia juxta S.P. non est alia species, nec differentia specifica, nisi carentia privativa omnis actus: sed posita in materia hac carentia privativa omnis formę, & omnis actus, non est unde differant materia cœlestis, & sublunaris adhuc negativè, cùm æquè habeant eandem privationem: ergo licèt materia &c. Vide dicta in q. 5.

Dices 2. P. Augustinum tenuisse hanc sententiam, quoniam secutus est Platonem, negantem cœlos esse incorruptibiles. Hæc solutio datur à D. Tho ma 1. p. qu. est. 66. art. 2. ad 1. Cetcrùm num. 3. & sequentibus ostensum est, quòd licè P. N. teneri cũ Platone unitatem utriusque materiæ, non tenuit cum eo corruptibilitatem cœlorum. Quare licèt cum Aristotele teneamus cœlos incorruptibiles, possumus, & debemus tenere Augustini sententiam. Ruinosa sententia de unitate materiæ fuit Augustino certissima, & sine dubio ubique insinuata; opinio de corruptibilitate cœlorum, vel fuit Augustino dubia, ut num. 4. ostensum est; vel falsa, ut ibidé constat: sed Augustinus P. non probavit conclusionem sibi certam ex principio sibi falso, aut dubio: ergo non probavit sententiam Platonis de unitate materię ex principio Platonico de cœli corruptibilitate. Immò S. P. ex sacris litteris Sapientiæ 11. & Gen. 1. inculcat unitatem, & informitatem materiæ, ut ejus sententia, etsi Aristotelicę admittatur contraria, præferenda sit Aristotelicæ. Cetcrùm in reverentiam S. Thomæ, qui secutus est Aristotelem, actum est de concordia sententię Augustini, & D. Thomæ, quam vide à n. 5. usque ad 7.

18. Probatur 2. à ratione, quam B. Ægidius desumpsit ex P. Augustino. Materia cœlestis, & sublunaris secundùm se sumptæ, & ut intelligentur præcedere formas, sunt puræ potétiæ: sed purę potentię nequeunt ex se differre specie, vel numero: ergo materia cœlestis non differt specificè à sublunari. Major probatur ex dictis tota quęst. 5. minor etiam ex ibi dictis probatur. Omnis distinctio formalis, qualis est specifica, fit per actum: sed puræ potentiæ nullum includunt actum, ut probatum est loco citato: ergo.

Confirmatur pulchrè à N. Ægidio sic: Impossibile est unum actum purum, ut est Deus, differre ab alio actu puro: ergo impossibile est unã puram potentiam differre ab alia pura potentia. Consequentia tenet, quia sicut actus purus est talis, quia excludit omnem potentialitatem; sic potentia dicitur pura, quia omnem actualitatem excludit. Immò plus implicat duas potentias puras distingui, quàm duos actus puros; nam inter potentias datur carentia actus distinguentis, quæ non datur inter puros actus. Antecedens probatur. Implicat actus puros distingui in eo, in quo cõveniunt: sed conveniunt in ratione

actus

actus puri : ergo si puri sunt, non possunt differre. Explicatur. Implicat tales actus differre, nisi unus habeat aliqu in potentialitatem, quam non habet alter ; sed implicat in actu puro dari aliquam potentialitatē, alioquin non esset purus : ergo implicat unum actum purum differre ab altero puro.

19. Prima solutio est Thomistarum, desumpta ex D. Thoma loco laudato in solutione ad 4. dicente tales potentias differre non per actus, sed per ordines ad diversos actus adæquatos ; quia materia cœlestis dicit ordinem ad formam cœlestem tantùm, materia autem sublunaris ad formas tantùm sublunares. Explicatur in potentijs visiva, & auditiva, quæ proprijs ad actus vide di, & audiendi differunt, & distinctio sumitur ab ordine, quem dicunt ad diversos actus. Hæc solutio est unum ex fundamētis sententiæ Thomisticæ, positum num. 11. sed ne videamur impugnare D. Thomam, observa quæ diximus num. 7. circa mentem D. Thomæ in hoc articulo, nam S. D. loquitur de materia secunda, hoc est sigillata per dispositiones ad formam determinatam. Hoc modo verum est utramque materiam dicere diversum ordinem, & per eos distingui. Ceterùm loquendo de materia secundùm se, & ante omnem dispositionem, ut loquitur Ægidius, solutio est falsa, & multis impugnatur.

Primò sic : Paritas potentiæ visivæ, & auditivæ non tenet, quia istæ potentiæ sunt accidentia, & qualitates, quare sunt actus in genere entis : sed utraque materia in genere entis est pura potentia, excludens omnem actum : ergo licèt potentiæ accidentales dicant diversos ordines per quos distinguuntur ; secus potentiæ substantiales, quæ puræ sunt, & de eis sic, procedit ratio nostra. Rursus, Potentia visiva sic dicit ordinem ad actū videndi, ut nec divinitus possit audire ; est enim ordo ille essentialis ; & Deus non potest essentias rerū invertere. At dato quòd materia cœlestis diceret ordinem ad formam cœlestem, hic ord non esset essentialis. Quis dicat, quòd nec divinitus potuit Deus infundere formam sublunarem in materia cœlesti? Ergo on est paritas in exemplo dato.

Præterea : Si per diversos ordines ad actus adæquatos, materiæ distinguendæ sunt specificè, tot erunt materiæ specie diversæ, quot sunt cœli, quot Planetæ, & stellæ, quorum numerum solus Deus numerare potest. Ergo erunt species materiæ à solo Deo numerabiles. Probatur antecedens. Quelibet stella habet materiam unitam formæ inamissibiliter ; quare materia illa respicit formam illam ut actum sibi adæquatum ; at materia alterius stellæ respicit aliam formam specie distinctam, quia in cœlo *stella differt à stella in claritate*, ut ait Apostolus ; nec multiplicatio numerica datur, nisi in corruptibilibus ad conservationem speciei. Sed demus stellas differre solo numero ; quælibet materia dicit ordinem ad formam distinctam, ut ad actum adæquatum : sed per te materię differūt penes ordines

di

diversos : ergo in solo cœlo formando, tenebatur Deus innumeras creare materias. Patet consequentia, quia in materia dicente ordinem ad formã cæli crystallini, non potuit per se inducere formam stellæ, aut Solis &c. sed solam formam cæli. Hanc sequelam, quam Cajetanus concedit, noluit concedere Capreolus, quem Soncinas &alij sequuntur.

20. Et quidem quidquid dicas de sequela nostra, ubique circunstant angustiæ. Nam si teneas cum Cajetano materias corporum cælestium differre specie, teneris concedere innumeras materias specie diversas : quod præterquam quòd conceditur sine necessitate, & vi solius consequẽtiæ; est contra mentem Aristotelis dicentis, quòd *Corruptibile, & incorruptibile differunt genere* physico, quod est materia; sed nunquam dixit quòd corruptibile differt genere à corruptibili ; aut quòd incorruptibile ut Sol, differt ab incorruptibili. Accedit quòd in doctrina Aristot. tota differentia materię sublunaris à cœlesti, sumitur ex diverso modo recipiendi formas, quia sublunaris recipit amissibiliter, & ideò est principium corruptionis ; cœlestis autem inamissibiliter, & ideò constituit cœlum incorruptibile : at hæc ratio non militat inter materias ipsas cœlestes, quia omnes convèniunt i recipiendo formam inamissibiliter; ergo non est in principijs Aristotelicis dicendum materias cœlestes esse plures secundùm se, & specificè distinctas.

Si tamen cum Capreolo teneas in corporibus cœlestibus unicam in specie materiam ob rationem proximè datam. Adest, quòd materia Lunæ nedum erit potentia ad formam lunarem, sed ad formam Solis, Mercurij &c. Ergo dum est sub forma Lunæ habebit privationem aliarum formarum ; & vi privationis habebit appetitum ad alias, quod est reddere cœlos corruptibiles. Vide fundamentum Thomisticum positum num. 10. & illud urge contra sentientes cum Capreolo.

21. Quidquid sit, contra secundò adversus præcipuam solutionẽ. Nam licèt materia sigillata ad unam formam præ alia, dicat determinatũ ordinem ad unam præ alia; secùs materia secundùm se : sed ratio, & conclusio nostra procedunt de materia secundùm se ante omnem dispositio nẽ sigillantem : ergo ineptè solvitur recurrendo ad ordines diversos. Major patet primò ab exemplo in materia sublunari, quæ nisi sigilletur ad formam determinatam, non dicit ordinem ad determinatam formam ; sed indifferenter ad omnes. Quòd si dicas hoc esse verum in sublunari, sed non in cœlesti ; quia hæc non est potẽtia ad plures, sed ad unam. Contrà. Nam respondes cum conclusione. Ego arguo quòd materia est potentia indifferens ad omnes, nec potest dicere ordinem determinatum ad unam, quia est pura potentia. Tu dicis, quòd dicit ordinem determinatum ad unam, & est solùm potentia ad unam. Hujus pet rationem : non dabis aliam, nisi quòd materia cœli est distincta, quod

sit conclusio tua. Quòd si recurras ad incorruptibilitatem cœlorum, de illa audiemus te in solutione argumentorum.

Secundò probatur absolutè major. Ordo ad determinatam formam non stat, nisi potentia sit determinata ad unam formam; vel si potentia ex se est indifferens, determinatur ab aliquo exteriori: sed materia cœlestis ex se non est determinata ad unam formã; nec pro priori ad sigillationẽ dispositionum habet unde determinetur: ergo in materia sic non datur ordo ad diversum actum adæquatum, ac datur in materia sublunari. Major patet, quia potentia nõ determinata, est indifferẽs; & indifferens ut tale, nequit dicere ordinẽ determinatũ, nisi ab alio determinetur: Minor probatur 1. quia materia cœlestis ex se, est potentia passiva pura, nullum habens actũ; alioquin non esset materia prima; sed potentia pura ut talis, nequit esse determinata, quia sicut actus est qui distinguit, sic est qui determinat: ergo &c. 2. Quia non est assignabile per quid materia Solis determinatè respicit formam Solis; materia autem Lunæ solam formam Lunæ.

Si cum Suare & aliquibus recurras ad diversos actus entitativos: habes contra te dicta in quæst. 4. de mente Thomistarum negantium materiæ secundùm se actum entitativũ; ergo materiæ secundùm se non possunt determinari, & differre per diversos actus entitativos. Adde quòd ratio Ægidij manet adhuc insoluta. Nam ideò utraque materia in ratione potentiæ purè non potest invicem differre, quia conveniunt in ratione potentiæ; at etiam conveniunt in ratione actus entitativi: ergo nequeũt differre per actus entitativos. Præterea: Assigna rationem cur materia cœlestis habet diversum actum entitativum, ac materia sublunaris: non poteris, nisi recurras ad ipsam cõclusionem tuam, dicendo habere actus entitativos diversos, quia diversæ materiæ sunt.

22. Cajetanus loco laudato præsentiens hanc difficultatem, quærit radicẽ in utraque materia ad fundandum diversum ordinem ad actum sibi adæquatum, & dicit sic. Si quæras distinctivum intrinsecum in eis; dico quòd est ipsa cujusque substantialis commensuratio ad actum sibi adæquatum. Et si de ipsa commensuratione substantiali ad actum quæras: dico quòd est non solùm identicè, sed formaliter ipsa essentia cujusque puræ potentiæ. Et propterea sicut actus adæquati sunt diversi se ipsis; ita potentiæ propriæ ad eos sunt per se diversæ propter actus. Hæc ille.

Sed ei reponimus quæ suprà arguebamus. Nam stat benè ordines esse diversos, si in utraque materia sit diversa commensuratio cum actu adæquatè diverso. Sed unde probabis in utraque materia secundùm se esse diversam commensurationem ad actum diversum? Non restat recursus, nisi Cajetani ad ipsas essentias utriusque puræ potentiæ. At Ægidius N. probat utramque materiam non differre in ratione puræ potentiæ, tum quia so-

solus actus distinguit ; tum quia in ratione puræ potentiæ utraque materia convenit : ergo non est unde in utraque materia demonstretur diversa commensuratio ad actum diversum adæquatum. Explicatur. Cur materia cœlestis commensuratur cum forma cœlesti potiùs, quàm cum sublunari ? Id ex essentia materiæ non venit, quia commensuratio illa est determinata, & in essentia materiæ, ub non est nisi pura potentia, non datur aliqui de r inans. Ergo nisi recurras ad voluntatem Dei extrinsecè determinantem, vel ad dispositiones sigillantes materiam ad formam determinatam, non datur principium determinatæ commensurationis. Ergo utraque materia secundùm se nō habet diversam commensurationem, nec fundat diversum ordinem, & consequenter non est duplex, sed una in specie.

3. Probatur 3. à ratione cōclusio nostra evertendo principium sententiæ contrariæ. Ideò juxta contrarios utraque materia distinguitur, quia dicit diversum ordinem ad actus diversos adæquatos : at hoc est falsū de materia secundùm se : ergo sic &c. Probatur min. Vt ordines illi sint diversi, oportet quòd materia cœlestis dicat ordinem determinatum ad formam cœlestem ; & quòd hæc forma sit actus adæquatus materiæ cœlestis. Tolle utrumque, aut quodlibet exhis, jam materia cœlestis respiciet omnes formas indifferenter, qualiter materia sublunaris. Sed materia cœlestis secundùm se non dicit ordinem determinatum ad formam cœlestem ;

nec forma cœlestis est actus adæquatus materiæ cœlestis secundùm se. ergo &c. Minor quoad 1. partem probatur ex dictis num. 21. Quoad 2. partem probanda est.

Probatur sic. Ideò forma cœlestis est per te actus adæquatus materiæ cœlestis, quia unitur materiæ inamissibiliter, utpote forma incorruptibilis, nec relinquit in materia capacitatem ad alias formas, privationē, aut aptitudinem earum. Hæc est tota doctrina tua. Sed stat in materia capacitas intrinseca, & essentialis ad alias formas, cum incapacitate extrinseca orta à forma cœlesti, & ejus incorruptibilitate : ergo licèt forma cœlestis sit actus adæquatus materiæ secundæ & sigillatæ, non tamen materiæ primæ & secundùm se acceptæ. Probatur min. Stat in principijs Thomistarum, & nostris, quòd substantia sit ab intrinseco penetrabilis, etiam si per quantitatem, ut per formam reddatur extrinsecè impenetrabilis : ergo stat in materia &c. Probatur consequentia. Sicut quantitas est forma adveniens substantiæ ab extrinseco ; sic forma substantialis recipitur in materia, sed ei advenit per actionem extrinseci agentis. Ergo sicut cū impenetrabilitate orta à forma stat intrinseca penetrabilitas propria substantiæ ; stabit potentia intrinseca materiæ ad alias formas cum incapacitate extrinseca, orta à forma cœlesti.

Confirmatur. Sicut homo est ab intrinseco peccabilis, quia factus est ex nihilo, ita materia est potentia ad omnes formas, quia est pura potentia

in genere entis, & physico. Rursus sicut homo redditur impeccabilis ab extrinseco per aliquod donum, v. g. per visionem beatam, vel per unionē cum Persona Verbi, ut in Christo Domino; sic materia secundùm se capax omnium formarum, redditur per formam cœlestem incapax recipiēdi sublunares: sed humanitas Christi per unionem impeccabilis, est ejusdē speciei cum alijs hominibus; voluntas item Beatorum impeccabils, est ejusdem speciei cū voluntate nostra peccabili: ergo & utraque materia erit ejusdem speciei, consideratа secūdùm se, etsi ratione unionis cum forma, sublunaris sit potens ad omnes, cœlestis sit impotens.

24. Probatur 4. à ratione. Materia sic est pura potentia in genere entis, ut sit prope nihil de mente Aristot. & P. Augustini. Sed si materia cœlestis differret specie à sublunari, non esset prope nihil: ergo non esset materia; quare si materia est, differre non potest à sublunari. Probatur min. Materia sic est prope nihil, ut infinitè distet ab actualitate Dei. Et sit id *Quo inferius nihil est*, ut loquitur P. August. Sed si cœlestis differret à sublunari, non foret id, quo inferius nihil est: ergo non esset prope nihil. Probatur min. Si differret, non esset tam potentialis, quàm est materia sublunaris: at inferioritas in genere entis sumitur à potentialitate, sicut perfectio & superioritas ab actualitate: ergo &c. Minor cum cōsequentia tenet, & major est certa, quia materia cœlestis, si distincta est, solùm est potentialis ad unam formā; materia autem sublunaris est potentialis ad omnes, & infinitas formas: ergo materia cœlestis non esset tam potentialis, ac est materia sublunaris. Hæc ratio inducitur à nostris DD. ad suadēdū quòd nōest possibilis materia alterius speciei. Sed de hoc §. 5.

§. IV.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

AD fundamenta primæ sententiæ posita num. 9. respondemus.

Et ad authoritatem Philosophi dicimus, quòd corruptibile & incorruptibile differunt genere physico quod est materia, sed non differunt materia prima, sed materia secunda; quia in materia secundùm se est potentia æqualis ad omnes formas, & solùm per qualitates sigillata ad compositum incorruptibile, redditur materia incapax recipiendi alias formas, & consequenter redditur distincta à materia corruptibilium. Materia autem sigillata est materia secunda, non est materia secundùm se, de qua conclusio nostra: & sic nil contra nos.

Ad authoritatem D. Thomę dic S. Doctorem loqui de materia sigillata ad formam cœlestem, non autem de materia secundùm se. Et licèt S. D. in fine corporis articuli dicat: *Relinquitur ergo quòd materia corporis cœlestis secundùm se considerata, non est in potentia nisi ad formam, quam habet.* Loquitur de materia sigillata, quæ

à S. D. vocatur *secundùm se*, quia sic sigillata antecedit formam. Nec aliter potest exponi D. Thomas, ut patet ex dictis num. 5. & toto ferè §. 1. Nec rationes S. Doctoris aliud probãt ut videbimus cum Doctore nostro illas exponente, & solvente.

Ad primam rationem positam num. 10. Admittimus cœlos esse incorruptibiles ab intrinseco ob authoritem D. Thomæ, & Aristotelis, quã sequitur B. Ægidius, & non contradicit P. Augustinus: quidquid sit de fundamentis positis num. 13. & 14. quibus sententia contraria redditur probabilior. Et nego min. nempe quòd non stet incorruptibilitas cœlorum sine distinctione materiarum. Ad 1. probationem min. dic quòd ea, quæ conveniũt in materia tam prima, quã secunda, sunt invicem trãsmutabilia; secùs, quæ solùm conveniunt in materia prima, & secundùm se. Et instatur. Nam juxta Capreolum, & alios Thomistas materiæ omnes cœlestes sunt ejusdem speciei: quare omnia corpora cœlestia sunt conveniẽtia in materia: & tamen non sunt invicem transmutabilia: ergo &c. Hujus ratio est, quia licèt materia sit una; per dispositiones sigillatur, & fit diversa. Quare si dispositiones sigillant inamissibiliter ut in cœlis, redditur materia incapax trãsmutationis, & corruptionis compositi. Vide dicta num. 8. in fine.

Ad 2. probationem minoris dic, quòd si utraque materia secunda esset ejusdẽ speciei, utraque haberet eundem appetitum, & privationem: secùs si sola materia prima, & secundũ se, sit ejusdem speciei. Ratio est, quia privatio fundans appetitum, & appetitus ipse, non dantur in materia secundùm se, ut dictum est num. 6. & ampliùs dicemus infrà quæstione de appetitu materiæ, fundantur in materia sigillata, quia fundantur in potentia proxima materiæ ad formam, & solùm per sigillationem redditur potentia materiæ proxima & expedita. Ergo quantumcumque utraque materia secundùm se sit una; si tamen sigilletur ad actus adequatè diversos, erit in utraque non idem, sed diversus appetitus. Et instatur in sententia Capreoli; de qua num. 20. Nam licèt omnes stellæ habeant materiam priam ejusdem speciei, non tamen habent eundem appetitum; alioquin possent invicem transmutari, & corrumpi. Sed hoc ideò, quia licèt conveniãt materiæ in potentialitate remota, differunt in potentialitate proxima & sigillata: & supra hanc, non supra illam fundatur appetitus materiæ, & privatio inducens appetitum.

26. Ad primam confirmationem ex D. Thoma, dicimus illã probare quòd materiæ secundæ, & earũ essentię differunt; sed non probatur quid de materia prima secundùm se. Ratio est, quia quòd materia cœlestis non possit recipere innovationẽ quoad esse, sed solùm quoad situm, non nascitur ex materia secundùm se, ut abundè probatum est, præcipuè num. 21. sed oritur ex quo materia est, sigillata ad formam inamissibilem: at hæc sigillatio non convenit materiæ, se-

secundùm se, ut patet : ergo illa diversa proprietas utriusque materiæ ; non est proprietas materiæ primæ, sed secundæ; quare non infert distinctionem nisi inter materias secundas & sigillatas, quod est sententia nostra. Instatur in sententia Thomistarũ sequentium Capreolum, ubi suprà. Nã materia Lunæ solùm potest recipere formam Lunæ ; materia autem Solis unicè formam Solis : unde videntur habere diversas proprietates. Et tamé hęc diversitas non arguit diversitaté in essentia utriusque materiæ primæ, sed diversitatem in materia secunda, & sigillata : ergo nec in casu nostro.

Nec exemplum tenet ; nam utraque natura secundùm se , & ante omnem sigillationem venientem ab extrinseco , petit diversa accidentia, nempe natura spiritualis spiritualia , materialis materialia. At utraque materia in casu nostro secundùm se non petit diversam innovationem , quia materia secundùm se non potiùs petit formam cœlestem, vi cujus innovabitur quoad situm; quàm formam elementalem , cum qua est innovabilis quoad esse. Hinc fit , quòd cùm hæc determinatio in materijs veniat à qualitatibus sigillantibus & determinantibus indifferentiam materiæ ad hanc formam præ alia ; illa diversitas arguit materias secũdas esse diversas, secùs materias secundùm se.

Ad 2. confirmationem ex Suario , dicimus quòd in nostra sententia non datur in materia cœlesti ullus appetitus ad formas sublunares. Ratio ex dictis constat , quia potentia utriusque materiæ secundùm se, & essentialiter sumptæ ; est potentia remota ad formas, quæ proxima redditur per dispositiones sigillantes & determinantes indifferentiam materiæ. Appetitus non fundatur in potentia remota , sed in proxima. Potentiæ autem proximæ utriusque materię juxta nos distinctæ sunt; quare in cœlesti appetitus non est ad formas sublunares , sed ad solam cœlestem ; quo fit ut in composito cœlesti non sit principium aliquod corruptibilitatis. Vide dictum, 6.

27. Ad secundam rationem positam num. 11. dicimus ipsam , & omnes ejus confirmationes probare quidem quòd materiæ secundæ cœlorum, & sublunarium differunt essentialiter, & specificè ; si fortè non implicat, quòd distinctio sumpta ab accidentibus, vocetur distinctio essentialis, & specifica , nam revera videtur accidentalis materiæ, cùm proveniat ab accidentibus sigillantibus , & qualificantibus materiam ad formas diversas. Quidquid sit de hoc loquendi modo , quem evitare poteris, si distinguas sic. Illæ potentiæ specie differunt, quæ respiciunt actus &c. quæ secũdùm se respiciunt actus diversos, concede : quæ ut sigillatæ, & qualificatæ respiciunt &c. nega. Quia distinctio specifica est essentialis , & debet convenire rebus secundùm se ante omnem qualificationem, alioquin conveniret per accidens distinctio quę ex terminis essentialis est, si specifica est.

At quoniam species est duplex una intrinseca, alia extrinseca, & ma-

xi-

ximè in materia prima, quæ cùm ex se non habeat actum metaphysicum, aut speciem positivam, illam recipit ab extrinseco, nempe à forma, ut dictum est quæst. 5. ideò possumus dicere utramque materiam differre specie extrinseca, non intrinsecè: quia secundùm se habent omnes materiæ eandem potentiam remotam, & solùm differunt in potentia proxima, ut dictum est. Sed hæc differentia venit ab accidentibus sigillantibus; unde constituit materias secundas diversas, nō autem materias primas, & secundùm se.

28. Sigillatim in forma respondemus, disting. min. Sic se habet utraque materia, post sigillationem, concedo, ante eam, & secundùm se, nego mjn. & sub eadem dist. negatis alijs probationibus dist. ultimam majorem. Materia, quæ potest plures formas recipere, non respicit unam inamissibiliter. Materia, quæ potest potentia remota plures &c. nego maj. materia quę potest potentia proxima concedo maj. & concessa min. dist. consequens: Ergo materia cœlestis respicit solam formam cœlestem, materia cœlestis secundùm se, & potentia remota, nego consequentiam, materia ut sigillata, & potentia proxima, concedo consequentiam. Quo sensu, materia est potens recipere plures formas, non potest respicere unam inamissibiliter. Ceterùm, quia solùm post sigillationem habet materi respicere formam cœlestem, ideò secundùm se, & ante sigillationem est potentia ad plures. Nec istæ propositiones opponuntur: *Materia secundùm se est potentia ad plures formas: materia sigillata ad formam cœlestem, respicit unam formam inamissibiliter*, nam non sunt de eodem, sed de diversis, nempe de materia prima, & materia secunda, de sigillata, & non sigillata.

Ad primam confirmationē dic probare quòd vel in beatis non est potentia remota peccandi, vel quòd illa est diversæ speciei à potentia remota viatorum; nam in viatoribus est ad actum reducibilis: sed in beatis non est reducibilis ad actum. Sed per vos potentia reducibilis, & potētia non reducibilis ad actum, sunt diversæ speciei: ergo in beatis potentia remota peccandi erit diversæ speciei à nostra. Falsitas sequelæ inde patet, quia hæc potentia oritur ex quo creatura sit facta ex nihilo, nam vi hujus potest tendere in nihilum, quod est peccare. At in ratione entis facti ex nihilo conveniunt omnes creaturæ rationales peccabiles: ergo potentia peccandi in eis, multiplex non est specificè. Sic quia omnes conveniunt in ratione entis naturalis, omnes elevantur ad ordinem supernaturalem per virtutes, & dona ejusdem speciei; non enim fides, spes, & charitas Angelorum, sunt diversæ speciei à virtutibus infusis hominum.

Directè respondemus utramque potentiam secundùm se consideratam esse ad actum reducibilem, quia secundùm se præscindit à sigillatione futura. Ceterùm post sigillationē materia sublunaris habet potentiam reducibilem, quam non habet materia cœ-

cœlestis, eò quòd hæc sigillatur qualitatibus non habentibus contrarium, & ortis à forma inseparabili. Sed cũ hæc sigiliatio constituat materiam secundam, sequitur materias secundas esse diversas ob sigillationes; sed non materia prima secundùm se ante omnem sigillationem. Vide num. 23.

Ad 2. confirmationem patet ex dictis, & præcipuè num. 23. Admitto potentias differre per ordinem ad diversos actus, neg. tamen quòd materia cœlestis secundùm se respiciat solam formam cœlestem. Solùm enim vi sigillationis habet cœlestis respicere cœlestem, & sublunaris sublunares: at sigillatio constituit materiam secũdam: ergo illi diversi ordines reddũt diversas materias secundas, non materias primas, & secundùm se. Hoc sensu exponimus D. Thomam, quia hæc ratio ejus, & præcedentes solùm probant hoc, sed nil aliud dicitur à P. Augustino, & B. Ægidio, propugnatoribus sententię nostræ. Vide dicta num. 19. pro exemplo potentiæ visivæ, & auditivę.

29. Sed dices cum Mag. Palanco 1. Physic. quæst. 6. à num. 7. Sequi ex doctrina nostra materiam esse intrinsecè potentem ad id quod est intrinsecè impossibile. Probatur sequela. Materia cœlestis ex se, & ab intrinseco, est potens amittere formam cœlestem, & recipere alias: sed si forma cœlestis est ab intrinseco inamissibilis, est intrinsecè impossibilis amitti: ergo materia secundùm se potens intrinsecè amittere formam cœlestem, potest intrinsecè ad id, quod est intrinsecè impossibile. Major patet ex dictis, quia solùm à sigillatione venit in materia, quòd sit impotens amittere formam cœlestem; sigillatio autem non est ab intrinseco materiæ, sed ab extrinseco, ut dictum est num. 27.

Secundò sequitur, quòd Deus det materiæ potentiam ad alias formas, eadem actione, qua reddit materiam impotentem recipere illas. Probatur sequela. Nam Deus creando materiam, dat illi potentiam ad formas: sed per eandem actionem, qua creavit materiam, creavit formã cœlestem in materia, & dando materiæ formam cœlestem inamissibiliter, reddit materiam impotentem recipere alias formas: ergo si in materia cœlesti secundùm se est potentia ad alias formas, Deus dedit materiæ potentiam ad illas eadé actione &c.

Tertiò sequitur Deum frustrà creasse in materia cœlesti potentiam ad alias formas, quod esse falsum patet, quia Deus, & natura nihil faciũt frustrà. Probatur sequela. Frustrà ponitur potentia, quæ nunquam est reducibilis ad actum: sed potentia materiæ cœlestis ad alias formas, nunquã est reducibilis ad actum; cùm nunquam possit deperdere formam cœlestem: ergo frustrà Deus creavit in materia cœlesti potentiã ad alias formas.

Vrgetur. Ea solùm potentia est in materia cœlesti pro illo priori ad formam cœlestem, quæ pro posteriori actuatur per formam cœlestem. Patet hoc, quia ex oppositio sequitur, quòd

quòd tota potentialitas materiæ non actuetur per formam cœlestem, & sic posita cœlesti, manebit adhuc potentia in materia ad alias formas, quod est manere in materia principiũ corruptibilitatis, quod negamus. Sed per formam cœlestem solùm actuatur potentia materię ad formam cœlestem; non enim per unam formam actuatur potentia materiæ ad alias: ergo pro priori ad formam cœlestem, non datur potentia in materia cœlesti ad alias formas, vel si datur, frustrà datur, vel si frustrà non est, erit principium corruptibilitatis.

Vrgetur secundò. Deus creans materiam cum potentia ad omnes formas, creat materiam deserviẽtem variabilitati formarum universi: sed materia destinata formis cœlestibus invariabilibus, non deservit variabilitati universi: ergo materia sic creata pro cœlestibus corporibus, non habet potẽtiam ad omnes formas. Hinc sequitur, quòd cùm Deus Creator universi fecerit effectus variabiles, & invariabiles, utrisque destinavit materias proportionatas: ergo cœlestibus invariabilibus materiam destinavit cum sola potentia ad formam invariabilem; sublunaribus mutabilibus destinavit materiam variabilem cum potentia ad formas omnes corruptibiles. Patet consequentia, quia ex oppositio non stabit proportio, ut si pro effectibus variabilibus poneretur materia cum potentia ad solam formam invariabilem; & pro perpetuis poneretur materia cum potentia ad omnes formas corruptibiles.

30. Hæc facilè solvuntur, si deponendo falsam imaginationem, qua concipimus Deum creasse diversas materias, concipiamus unicam materiam informen in sacris litteris insinuatam, & à P. Augustino declaratam, ex qua cœlum & sublunaria fecit Deus, dum in principio creavit cœlum, & terram. Sicut enim in portione materię cœlestis posita est forma cœlestis inamissibilis, potuit poni forma elementi, aut mixti sublunaris, & è contrà: ergo ante voluntatem Dei determinantem portiones pro cœlestibus, & sublunaribus, materia quælibet erat indifferens ad omnia, & sic ad omnia potens. Nec potentia ista frustranea est in materia cœlesti. Deservit enim, ut Deus pro suo arbitrio potuisset inducere in ea formam sublunarem, si vellet; quod non posset si talis esset materia, qualem vult Palanco cum sociis.

Ad primam ejus replicam vel nego absolutè sequelam, vel distinguo claritatis gratia. Sequitur materiam esse intrinsecè potentem ad intrinsecè impossibile, potentem potẽtia proxima, nego, potentia remota, subdistinguo; ad id quod est intrinsecè impossibile, impossibile sub omni conceptu, nego, sub aliquo conceptu, iterùm subdistinguo, & sub eo cõceptu materia est potens, nego, & est potẽs materia ad id sub alio conceptu, sub quo id non est impossibile, concedo. Potentia materiæ ad omnes formas remota est, non proxima, quia est ante omnem dispositionem, & sigillationem. Hinc est, quòd hęc potentia

tia est ad omnes formas sub ratione communi formæ, quia est ad omnes indifferenter, & in ea ratione, qua conveniunt; solùm enim potentia materiæ determinatur ad hanc formã sub ratione particulari per sigillationem, & dispositionem ad hanc formam præ alia. Ergo potentia materiæ remota ad omnes formas, respicit cœlestem sub ratione communi formæ; atqui forma cœlestis sub ratione cõmuni formæ non est inamissibilis, sed sub ratione particulari talis formæ: ergo potentia materiæ ad omnes formas, non est ad quid impossibile sub eo conceptu, quo est impossibile.

Forma cœlestis sub ratione particulari talis formæ est inamissibilis, & impossibilis amitti. Cetertùm sub isto conceptu non respicitur à materia secundùm se, sed à materia sigillata. At materia sigillata, licèt remotè sit potens ad omnes formas, proximè est impotens ad eas: ergo in materia non datur potentia, sed impotentia ad formas sub eo conceptu, quo respicit determinatè formam inamissibilem & impotentem amitti. Observa fallaciam termini *ab intrinseco*, nam ponitur ex parte materiæ, dum applicatur potentiæ; & ex parte formæ, dum applicatur termino inamissibili. Ceterùm cùm forma sit extrinsecè adveniens materiæ, quidquid oritur à forma, extrinsecũ materiæ erit. Cùm ergo inamissibilitas formæ oriatur à forma, & non à potentia materiæ, fit quòd non est ab intrinseco materiæ, quòd respiciat formam impossibilem amitti, sed ab intrinseco formæ, quod relatè ad materiam extrinsecum est.

Ad secundam sequelam admitto illam, distinctione data, nempe quòd Deus creando materiam, & concreãdo formam cœlestem inamissibilem eadem actione, dedit materiæ potentiam remotam ad omnes formas, & impediendo illam, dedit materiæ impotentiam proximam ad eas. Quid inde contra lumen naturæ? Certè nihil. Sic Deus creando animam Beatissimæ Virginis Matiæ ex nihilo, resultavit in anima potentia peccandi, sed eam Deus impedivit concreando gratiam, qua reddita est impotens proximè peccare, & præservata ab originali labe. Cum potentia remota non est in conjungibilis impotentia proxima: ergo vi ejusdem actionis Dei possunt dimanare.

Ad tertiam sequelam patet ex dictis, nego illam, nec contrarium probatur. Quia licèt potentia materiæ ad omnes formas, posita cœlesti, non sit reducibilis ad actum, fuit reducibilis, si non poneretur in materia forma cœlestis. Ergo frustranea non fuit & deservit, ut Deus haberet inter portiones materiæ arbitrium, ut cuicũque vellet, daret formam sublunarẽ, quod non posset, si ex natura sua daretur materia potens solùm ad formã cœlestem, qualiter contendunt Thomistæ.

31. Ad primam urgentiam, insto illam in materia sublunari, quæ pro priori ad formam sublunarem habet potentiam ad omnes sublunares: & tamen pro posteriori non recipit omnes, sed unam: ergo pro priori nõ habuit potentiam ad omnes, vel pro po-

posteriori non est satiata: quorum utrumque falsum est. Directè respondeo quòd potentia remota materiæ est ad omnes, sed sub ratione cōmuni formę, quę ratio communis salvatur in qualibet forma, & per quamlibet satiatur. Potentia proxima materię non est ad omnes, sed ad unam sub ratione particulari, & ea habita, satiatur potentia materiæ. Cererùm cùm forma sublunaris non uniatur inamissibiliter, sed mediis qualitatibus habentibus contrarium; ideò materia recipiens novas dispositiones ad alteram formam, recipit eis novam potentiam proximam ad illam; & in ea fundatur appetitus, & quòd per primam formam non satietur. Per formam cœlestem satiatur potentia remota materiæ ad omnes, & proxima ad cœlestem: cùmque non admittat peregrinas qualitatum impressiones, nunquam suscitatur in materia appetitus insaciabilis aliarum formarum: qui est principium corruptibilitatis.

Ad secundam urgentiam dic, quòd materia destinata ad formas cœlestes, non deservit variabilitati sublunariam; ceterùm potuit deservire, si Deus voluisset: nec potuisset, nisi haberet potentiam remotam ad ōmnes formas, ut dictum est. Nec consideratio Magistri Palanco tenet, sed potiùs Augustiniana, qua ponitur materia sic communis, ut in quacumque portione Deus pro libito potuerit ponere quamcumque formam. Si tamē contrarijs considerationibus standum est, ligatur Dei voluntas, & infinitas penè species materiæ creare tenetur, ut contra Cajetanum arguebamus num. 20. Debent quidem materiæ proportionari effectibus, sed taliter quòd libertas Dei non coarctetur in ponendo sub qualibet materia quamcumque voluerit formam. Sic omnia quæ sunt *Per voluntatem Dei erant*, ut sacra pagina dicit, & docet. Adde quòd materia solùm potens ad unam formam impossibilis est, ut dicemus §. 5.

31. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 13. dicimus sententiam, sub qua procedunt de corruptibilitate cœlorum, esse probabilissimam in sacro textu, in SS. PP. in Recentioribus astronomis, & à ratione. Cererùm, quia B. Ægidius tenet cum Aristotele contrariam, nec ab ea dissentit S. P. Augustt. ideò non probamus viam illam defendendi unitatem utriusque materiæ; nec acquiescimus fundamentis pro ea positis. Ad primū concedimus cœlos, & elementa facta ex eadem materia; demus etiam cœlos factos ex materia aquea, ut contendit ex S. Petro via ista; nego tamen cœlos corruptibiles; nam carent qualitatibus contrarijs, & sunt inalterabiles. Omnis autem corruptio venit media alteratione; at cœli sunt inalterabiles, tum quia carent contrarietate qualitatum, & alteratio fit de contrario in contrarium. Tum quia cœlum est primū alterans: & primum alterans non est alterabile; sicut primum movens non est mobile, ut dicemus 7. Physicorū. ergo cœli non sunt corruptibiles.

Ad secundam probationem ex Scriptura respondemus cum P. Augustino locis datis num. 3. nomine cœli

innovandi, & comburendi, explicari aerem terræ vicinum, aut fortè totam aeris regionem: quo sensu *aves cœli* dicuntur in sacris litteris, id est aves aeris, & per aerem volitantes.

Ad fundamenta posita num. 14. contra rationem Aristotelis, dicimus motrice cœlorum esse ab intelligentia motum, sed non esse violentum, sed cõnaturalem cælis. Ratio est, quia nullũ violentum est permanens; motus autẽ circularis cœlorum permanet ab initio mundi, durabitque usque ad diem judicij, in quo, teste Ioanne in Apocalypsi, cessabit motus cœlorum, & tempus; nam *Iurabit per viventem in sæcula sæculorum quòd tempus non erit amplius*. Si ergo motus cœli est permanẽs, violentus non est, sed naturalis, etsi dependenter ab Angelo movente primum mobile, quo moto moventur alij orbes, sicut in horologio rotæ cõcatenatæ. Si autem Angelus alio motu non circulari moveret cœlos, violentiam inferret; quia poneretur motus susceptivus contrarietatis in corpore, non habente contrarietatem quoad esse substantiale, & accidentale. Hic sistimus, nam alia ratio de figura sphærica cœlorum non est hoc loco examinanda, sed in libris de Cœlo. Nec Aristoteles circulat in ratione sua probans incorruptibilitatẽ cœlorum, quia istam probat à posteriori ex motu eorum, non habente contrarietatem. Operatio est index formæ, qua operamur: ergo si motus cœlorum est sine contrario, formæ cœlestes non habent contrarium, nec sunt alterabiles & corruptibiles, sed pernecessariam rationem sui esse. Hæc sententia Aristot. potest fundari in sacra Scriptura, ut in lib. 2. Paralip. cap. 6. ubi cœli dicuntur firmissimi. Iob 37. solidissimi, quo videtur everti sententia docens cœlos esse fluidos. Itẽ Psal. 148. & Epist. 2. ad Corinth. cap. 5. dicuntur æterni, nempe in posterum. Quod sufficiat insinuasse, ut ad nostra redeamus.

33. Ad tertium fundamentum à ratione, dicimus quòd materia cœlestis est potentia remota ad esse, & non esse; quare quoad istam potentiã est ejusdem speciei cum materia sublunarium. At non est potentia proxima nisi ad esse, quia hæc constituitur per qualitates inalterabiles, & sic purè disponunt ad esse perpetuum formæ cœlestis. Hinc venit incorruptibilitas cælorum: sicut à contrario in sublunaribus venit corruptibilitas, quia potentia proxima materiæ est ad esse, & non esse, cùm disponatur materia per qualitates alterabiles. Cõtra hoc nil valent tres probationes fundamenti. Non prima, quia potentia proxim materiæ, on est pura, sed qualificata, & actuata per dispositiones. Non secunda, quia licèt materia ex se habeat privationem, & ab alio formam, potẽtia remotá materię, quę est ad utrumque, redditur per dispositiones cælestes determinata & proxima ad solam formam. Non tertia, quia Philosophus loquitur de materia, & subjecto remoto, dum dicit materiam esse subjectum privationis.

34. Ad confirm. 1. dicimus, quòd materia Solis est potentia remota ad for-

formam Solis, & ejus privationem; sed non est potentia proxima nisi ad solã formam illam. Ratio utriusq; est; quia eo modo materia est potentia ad privationem formæ, quam habet, quo est potentia ad formas, quas non habet: sed ex dictis patet quòd materia Solis solùm est potentia remota ad alias formas: ergo &c. Ad 2. confirm. dic cœlos, & sublunaria, quæ sunt unũ in genere logico substantiæ, esse unũ in materia remota, sed non in proxima: per quod patet ad 3. confirm. etiam si admittatur forma corporeitatis, de qua suo loco in hoc libro.

§. V.

Expenditur, an sit possibilis materia diversæ speciei?

34. TENENT possibilem materiã diversæ speciei à materia, quæ de facto datur, Bachonius in 2. Sent. dist. 14. q. 1. art. 4. & 5. ubi negat cum Commentatore cœlos habere materiam, sed contra Ægidium nostrũ t__t nõ repugnare duas materias specie differentes. Eandem tenet Suarius recentior, nec dissentit antiquior, quã etiam communem vocat Quiros.

Probatur à Suare 1. quia materia ex se habet actum entitativum; nõ autem implicat duas materias specie differre per suos actus entitativos. 2. Quia materia non est infimum in genere ntis; alioquin esset impe fectior accidente, quod falsum est, cùm materia sit substantia, quæ perfectior est omni accidente: sed si materia non est essentialiter infimum in genere entis, admittit latitudinem gradualem, ita ut possibiles sint duæ materiæ diversæ perfectionis, & inæqualis: ergo & diversæ speciei.

Ex Bachonio probatur sic: Non implicat duas materias differre essentialiter: ergo possibiles sunt diversæ speciei. Probatur antecedens. 1. quia potest una materia esse principium sũ ius generationis; alia verò principiũ generationis simul, & corruptionis. 2. Potest una materia esse magis determinata ad formas, quàm alia. 3. Potest una materia petere quantitatem aut aliud accidens, quod non petat alia: ergo possunt sine implicatione distingui essentialiter quoad hoc.

Ab aliquibus nostris probatur sic: Possibilis est materia, quæ sit magis pura potentia, quàm ea quæ de facto datur: ergo possibilis est alia, quæ sit diversæ speciei. Probatur antecedens. Materia, quæ de facto datur, habet potentiam naturalem ad formas: sed possibilis est materia, quæ habeat solam potentiã obedientialem ad formas; & potentia obediẽtialis est minor, quàm naturalis: ergo &c. Et confirmatur. Non repugnat puras potentias differre per determinationem ad certos actus; ergo non repugnat materias sic differre. Probatur antecedens. Intellectus noster est pura potentia in genere intelligibili: & tamen habet determinationem ad actus intelligendi, ad quos non est determinata pura potentia materiæ: ergo.

35. Ex principijs Thomistarũ probatur etiam sic: Possibilis est materia, quæ non sit formaliter materia, sed solùm æquivalenter: sed hæc materia æquivalenter solùm talis, est di-

ver,

versæ speciei à materia de facto existente, quæ est formaliter materia: ergo &c. Probatur antecedés ex D. Thoma 3. p. quæst. 77. art. 5. in corpore, ubi loquendo de verme, qui aliquando generatur ex speciebus eucharisticis, refert duas sententias, unam asserentem Deum, tunc novam creare materiam, ex qua, & in quam inducitur forma vermis ab agentibus naturalibus: aliam dicentem, quòd quantitas eucharistica panis destructi gerit vices materiæ; & hanc secundam sententiam approbat S. D. & vocat rationabiliorem. Atqui quantitas gerens vicem materiæ, non est materia formaliter, sed æquivalenter: ergo.

Et confirmatur. Sicut potentia pura constituitur per ordinem ad actu ita distinguitur per eundem ordinem: sed possibilis est materia quæ dicat ordinem ad solum actum indefectibilé, qualis est forma cœlestis: ergo possibilis est materia distincta ab ista, quæ dicit ordinem ad actus omnes defectibiles, & indefectibiles.

Confirmatur 2. Materia sigillata per nos est determinata ad solá formam cœlestem, & sic sigillata, specificè differt à materia sublunari; sed possibilis est materia, quæ ratione suæ entitatis habeat eandem determinationem, ac materia sigillata: ergo illa ratione suæ entitatis erit diversæ speciei ab ista. Probatur min. Potest Deus producere entitatem simplicem, quæ sit ejusdem perfectionis ac complexũ materiæ sigillatæ: at illa entitas ratione sui haberet eandem determinationem ac materia sigillata: ergo &c.

36. Contrariam sententiá docet N. B. Ægidius locis laudatis, quam probat ex dictis P. Augustini, ob idque defenditur à ferè omnibus Augustinianis, & ab aliquibus suprà allegatis pro nostra sententia. Cum eis, & Villanova nostro probatur sic ex B. Doct. Nõ sunt possibiles duæ materiæ, inæqualiter distantes à Deo, & à nihilo: sed si specificè differrent, inæqualiter distarent: ergo non sunt possibiles. Minor probatur ex Philosopho, sæpè docente quòd *Species sunt sicut numeri*; hoc est, sunt inæquales in perfectione, sicut numeri inæquales sunt in quantitate, semel quòd differant specie, ut patet de binario, & ternario. Atqui si inæquales in perfectione essent materiæ, inæqualiter distarent à Deo, & à nihilo; nam quò major est perfectio creata, eò minus distat à Deo, & magis à nihilo: ergo si materiæ differrent specie, inæqualiter distarent à Deo, & à nihilo. Quòd autem hoc repugnet, probatur. Omnis materia possibilis, si materia est, debet esse pura potentia, & ens imperfectius omni ente excogitabili: sed si duæ materiæ inæqualiter distarent à Deo, illa quæ minus distaret, non esset ens purè potentiale, nec imperfectius omni ente excogitabili; nam imperfectior esset illa materia, quæ magis distaret à Deo: ergo &c. Probatur major ex dictis suprà de mente P. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 8. ubi materiam vocat *prope nihil*; item informitatem sine ulla specie, ac omnimodam privationem speciei. Nihil enim imperfectius, & potentialius cogitari potest

in

in genere entis.

Confirmatur. Quia mors est pura carentia vitæ, implicat quòd una mors sit major altera. Hæc est ratio cur una ægritudo potest esse alia major, quia ægritudo non est pura carẽtia salutis, sed consistit in distemperie qualitatum, quæ habet latitudinem gradualem, & jam est major, jam minor. Mors autem non sic ob rationem datam. Atqui materia essentialiter est pura potentia, ut dictum est q. 5. & sic est pura carẽtia actualitatis, & perfectionis specificæ positivæ: ergo nec datur, nec possibilis est, una materia potentialior alia, aut inæqualiter distans à Deo, & nihilo.

Confirmatur 2. Implicat materia, quæ non sit primum subjectum, & prima causa materialis formæ: sed si possibilis esset materia diversę speciei, illa non esset prima causa materialis, & primum subjectum: ergo &c. Major patet, quia id est essentia materiæ, ut materia est. Minor probatur. Materia si differret specie ab ista, esset minus potens ad formas, quia esset minus potentialis, aut quia ejus potentialitas non esset tanta, quanta est potentialitas materiæ nunc existentis: sed materia habens minorem potentialitatem, non esset prima causa, & primum subjectum: ergo &c. Probatur min. Prima causa materialis habet essentialiter omnẽ potentialitatem in genere illo, & sic est potentialis in infinitũ, sicut prima causa efficiẽs habet essentialiter omnem efficacitatẽ illius generis: & universaliter quod est primum in quocumque genere, est in eo

præhabẽs omnem perfectionem illius generis. At materia habens minorem potentialitatem, ac materia de facto existens, non haberet omnem potentialitatem in genere causæ materialis: ergo.

37. Respondebis cum Suarę ad præcipuam rationem Ægidij, materiam esse ens imperfectissimum, si cõparetur ad formas: secùs relatè ad alias materias possibiles. Cetèrum, ut benè notat Villanova, hæc solutio nõ tangit vim argumenti. Argumentum probat inæqualitatem essentialem specierum supremi penes inæqualem accessum ad Deum; hoc non tangit solutio, & argumentum probat esse impossibilem inter materias: ergo probat materiam esse ens imperfectissimum nedum relatè ad formas, sed relatè ad alias materias, quas ideò suadet esse impossibiles.

Dices cum Cajetano loco laudato ubi suprà. Majorem, vel minorem perfectionem in materijs non esse subjectivam, sed terminativam, quatenus una materia est capax perfectioris formę, alia formæ imperfectioris. Ægidij ratio procedit de perfectione subjectiva, non de terminativa; & sic non tenet. Sed contra, quia quòd una materia sit capax unius formę, & alia alterius, hoc venit non à forma, sed ab entitate materiæ: ergo ipsa major vel minor perfectio terminativa oritur ex majori, vel minori perfectione subjectiva, & entitativa. Ergo si Ægidij ratio probat istam impossibilem, plenè probat. Rursus dic nobis cur una materia respicit formam perfectiorẽ? Nõ

cer

certè, quia est dispolita, quia loquimur de materijs secundùm se ante omnem dispositionem. Non etiam vi illius formæ, quia sicut forma venit ab extrinseco materiæ, sic species materiæ foret plenè extrinseca: ergo restat recurras cum Cajetano ad entitatè subjectivam materiæ, quæ cum sola forma perfectioni coaptatur naturaliter: ergo recidis in subjectivam inæqualitatem.

Dices cum Bachonio P. Augustinum loqui de materia existente, dum ajt esse prope nihil, & omni ente imperfectiorem, eò quòd materia præsens est simul principium ad esse, & non esse formæ. Si autem S. P. loqueretur de materia possibili, non diceret esse prope nihil, quia possibilis est materia, quæ solùm sit principium ad esse formæ: & hæc esset materia perfectior. Contrà: nam vidimus ex P. Augustino quòd materia unica est in cœlis, & sublunaribus: sed in cœlis solùm est principium ad esse: ergo materia, quæ solùm principiaret esse, adhuc foret prope nihil. Contra 2. Quia non est possibilis materia solùm principiãs generationem & esse, nisi sit determinata ad solam formam incorruptibilem: sed implicat quòd sit materia, & sit ex se sic determinata: ergo possibilis non est. Probatur min. Materia sic determinata, haberet aliquam actualitatem, & non esset pura potentia, nec haberet omnem potentialitatem excogitabilem: ergo non esset materia, ut suprà dictum est. Vide in lib. de Anima rationes, quibus probatur repugnare, intellectum aliquorũ solùm entium cognoscitivum, & tales applicã, ut repugnet materia receptiva solùm aliquarum formarum.

38. Ad fundamenta contraria sent. posita n. 34. respondemus, & ad primum Suarij dic ex q. 4. materiam non habere actum entitativum. Ad 2. dic, quòd in genere substantiæ materia est perfectior accidente, sed non in linea actualitatis, cùm nullum accidens sit, quod non sit actus in genere entis. Sic ens supernaturale est perfectius quàm anima, licèt hæc sit substantia, & illud accidens. Ratio Ægidij dicit materiam infimam in genere entis actualis.

Ad rationem Bachonij neg. antecedens. Ad 1. probationem nego ex dictis quòd sit possibilis materia quæ solùm sit principium generationis. Nã licèt in cœlis ita sit; non habet hoc materia cœlestis ex se, sed à sigillatione qualitatum, ut dictum est. Ex quo ad 2. probat. dic implicare unam materiam esse ex se magis determinatam, quàm aliam; cùm à pura potentia, in qua conveniunt, non possit sumi determinatio major vel minor, sed ab actu, quo caret utraque pura potentia. Ad 3. nega assumptum, quia materia ex se non petit determinatam quantitatem & determinata accidentia, sed solùm ratione formæ, ad quam disponunt. Ergo attentis materijs secundũ se, nil petit una, quod non petat alia.

Ad aliam rationem nego quòd sit possibilis materia, quæ sit magis pura potentia, quàm materia præsens. Ad probationem dic nõ esse possibile ens substantiale quod sit in potentia solũ obe-

obedientiali ad formas. Ratio est, quia omnis potentia obedientialis fundatur in entitate rei, quæ nata est obedire Creatori quodcumq; volenti. Sed ens quodlibet est actus, vel potentia naturaliter receptiva actus: ergo implicat potentia ad formas, quæ non sit naturalis. Observa, quòd si vera est sententia, de qua in sequenti solutione, quantitas gerens vices materiæ, solùm habet potentiam obedientialem ad formas, cùm formæ non recipiantur naturaliter in quantitate, sed ex suppositione miraculi. At quantitas est actus accidentalis de genere entis, & ideò supra illum actum fundatur potentia obedientialis illius. At materia nõ est actus in genere entis, sed potétia: quare si à materia tollas rationem potentiæ naturalis, tollis ab ea entitatem, & manet nihil. Sed in nihilo non potest fundari potentia obedientialis ad formas: ergo nequit dari materia, quæ sit potentia purè obedientialis ad formas.

Ad confirm. dic repugnare puras potentias esse determinatas ad certos actus. Ad probationem, nega quòd intellectus sit pura potentia simpliciter; nam est potentia activa intellectionis, & est qualitas, & actus de genere entis, ut dictum est de potentijs visiva, & auditiva. Hinc patet nullum exẽplum tenere ad materiam, quia hæc est pura potentia simpliciter in genere entis; alia autem sunt vel actus, vel potentia mixta cum actualitate entitativa. Sic natura rationalis est pura potentia passiva ad esse supernaturale; ceterùm est pura potentia secundùm quid, & in tali ordine, nõ autem simpliciter, quia in genere entis natura rationalis est actus, & perfectissimus de ordine naturali.

Ad ultimam rationem ex doctrina Thomistica, nego illam sententiã esse D. Thomæ cum Capreolo in 4. Sent. dist. 12. art. 3. ad 1. Scoti. Idem docet Soto in 4. dist. 10. q. 2. art. 5. & alij Thomistæ, quos referunt, & sequuntur PP. Salmantic. tractatu 23. de Eucharistia disp. 8. dub. 5. Vide Palancum lib. 1. Physicæ quæst. 1. latè propugnante contra docentes quãtitatem gerere munus materiæ. Ei plenè assentimur, sed nolumus doctrinã hujus quæstionis tali asserto alligare. Quare.

Admissa sententia illa, quã aliqui Thomistæ defendunt ut de mente D. Thomæ, respondemus quòd tunc quãtitas esset materia æquivalenter, cetertùm nil contra nos, qui quærimus, an sit possibilis alia materia formaliter. Sententia nobis objecta ostendit aliã materiam æquivalenter; imò est alia materia subjectivè, sed nec est alia materia formaliter, ut dictum est; nec est alia æquivalenter, quia non æquivalet alteri materiæ distinctę à prẽsenti, sed præsenti: ergo non est æquivalẽter materia distincta ab hac, sed æquivalens huic, vel æquivalenter hæc.

Ad 1. confirm. dicimus minorẽ esse falsam, quia pura potentia materiæ nequit ex se determinari ad formã indefectibilem, ut à nobis probatũ est. Fatemur materias differre per ordines; sed negamus possibilẽ materiam, quæ dicat diversum ordinem ac ista nostra,

qui a non est posſibilis materia, quæ non ſit pura potentia, & infinitè potẽtialis, ut eſt noſtra.

Ad 2. confirmat. dicimus quòd eodem argumento probatur posſibilis ſubſtantia ſupernaturalis creata, cui connaturale ſit lumen gloriæ, & videre Deum. Nam hęc omnia ſunt debita, & connaturalia huic complexo, homini perfuſo lumine gloriæ: at poteſt Deus producere entitatem ſimplicem æquivalentem perfectioni illius complexi: ergo cùm entitas illa eſſet ſubſtantia, & ſupernaturalis, posſibilis erit ſtantia ſupernaturalis creata, quæ negatur à Theologis omnibus, ſi excipias P. Ripaldam.

Dicendum utrobique repugnare entitatem ſimplicem habentẽ perfectionem illius complexi. Ratio eſt, quia in materia ſigillata datur effectus formalis formæ accidentalis ſigillantis: in homine elevato datur effectus formalis luminis elevãtis: ſed effectus formalis formæ nequit dari adhuc divinitus ſine forma: ergo ſine formis conſtituentibus utrumque complexũ, nequit dari in ſimplici entitate perfectio complexi.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An materia habeat propriam exiſtentiam?

§. I.

Quibuſdam notatis, proponuntur ſententiæ cum ſuis fundamentis.

1. EXISTENTIA eſt illa actualitas, per quam res ponitur extra omnes ſuas cauſas. Sic roſa non exiſtit hyemali tempore, ſed verno; quia in hyeme eſt intra ſuas cauſas, in vere autem pullulans, extra cauſas ponitur, in quibus continebatur. Quare naſcens acquirit actualitatem eſſendi, & hęc vocatur exiſtẽtia. De iſta actualitate quærimus, an detur in materia ratione ſui, an verò ratione formæ?

Supponunt omnes quòd in creaturis eſſentia realiter diſtinguitur ab exiſtentia, ut diſputetur hoc de materia prima; alioquin non erit locus quæſtioni, ut patet ſequenti argumẽto, quod aliquibus, ni dicam omnibus, videtur demonſtrativũ. Suppoſita iden titate inter eſſentiam, & exiſtentiam, quidquid habet eſſentiam propriam, habet propriam exiſtentiam: ſed materia prima ratione ſui habet propriã eſſentiam: ergo & propriam exiſtentiam. Conſequentia videtur convincens, licèt revera non ſit talis, ut videbimus q. ſeq. Nihilominus, quia hìc decidẽda eſt quæſtio ex principijs communibus, ideò cum communi placito ſupponẽda eſt diſtinctio realis inter eſſentiam, & exiſtentiã creatam. His notatis.

2. Prima ſententia dicit materiam ratione ſui habere propriã exiſtentiam, diſtinctam ab exiſtentia formæ, & compoſiti. Hanc vocat incompletam, ſicut entitas materiæ incomple-

pleta est, & completur per entitatem formæ. Dicit etiam quòd per istam existentiam materia non potest naturaliter existere sine forma, quia Deus ligavit materiam formis, ut sine aliqua non possit naturaliter existere; divinitus tamen potest hoc ligamẽ dissolvi, & sic materia sine ulla forma existere. Sic sentiunt Henriquus, Scotus, & Scotistæ; licèt Mastrius in Philosophia lib. 1. disp. 2. q. 2. dicat Scotũ solùm contendere materiam habere entitatem productam, distinctam ab entitate formæ, quæ sit in potentia subjectiva ad formam. Accedunt DD. Societatis ferè omnes. Ex nostris eandem propugnant Ariminensis, & ejus discipulus Albertus de Saxonia, Lusitanus, Venetus, & Landon.

Probatur 1. Materia, & forma equi fuerunt productæ diversis actionibus: ergo habent diversas existẽtias. Patet consequentia. Quia omnis actio productiva, est communicativa existentiæ; nec aliter res producitur, nisi recipiendo existentiam per actionem sui productivam; quare si materia & forma producuntur diversis actionibus, recipient diversas existentias. Antecedens etiam patet; quia materia, cùm sit ingenerabilis, facta est per creationem; forma verò equigenerabilis, facta est per generationẽ, at actio creativa, & actio generativa sunt diversæ, ut patet, cùm illa sit fieri rei ex nihilo, ista autem fieri rei ex præsupposito subjecto: ergo &c.

Confirmatur. Si materia nõ haberet propriam existentiam, sed participatam à forma, vel à composito, toties generaretur, & corrumperetur materia, quoties generantur, & corrumpuntur composita substantialia: sed hoc dici non potest de materia ingenerabili, & incorruptibili: ergo nec negari potest materiam habere propriã existentiam. Probatur maj. Res non aliter generantur, & corrumpuntur, quàm acquirendo, vel deperdendo esse existentiæ: sed si materia existit per existentiam formæ, vel compositi, toties acquirit vel deperdit existentiam, quoties genita, vel corrupta fuerit existentia formæ, vel compositi: ergo.

3. Secundum fundamentum ejusdẽ sententiæ est hoc. Materia prima est causa materialis formæ, & compositi; cùm forma ex materia educatur & compositum constituatur intrinsecè ex materia, & forma, ut ex potentia & actu. Ergo materia est prior utroque. Patet consequentia. Nã omnis causa est prior suo effectu. Nũc sic. Quando materia præcedit formã, vel compositum, materia non est nihil; alioquin forma fieret ex nihilo, & in nihilo reciperetur, quod implicat: ergo materia pro illo priori existit. Patet hæc consequentia. Quia quod non existit, est actu nihil: unde si materia pro illo priori non est actu nihil, tunc existit. Nunc iterùm. Sed materia existens pro priori ad formam, nequit existere per existẽtiam formæ; alioquin haberet ante formam effectum formalem formæ: ergo materia pro illo priori existens, existit per existentiam propriam.

Confirmatur 1. Causa sive materialis, sive formalis, nequit realiter

causare, quin ipsa priùs realiter causetur; alioquin causaret dum ipsa est solum in potentia objectiva: atqui omnis productio terminatur ad dandam existentiam rei productę, cùm vi productionis ponatur extra causas: ergo materia, quæ causa est materialis formæ, & ante formam à Deo producta, debet vi suæ productionis habere propriam existentiam.

Confirmatur 2. Id quod habet essentiam distinctam à forma, & independenter ab ea, debet etiam eodem modo habere existentiam: sed materia antecedenter ad formã, habet propriam entitatem & essentiam: ergo &c. Major patet, tum quia eadem est ratio distinguendi existentias, ac entitates, & essentias, tum quia nisi per existentiam non ponitur entitas extra causas, & extra potentiam objectivã.

Confirmatur 3. Pro illo priori, quo materia præcedit formam, vel materia est extra causas, vel intra causas. Si extra? Ergo per existentiam, quæ non potest esse existentia formæ, sed propria, ut patet ex dictis. Si intra causas? Ergo est nihil, & non potest recipere formam. Patet consequentia, quia res carens existentia, nihil est; & in nihilo non potest forma recipi.

4. Secunda sententia docet materiã non habere propriã existentiã, sed existere per existentiam formæ, vel cõpositi. Ita omnes Thomistę cum D. Thom. quos passim citatos invenies, nec non Ægidiani cum B. Doct. quos refert, & sequitur Villanova disp. 4. dub. 3. licèt ipse singulare teneat viam procedens sub distinctione, de qua posteà. DD. hujus sententiæ concordantes in præcipuo asserto, in duobus differunt. Primò in explicando quomodo materia existit pro illo priori, quo præcedit formam. Nam Froylanus, & aliqui tenent existere vialiter, propugnantes statum vialem mediũ inter possibilitatem, & existentiam. Palanco, & alij negant talem statum: de quo infrà, dum sententias expendamus. Secundò differunt, quoniam Gavardi noster cũ aliquibus, nedum materiæ negat propriam existentiam, sed etiam formis materialibus, propter duo. 1. quia sicut soli composito cõpetit per se produci, partibus verò ratione compositi, sic soli composito per se convenit existere. Secundò, quia proprium est solius formæ spiritualis habere existentiam independentem à materia: ergo quæcumque forma materialis non habet existentiam propriam, sed emendicatam à composito.

At contra reliqui DD. præcipuè Thomistæ, docent quamcumque formam habere propriam existẽtiam. Tũ quia nunquam à D. Thoma dictum est formam non posse existere sine materia, pluries tamen dicit materiã non posse existere sine forma: ergo quia aliter sentit de materia, ac de forma quoad propriam existentiam. Tum quia præcipuæ rationes, quibus probatur materiam non habere propriã existentiam, nec posse existere sine formã, nil probant de forma, ut patebit. Tum quia quod convenit composito, id convenit ratione alicujus partis; existentia verò conveniens compositio, nequit convenire illi, nisi ratione formæ, quæ est actus primus. Tum tandẽ quia si formæ accidentales habẽt juxta

ea D. Thomam existentiam propriam, licèt B. Ægidius teneat oppositũ, de quo alibi; ergo potiori titulo forma substantialis, quę perfectior est omni accidente.

Ob hæc putamus veriorem hãc positionem, licèt fortè sit quæstio de voce. Nam in re omnes fatentur in cõposito unicam existentiam: dubium est an hęc dicenda sit propria formę, an compositi? Dubium est de nomine. Dubitari potest, an composito conveniat ratione formæ, an formæ ratione compositi? De re dubitatur, sed de levi: in qua verior est positio Thomistarum propter dicta. Nec urgent fundamenta Gavardi; ad primum dicimus compositum per se produci, quia forma educitur de potentia materiæ, vel materiæ unitur: ergo datur composito existentia, vi formæ constituẽtis, & actuantis materiam in composito. Ad secundum dic, quòd formæ spirituali proprium est habere existẽtiam propriam, qua potest naturaliter existere sine materia, ut est anima nostra separata: & hoc habet, quia pro operando, intelligendo, & volendo, non pendet à materia. At forma materialis, quæ pendet in operando à materia, pendet in essendo; & sic nequit naturaliter existere sine materia, at potest divinitus, nec posset, nisi existentiam propriam haberet. Quidquid sit.

5. Probatur sententia negans materiæ propriam existentiam, primò ex D. Thoma 1. p. q. 7. art. 2. ad 1. ubi ait: *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cùm non sit ens actu, sed potentia tantùm; unde potius est concreatum, quàm creatum.* Et q. 4. de potentia, art. 2. in corp. ait: *Materia prima non potest in rerum natura existere quin aliqua forma formetur. Quidquid enim in rerum natura invenitur, actu existit; quod quidem non habet materia nisi per formã, quæ est actus ejus.*

A ratione probatur. 1. Totum substantiale est unum per se non solùm in ratione entis, & substantię, sed in ratione existentis: sed si materia haberet propriam existentiam, compositum ex materia, & forma resultans, non esset unum per se in ratione existentis: ergo materia non habet propriam existentiam. Probatur min. Ex duobus entibus in actu nequit resultare unum per se: sed si materia & forma, haberent proprias existentias, essent duo entia in actu: ergo &c.

Hoc est præcipuum fundamentum hujus sententiæ, sed solvitur à cõtrarijs, dicentibus materiam, & formam cum suis existentijs partialibus & incompletis, esse duo entia in actu incompleto; quare ex eis potest resultare unum per se. Solùm enim ex duobus entibus completis, vel in actu cõpleto, resultat unum per accidens, & non per se. Sed tales non sunt materia, & forma cum suis existentijs partialibus & incompletis. Quare sicut sunt duæ essentiæ incompletę, ex quibus resultat essentia completa compositi, quæ est una per se; sic &c.

6. Hæc solutio variè impugnatur à Thomistis: à Complutensibus sic, probando non dari existentias partiales, & incompletas. Implicat quòd exi-

xistentia dividatur in completam, & incompletam ergo implicat in terminis existentia partialis, & incompleta. Patet consequentia, quia implicat existentia particularis, quæ non contineatur sub ratione communi existentiæ. Antecedens probatur. Implicat quòd detur res, cujus differentia sit imperfectior genere, aut ratione sua communi, ut docet Aristot. 10. Metaph. & D. Thomas 1. p. q. 50. art. 5. ad 1. & ratione suadetur. Quia differentia est actus generis, & ratio superior est potentia ad differentiam; actus autem est perfectior potentia. Sed si datur existentia incompleta, sequitur hæc implicatio: ergo &c. Probatur min. Sume tibi existentiam incompletam materiæ, hæc constat ex ratione communi existentiæ, & ex differentiali, quę explicantur his verbis *existentia potentialis*, sicut entitas materiæ est entitas potentialis. Sed existentia ex terminis dicit actualitatem, & hæc est perfectior potentialitate, quę se habet ut differentia contrahens rationē existentiæ: ergo in existentia potentiali materię dātur differentia quę est imperfectior ratione communi existētiæ.

Hæc ratio, quam ut efficacem probat Froylanus, manifestè instatur in ratione communi entis, quæ dividitur in Deum, & creaturas, & ad creaturas contrahitur per abalietatem, cū omnis creatura sit *ens ab alio*. Nā dic mihi, an *Abalietas*, quæ est differentia contrahens, sit perfectior ratione entis contrahibili. Si affirmes; Ergo Deo, cui non repugnat ratio entis, nō repugnabit abalietas, quod est falsissimum. Si neges? Ergo stat in ente differentia, vel quasi differentia contrahens, quæ imperfectior est sua ratione communi contrahibili. Idem argumentum fit in quocunque analogo, immò & in univocis, nam homini repugnat irrationalitas ob imperfectionem, cùm tamen ei non repugnet animalitas generica, & contrahibilis.

Ob hæc, si velis solutionem datam solidius impugnare, audi Palancum duplici via procedentem. Primò suadet quòd si materia habet propriā existentiam, est ens completum. Nam ens quod non indiget alio, ut existat, est ens completum: sed juxta contrarios materia non indiget forma, aut alio, ut existat: ergo est ens completū. Probatur min. Quod existit ante formam, non eget forma, ut existat: sed à contrarijs ponitur in materia existētia propria, ut existat ante formam: ergo &c. Minor patet ex num. 3.

7. Si dicas: Materiam ante formam existere incompletè, sed non cōpletè nisi adveniente forma. Contra est: nam materia eodem modo existit cum forma, ac ante formam per se: ergo æquè completè. Probatur antecedens. Nam sive cum forma, sive ante formam, semper per vos existit eadem existentia propria: ergo eodem modo ante, & post formam.

Rursus. Ens quod in linea entis includit à primo subjecto usque ad ultimam actualitatem de linea entis, est completum in linea entis, sicut ens includens à primo subjecto intellectivo usque ad intellectionem, quæ est ultima actualitas de linea intelligendi,

di, est ens completum in linea intellectiva : sed materia habens propriam existentiam, sic includit lineam entis; nam est primum subjectum in illa linea, habet per vos actum entitativũ, ut existentiam, quę est ultima actualitas de linea entis : ergo sic habens propriam existentiam, est ens completum.

Si dicas: Materiam esse ens cõpletum in sua linea entis potentialis, sed incompletum in alijs, v.g. equi, hominis, &c. ad quas componendas ordinatur, sicut potentia. Contra est. Nam etiam elementa ordinantur ad mixtum : & tamen ex elementis formaliter nequit resultare mixtum, quod sit unum per se, ut dicit Aristoteles; hoc ideò, quia sunt entia in sua specie cõpleta: ergo si materia conceditur ens completum in sua linea, non poterit per se ordinari ad faciendum unum per se, sed per accidens; nec comparabitur ut potentia, sed ut ens actualissimum.

8. Secundò procedit Palanco admittendo quòd materia cum sua existentia sit ens incompletum, & arguit sic: Ex duabus existentijs incompletis nequit fieri existentia completa, quæ sit una per se : ergo ex duobus entibus in actu incompleto nequit fieri ens completum, quod sit unum per se. Probatur min. Solùm fit unũ per se ex potentia, & actu : sed existentia materiæ nequit se habere ut potentia ad existentiam formæ: ergo &c. Min. patet primò, quia existentia in genere entis est exercitium, & actus; quare in eodem genere, nequit esse potẽtia, Secundò; nam una intellectio nequit esse potentia ad aliam intellectionem, eò quòd in genere intellectivo intellectio est actus. Quantitas in genere quantitativo est actus, & ideò nequit comparari ut potentia ad aliam quãtitatem; & sic de qualitate, relatione, & alijs.

Rursus. Implicat ultimum actũ comparari in ea linea ut potẽtiam ad alium actum; alioquin esset ultimus in ea linea, & non esset : sed existentia est ultimus actus in linea entis teste D. Thoma q. unica de Anima art. 6. ad 2. ubi diffiniens existentiam dicit: *Ipsum esse est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipsum autem non participat.* Ergo existenti materiæ, si talis est, nequit comparari ut potẽtia ad existentiam formæ, nec materia existens ut potentia ad formam.

9. Secundum fundamentum à ratione hujus sent. est hoc. Existentia est id, quo res ponitur extra omnes suas causas : sed pro illo priori quo materia præcedit formam, non est materia extra omnes suas causas: ergo ante formam non habet existentiã propriam. Minor probatur. Pro illo priori non est materia extra causam formalem; cùm non habeat effectum formalem formę, quem ante formã habere non potest : ergo.

Et confirmatur. Existentia est actus secundus materiæ, & forma est actus primus : sed quæcumque potẽtia priùs recipit actum primum, quàm secundum : ergo materia antecedenter ad formam nullam habet propriam existentiam. Alia sunt fundamenta, quę

vel ad hæc reducuntur, vel ſolvuntur à contrarijs facilius, quàm hæc. Ea omittimus quoniam eandem ſententiã infrà amplius cum D. N. confirmabimus. Ob hæc etiam omittimus ſolutiones, quas his fundamẽtis dant DD. contrarię ſententiæ, quia ex doctrina data contra præcipuam ſolutionem, ſatis impugnantur.

10. M. Noſter Villanova poſtquã probavit ſententiam Thomiſtarũ ſuppoſito quòd eſſẽtia realiter entitativè diſtinguatur ab exiſtentia; inquirit quid dicendum caſu quo exiſtentia nõ non ſit res, ſed modus realiter diſtinctus ab eſſentia? Reſpondet diſp. 4. dub. 6. triplici concluſione. Prima eſt: materia in hac ſuppoſitione habet partem exiſtẽtiæ propriam realiter diſtinctam à parte exiſtentiæ propria materię. Secunda eſt: iſtæ partes exiſtẽtiæ convenientes materiæ & formæ, non ſunt exiſtentiæ partiales, nec partes eſſentiales exiſtentiæ. Tertia eſt: tunc caſus nec materia, nec forma ſeparatæ exiſterent *ut quod* partialiter, ſed ſolùm *ut quo*, & per exiſtentiam totius. Hęc ſẽntentia quę ſpecialis, & ingenioſa eſt, ab eo ſigillatim probatur, & quæ in contrarium ſunt ſolvuntur.

Primam concluſ. probat ſic: implicat quòd unus, & idem modus perficiat ſubjecta realiter diſtincta: ſed materia & forma realiter diſtinguuntur: ergo ſuppoſito quòd exiſtentia ſit modus, hic erit duplex, & realiter diſtinctus; & conſequenter pars exiſtẽtię materię erit realiter diſtincta à parte exiſtentiæ formæ. Majorem probat. Nam modus non habet aliam entitatem à re, cujus eſt modus; unde individuatur à ſubjecto, in quo recipitur, & dividitur ad diviſionem ſubjecti.

Hanc rationem poſſumus cõfirmare ſic: Ideò juxta Philoſophos, & Theologos ſubſiſtentia unius naturæ nequit aliam naturã terminare, quia ſubſiſtentia eſt modus, & modus uniuſ rei nequit eſſe modus alterius: ergo ſi exiſtentia eſt modus, exiſtentia entitatis materiæ nequit eſſe exiſtentia formæ; alioquin modus unicus perficeret duo ſubjecta realiter diſtincta.

Confirmatur 2. Implicat exiſtẽtiam eſſe entitativè diviſibilem, & modaliter indiviſibilem: ſed dato exiſtẽtiam eſſe modum, ſi materia non haberet partem exiſtentiæ, diſtinctam à forma, eadem exiſtentia eſſet modaliter indiviſibilis, & entitativè diviſibilis: ergo dato exiſtentiam eſſe modũ, materia habet partem exiſtentię diſtinctam ab exiſtentia formæ. Major patet, nam implicat major diviſio ſine minori juxta illud: *Qui poteſt ad magis, poteſt ad minus*: quare implicat diſtinctio generica ſine ſpecifica, & ſpecifica ſine numerica. Atqui major eſt diſtinctio entitativa quàm modalis: ergo implicat dari diviſionem & diſtinctionem entitativam cum identitate & indiviſibilitate modali. Min. principalis probatur. Nam ſi exiſtentia eſt inodus, & non datur pars, & pars, erit modaliter indiviſibilis. Aliũde cùm modus non habeat entitatem diſtinctam à re, cujus eſt modus, exiſtentia compoſiti habet entitatem cõpoſiti, & conſequenter habet entitatẽ ma-

materiæ, & formę: at compositum est entitative divisibile in entitatem materiæ, & entitatem formæ: ergo & existentia compositi erit entitativè divisibilis, quod implicat si ponatur modaliter indivisibilis.

11. Secundam concluſ. probat sic quoad 1. partem. Licèt in homine dentur plures partes hominis integrales, nemo dicit dari in homine plures homines partiales: ergo licèt in existentia compositi dentur plures partes integrales existentiæ, una pro materia, alia pro forma, non est dicendum dari existentias partiales. Probatur consequentia. Ideò antecedens est verum, quia juxta B. Ægidium in 1. Sentent. dist. 19. p. 2. q. 1. art. 2. *Totum integrale de suis partibus non prædicatur, nec pars de toto*; quare nec materia est homo, nec homo est materia. Sed sicut materia & forma sunt partes integrales hominis, ita existentia materiæ, & existentia formæ, sunt partes integrales existentiæ compositi: ergo &c. Jam verò quòd existentia materiæ, & existentia formæ sint partes integrales, probatur suadendo non esse partes essentiales: & hoc dicit secunda cõclusio quoad secundam partem.

Probatur sic quoad 2. Si essent partes essentiales existentiæ compositi, existentia formæ informaret existentiam materiæ, & illam redderet existentem. Patet hoc, nam si informaret, aliquem effectum formalem daret; existentia autem solùm dare potest effectum formalem existendi: sed implicat quòd existentia materiæ reddatur existens per existentiam formæ: ergo

implicat quòd sint partes essentiales & sic sunt solùm integrales. Min. probatur. Quod est tale per se, nequit fieri tale per aliud: quare sicut una quãtitas nequit extendi per aliam, sic nec una existentia existere per aliam existentiam: ergo Implicat quòd existentia materiæ &c.

Rursus. Existentia est terminus ultimus compositi substantialis: ergo non est divisibilis in partes essentiales, sed integrales. Probatur consequentia. Nullus terminus rei est divisibilis ea divisibilitate, qua dividitur res. Sic quia punctum est terminus lineæ, & linea est divisibilis longitudinaliter, punctum non est divisibile secundùm longitudinem. Quia etiã linea est terminus superficiei, & hęc est latitudinaliter divisibilis, linea non est divisibilis secundùm longitudinem. Idem de superficie relatè ad corpus penes profunditatem. At compositum est divisibile in materiam, & formã, ut in partes essentiales: ergo existentia terminus compositi, non est divisibilis in partes essentiales, sed in integrales.

12. Tertiam conclusionẽ probat. Licèt materia & forma habeant partes existentiæ, illæ non sunt existentiæ simpliciter, & essentialiter: sed quidquid existit, debet habere existẽtiam simpliciter totalem, vel partialẽ: ergo nec materia, nec forma existunt per illas partes existentię, sed per existentiam totius. Minor cum consequẽtia tenet, & major constat ex prima conclusione.

Rursus. Materia, & forma non fiunt per se, sed compositum est, quę

per se fit: at illi convenit existere, cui convenit fieri; cùm omnis factio terminetur ad existentiam: ergo adhuc positis in materia, & forma partibus existentiæ, per illas non existunt. Tertio, Nam illi convenit existere, cui cõvenit operari; cùm esse sit propter operari: at nec materia, nec forma operantur, sed compositum ex eis resultans: ergo solùm compositum existit, non autem materia & forma per se, sed ratione compositi, & per illius existẽtiam.

His positis, concludit Villanova, utraque sententia suprà posita cõciliatur. Nam AA. ponentes in materia propriam existentiam, volunt quòd pars existentiæ materiæ sit distincta à parte existentiæ formæ; & hoc est verum ut probatum est concluſ. prima. DD. autem id negantes, intendunt quòd materia non existit sine forma, sed per existentiam totius; & hoc est verum, ut probatum est conclusione tertia. Quare hac via conciliantur sẽtentiæ hactenus contrariæ.

13. Fateor ingenuè me nunquam satis laudaturum genium, & ingenium hujus doctissimi Magistri, genium quidem conciliandi sententias dissidentes, ingenium, quo pluries, dũ sententias concordare conatur, novam nec improbabilem Scholis opinionem proponit. Sic in Præscientia contingẽtium, sic in præsenti; ubi specie tenus conciliantur sententiæ, sed revera nova proponitur, utrique contraria. Cõtrariatur DD. primæ sententiæ, ponentibus in materia pro priori ad formam existentiam per quam existit, ut sit causa materialis formæ; at Villanova non ponit in materia existentiã, per quam existat, ut constat ex tertia concluſ. Ergo adversatur primæ sententiæ.

Nec amiciori vinculo manũ dat auxiliatricem DD. secundæ sentẽtiæ: nam ponendo in materia partem existentiæ, ponit in materia secundùm se partem actus secundi: sed hoc est ponere in materia actum secundum sine primo, & formali, quod est immediatè contra secundam sent. ergo &c. Rursus. Hæc pars existentiæ posita in materia, illam actuat, & perficit, alioquin in materia non esset, si nihil ipsi daret: sed juxta DD. secundæ sententiæ implicat dari in materia secundùm se aliquam actualitatem, & perfectionẽ; cùm forma sit prima actualitas materiæ primæ: ergo &c. De veritate hujus sententiæ infrà §. 3. num. 31.

§. II.

Nostra sentẽtia proponitur, & probatur.

14. DICIMVS materiam ita esse puram potentiam, ut ratione sui nõ habeat propriam existentiã. Ita DD. secundæ sententiæ, quã confirmamus ex P. August. Epist. 268. quæ est ad Nebridium, ubi propositione universali, & doctrinali dicit: *Fieri non potest, ut aliquid sit, & non hoc vel illud sit*, ideſt hujus, vel illius speciei. Sed materia ratione sui, & independenter à forma, non est hujus, vel illius speciei, sed est juxta P. Augustinũ quędam informitas sine ulla specie: ergo

go materia juxta P. Auguſt. ratione ſui non eſt, nec exiſtit, nec habet propriã exiſtentiam, quã poſsit exiſtere. Conſequentia tenet, & minor habetur de mente P. N. ſuprà in q. 5. à num. 7. uſque ad 10.

Confirmatur 2. ex D. Thoma opuſc. 15. cap. 17. ubi agens de eorore antiquorum Philoſophorum negantiũ generationes ſubſtantiales, & corruptiones, unicèque admittentium alterationes qualitatum, dicit hoc contigiſſe, quia poſuerunt materiam ens in actu. Verba S. Doct. ſunt hæc: *Vbi ponitur materia ens in actu, nihil differt dicere materiam, & ſubſtantiam rei. Sic enim Antiqui Naturales, qui materiam ponebant ens in actu, dicebant materiam eſſe omniu... re. um ſubſtantiam.* Conſonat B. Ægidius 1. Phyſic. lect. 18. dicens: *Poſtquam Philoſophus oſtendit antiquos Philoſophos defecſſe in rationibus ſuis, quia ignoraverunt Logicam, in parte iſta oſtendit eos defeciſſe, quia ignoraverunt naturam materialis principij.* Nam *cùm dicitur quidquid fit, fit ex ente, vel non ente; dici debet quòd fit ex non ente in actu, ente tamen in potentia. Et quia eſſentiale eſt materiæ eſſe in potentia, ſi cognoviſſent naturam ejus, non negaſſent generationes rerum.* Vide hæc dicta à nobis q. 1. §. 1. circa errores Philoſophorum.

En duos ſapientiſsimos teſtes explicantes errorem Philoſophorum, negantium generationes ſubſtantiales, quia non agnoſcentes materiam in potentia ponebant materiam ens in actu: ſed AA. ponentes in materia propriã exiſtentiam, ponunt materiam ens in actu ergo contradicunt Ariſtoteli, D. Thomæ, & B. Ægidio, faventes errori antiquorum.

Vrgetur. Philoſophi antiqui arguebant ex eo quòd inter ens in actu, & nihil, non datur medium; quare quidquid fit, vel fit ex nihilo actuali quod implicat, vel ex ente in actu præexiſtente, quod non eſt fieri ſimpliciter, & ſic non datur generatio ſimpliciter: ſed DD. primæ ſententiæ agnoſcunt medium inter ens actu exiſtens, & nihil actuale; quare dicunt quòd materia prima pro illo priori, quo formam præcedit, ſi non habet exiſtentiam, eſt actu nihil, in quo nequit forma recipi; ſi autem habet exiſtentiam, eſt ens in actu: ergo utuntur argumento Antiquorum, eò quòd favet errori. Vide Palancum ubi ſuprà, urgentem latiſsimè hoc contra AA. ſient.

15. Dices. Philoſophi ponebãt materiam ens in actu formali, quare negaban in materia potentiam ad novas formas ſubſtantiales, ſolùm admittentes talem materiam poſſe alterari per receptionem qualitatum. At DD. 1. ſent. ponunt materiam ens in actu exiſtentiali, & nõ in actu formali; quare manet materia in potentia ad formas, & ſubjectum capax generationis ſubſtantialis. Hæc ſolutio, quæ communis eſt, impugnatur 1. Quia implicat eſſe in actu exiſtentiali, quod non eſt in actu formali: ergo vel non eſt materia ante formam in actu exiſtentiali, vel tenemini concedere ens in actu formali. Probatur antecedes. Quidquid eſt in actu exiſtentiali, eſt hoc vel illud

ut ex Pr. August. dictū est, ideſt, est, & exiſtit in determinata ſpecie: ſed ſpecies nō est in materia ſine actu formali; ut constat ex eodem S.P. ubi ſuprà, qui ideò vocat materiam informē: ergo implicat esse &c.

2. Suppoſita diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, exiſtentia est actus, & recipitur in materia. Ergo vel est actus primus, vel ſecundus. Non primus, quia iſte est forma ſubſtantialis, quæ diffinitur: *Actus primus materiæ*: ergo est ſecundus. Sed implicat materiam habere actum ſecundum, quo fit in actu exiſtentiali, & non habere primum actū, quo fit ens in actu formali: ergo implicat materiam esse in actu exiſtentiali, & non esse in actu formali.

16. Probatur 3. Noſtra sentētia ab authoritate ſimul, & à ratione deſumpta ex B. Ægidio lib. 2. de Anima textu 7. ubi docet in compoſito eſſe unicam exiſtentiam, per quam exiſtunt materia & forma unitæ. Ibi dicit ſic: *Sicut agens conjungitur patienti ſecundùm virtutem, ſic forma unitur materiæ ſecundùm eſſentiam: & quia ſicut à virtute egreditur operatio, ſic ab eſſentia egreditur eſſe; ideò ex activo & paſſivo fit unum ſecundùm operationem, quia agentis, & patientis unus eſt actus, (ut Philoſophus ait 3. Phyſic.) Sic ex materia & forma fit unum eſſe, quia earum eſt unum, & idem eſſe.* Hæc D. N.

Ex quibus à ratione ſic. Nō ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſsitate; natura enim abhorrēs ſuperflua, nō dat materiæ exiſtentiam propriam, niſi hæc ſit neceſſaria materiæ; at nō est neceſſarium multiplicare exiſtentias partiales pro materia & forma: ergo materia non habet exiſtent ā pro r ā. Probatur min. Materia & forma poſſunt exiſtere per unicam & eandem exiſtentiam: ergo &c. Probatur antecedēs ex laudata B. Ægidij doctrina. Poſſunt principium activum, & paſsivum de linea operandi actuari eadem, & indiviſibili operatione, & actualitate operativa: ergo poſſunt principium activum, & paſsivum de linea eſſendi, actuari eodem actu de linea eſſendi: ſed in linea eſſendi materia est princi pium paſsivum, & forma principium activum, ut patet ex dictis q. 1. & 5. aliunde exiſtentia est actus de linea eſſendi, ut patet: ergo poſſunt materia & forma exiſtere per eandem, & indiviſibilem exiſtentiam. Conſequentia est legitima, minor ſubſumpta certa: ſolùm reſtat probare primū enthymema, nempe antecedens, & conſequētia.

Et quidem antecedens, est communis doctrina, qua docetur quòd actio, & paſsio ſunt eadem entitas, quæ quatenus actio actuat principium activum, & quatenus paſsio actuat principium paſsivum: unde eadem entitas, & actualitas operativa, actuat utrumque principi m, & utrumque perficitur in linea operandi.

Conſequentia autem probatur ex B. Ægidio. Ideò principium activum, & paſsivum de linea operandi actuantur unico, & eodem actu, quia utr m ue principium conjungitur ſecundùm virtutem activam & paſsivam, ut inde reſultet unicum, & adæquatum principium operandi. Non enim aliam rationem poteris aſsignare. Sed major, &

in

intimior est conjūctio materię cum forma, quàm conjunctio principij activi, & passivi de linea operandi, cùm major sit conjunctio puræ potentię cū suo actu, quàm conjunctio potentiæ non puræ cum alia potentia: ergo tenet consequentia, & probatio à paritate, & à ratione.

Vrgetur 1. Magis distinguitur in ratione principij operativi principiū activum à passivo; quàm in linea essendi materia à forma, quæ sunt principium activum, & passivum lineæ essendi: sed licèt principium activum & passivū de linea opetativa distinguātur, actuantur tamen eodem actu de linea operativa: ergo licèt materia, & forma in linea essendi distinguantur, debent in tali linea actuari eadem existentia. Min. cum consequentia tenet, & major probatur, quia materia solùm trāscendentaliter positivè, & formaliter negativè differt à formā, ut dictum est q. 5. ceterùm principium activum, & passivum de linea operandi, cùm sint entia completa, differunt inter se trānscendentaliter, sed positivè formaliter, & consequenter magis quàm materia à forma.

Vrgetur 2. Ideò principium activum & passivum de linea operandi actuantur eodem actu, quia se habent per modum unius in linea operandi: at materia & forma se habent etiam per modum unius in linea essendi, cùm ordinentur ad faciendum unum compositum substantiale: ergo debent existere unica existentia.

17. Dices: Principium activū & passivum de linea operandi actuantur eodem actu, non quia conjunguntur, & fiant unum in tali linea; sed quia actio & passio, quibus perficiuntur, sunt eadem entitas; quare ratio nostra æquivoca est, dans non causam pro causa.

Sed cōtra. Nam dum quærimus, cur principium activum & passivum de linea operandi actuantur eodē actu vel debes respondere idem per idem, quod est Philosophis indecorum, vel debes assignare causalem rationis Ægidij: ergo veram causam dat pro causa. Probatur antecedens. Quærenti cur agens, & patiens actuantur eodē actu? Responderi debet, quia sunt unum in linea operandi; vel quia actio, & passio sunt eadem entitas. Sed primū est ut causalis nostra; secundum est respondere idem per idem: ergo &c. Probatur min. Quod quæritur est cur principiū activum, & passivum actuantur per actionem & passionem, quæ sunt eadē entitas; & tu respondes, quia sunt idē entitativè, vel respondebis idem per idem, vel dabis causalem nostram.

Quod suadeo evidentiùs ex illo principio certo apud B. Ægid. nempe *Plura, ut plura, nequeunt in unum convenire*, quia licèt plura in idem cōvenian, non tamen ut plura sunt. Et ratio est clara. Nam ut plura sunt, differunt, ut differunt, non conveniunt, quia ratio differendi nequit esse ratio conveniendi. Ergo principium activū, & passivum, quę quatenus differūt sunt plura, ut plura, nequeunt convenire in eo, quòd actuentur eodem actu, nisi fiant aliquomodo unum. Ergo stando bonæ Philosophiæ illa erit ratio cur

eo-

eodem actuãtur actu, quæ probat utrũque principium fieri aliquomodo unum. Atqui principium activum & passivum de linea operandi, solùm se habent in illa linea per modum unius; quia uniuntur in ratione principij: ergo ideò præcisè actuantur eodem actu, quia uniuntur secundùm virtutẽ activam & passivam. Quare cùm major sit unio materiæ, & formæ, &c.

Hæc etiam est ratio à priori cur materia & forma sunt quantæ, & extensæ eadem quantitate; sunt albæ eadem albedine; qualificatæ unica qualitate &c. quia nempe se habent per modum unius dum hæc accidentia recipiunt; ideòque habent eandẽ quantitatem, qualitatem, ubicationem &c. Ergo & habebunt eandem existentiam.

§. III.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

18. AD fundamenta primæ sententiæ, posita num. 2. respondemus dupliciter: 1. juxta sententiam Gavardi explicatam n. 4. quam probat bat N. Villanova, & suadet ex B. Ægidio q. 3. 5. 8. & 9. de Esse & essentia, ubi insinuat, quòd materia & forma non fiunt per se, sed compositum; quare nec existunt ratione sui, sed ratione compositi. Item, materia à forma recipit esse specificum, v.g. esse lapideum, igneum, ligneum &c. à composito autem recipit esse existẽtiæ. Tãdem à Deo causa universalissima, agẽte sub ratione entis, recipit esse existentiæ, & medio illo, esse specificũ; sed ab agente creato recipit immediatè esse specificum, & medio illo recipit esse existentiæ. Quæ omnia longum petunt examen, nec possumus in præsenti, ut par erat immorari. Suppositis his principijs, alibi expendendis.

Respondemus ad 1. fundam. negando quòd materia & forma producãtur unquam diversis actionibus. Nã loqueris de prima rerum productione, à solo Deo facta; & tum dicimus quòd tam materia, quàm forma equi, creatæ sunt, & factæ vi ejusdem actionis creativæ; quare forma concreata est. Audi S.P. Augustinum lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 15. dicentem: *Non quia in formis materia, formatis rebus, tempore prior est; cùm sit utrumque simul concreatum, & unde factum est, quod factũ est.* Vel loqueris de secũdis productionibus, quæ fiunt non à solo Deo, sed à Deo simul, & à causa secunda. Et tunc dicimus formam fieri per generationem ex subjecto præsupposito; cæterùm per eandem generationem fit etiã materia, quare fit eadem actione, ac forma. Nota quòd materia non generatur, nec fit *simpliciter*, quia nõ transit de non esse simpliciter ad esse; sed fit secundùm quid, quia transit de nõ esse in hoc composito, ad esse in hoc.

Audi D. N. in 2. Sent. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 2. §. *Secunda via*, ubi dicit, quòd generans dum producit cõpositum, generat materiam non simpliciter, sed determinativè. Verba illius sunt hæc: *Sed non causat materiã simpliciter; quia erat materia in alio antequam esset istud generabile generatum.*

tum. Sed quia non erat materia in hoc generabili, & quia non habebat hoc esse; ideò dicitur generans causare materiam, non simpliciter, sed causare ipsam in hoc. Clarius distingue in materia duo esse, nempe primum, quòd in prima productione recepit; secundum quod in decursu temporis, quo sub diversis formis conservatur, habet. Primum esse est per creationem, & simpliciter fit: at tunc etiam forma concreata est. Secúdum esse materiæ est per generationem, quid mediis formis generatis cõservatur esse materiæ, unde generatur secundùm quid, & est quasi congenita materia formæ.

Dices: Si esse secundum materiæ generatur, ex quo subjecto præsuppoſito generatur? Respondeo hoc esse secundum fieri ex esse primo materiæ præsuppoſito. Nam quòd materia sit in hoc genito, venit ex quo forma hujus geniti facta sit ex tali materia præsuppoſita: sed materia talis præsuppoſita est, quia primum esse habuit à solo Deo Creatore: ergo hoc esse secundum materiæ fit ex primo esse ejusdem. Nota quòd hoc esse secundum nõ recipitur in primo, sicut forma in materia; cùm materia non possit recipi in se ipsa, nec existentia materiæ *in hoc* genito recipitur in existentia materiæ, quæ fuit in alio jam corrupto. Sed sensus doctrinę datæ est, quòd materia, cujus entitas habuit existentiam creatã, in novo compoſito habet existentiam genitam: & quia hæc nova existentia supponit jam materiam primò & simpliciter productã, ideò materia in hoc genito supponit se ipsam productam quoad esse primum, & simpliciter.

19. Respondemus 2. de mente Thomistarum concedendo materiã & formam equi, posse diversis actionibus produci, nã licèt in prima creatione omnia facta sint eadem actione creativa, potuerunt tamen formæ materiales fieri per eductionem, de quo infrà. Negamus tamen quòd actiones illæ darent materiæ, & formæ proprias existentias. Ratio est, nam sola actio cõpleta est quæ dat existentiam termino producto. Actio autem productiva solius materiæ, non esset completa, sed incompleta; quare non daret ex se existentiam materiæ productæ.

Dices 1. Nulla est ratio, cur materia se sola non terminet actionẽ cõpletam, semel quòd se sola terminat actionem creativam. 2. Actio creativa materiæ est actio Divina; cùm creare non possit competere creaturę, sed soli Deo: sed actio Divina non est incompleta, cùm non sit ab alia complebilis, alioquin esset imperfecta, quod repugnat Deo perfectissimo: ergo. 3. Omnis actio ex cõceptu actionis communicat existentiam; sicut omnis est productiva: quid enim est producere, nisi dare existentiam? Ergo actio incõpleta dat etiã existentiã. 4. Actio, quæ Deus produceret solam animam rationalem, incompleta esset: & tamen ipsi existentiam communicaret: ergo licèt actio creativa solius materiæ incõpleta sit &c. 5. Si dantur actiones incompletæ, non est cur non dentur existentię incompletę; sed damus actiones incompletas pro materia, & forma: ergo tenemur vi consequentiæ admittere pro eis existentias incompletas. Ma-

jor

tol patet, precipuè in doctrina B. Ægid. data num. 16. ubi ex paritate actionis unicæ actuantis agens, & passum, infert unicam existentiam pro materia, & forma: ergo si de actione ad existentiam licet parificare, sicut dantur actiones incompletæ, sic erunt incompletæ existentiæ.

20. Ad 1. dicimus, quòd solùm compositum, quod est ens completum, terminare potest actionem completam maximè si solùm quidditativè distinguatur actio à termino, ut dicemus lib. 3. Physic. At materia non est ens cõpletum, sed incompletum: ergo licèt terminet actionem incompletam creativam, non tamen completam. Unde nego antecedens.

Ad 2. dicimus, quòd actio creativa est Divina, & ideò est completa subjectivè, & in se, quia in se est perfectissima: at terminativè est incõpleta, quia ejus terminus est materia, quę complebilis est per formam educendã. Ad 3. dicimus majorem esse falsam, quia non quæcumque actio, sed sola completa est communicativa existẽtiæ, quia hæc sola producit compositum, cui per se competit existentia, ut ex B. Ægidio dictum est. Vel juxta doctrinam aliorum dicendũ, solam completam dare existentiam, quia sola hæc dat actum formalem, sine quo nequit esse actus existentialis, ut probatũ est. Et dum quæris quid sit producere? Dicimus, quòd producere completè, est dare existentiam, quia est dare etiam actum formalem. Ceterùm producere incompletè, est dare esse subjectivum potentiale ad esse formale, & existentiale.

Ad 4. dicimus, quòd cùm anima rationalis sit independens à materia in essendo, & operando, est quasi ens completum, quod vocatur semisuppositum: quare actio productiva animæ rationalis, est completa virtualiter, unde dat ei existentiam. Actio incompleta materię non est hujusmodi unde nil contra nos. Quæres, quid dicendum de actione productivâ solius formæ equinæ, aut cujuscumque formæ materialis? Si teneas doctrinam Gavardi, datam num. 4. nega possibilem talem actionem. Si teneas oppositum cum Thomistis ob rationes ibi datas; dic sicut de anima rationali, cum solo discrimine, quòd anima naturaliter potest fieri actione ad ipsam solam terminata: at forma materialis, quæ naturaliter pendet à materia, non sic, sed divinitus, in quo casu foret semisuppositum.

Ad 5. neg. maj. Actio incompleta sic dicitur, quia ejus terminus complebilis est per aliud; unde *terminativè* est incompleta, non autem *subjectivè*. Ratio hujus est, quia quæcumque actio est actus ultimus agẽtis in linea operativa: sed actus ultimus non est cõplebilis per alium; nec agens habens actum ultimum, potest ulteriorem recipere, alioquin ille non fuisset ultimus: ergo actio, quæ incompleta dicitur, non est incompleta in se, nec relatè ad subjectum, in quo est, sed terminativè. Hinc fit non posse dari existentiam incompletam: nã non est respectu cujus possit esse incompleta. Patet hoc in existentia materiæ, quæ considerari potest in se, vel relatè ad materiale.

teriam, vel relatè ad existentiam formę, vel relatè ad existentiam compositi. Nō est incompleta in se, quia in se est ultimus actus essendi, & hic non est complebilis, ut de actione dictum est. Non est incompleta relatè ad materiam, sicut nec actio relatè ad subjectum agens; quia habens actum ultimum, non est susceptivum alterius actus in ea linea: existentia autem materiæ esset actus ultimus materiæ in linea essendi. Nec est incompleta relatè ad existentiam formæ; quia licèt materia sit complebilis per formam, eò quòd est susceptiva formæ; existentia materiæ non est susceptiva existentiæ formæ, & sic nec complebilis per illā. Tandem non est incompleta relatè ad existentiam compositi, quoniam vel hęc est existentia formæ, vel existentia materię impotens recipere ulteriorem existentiam, est impotens compleri per existentiam compositi, sit, vel non sit distincta ab existentia formæ.

21. Ad confirm. primi fundamenti positam eodem num. 2. respondemus ex doctrina B. Ægidij data n. 18. concedimus, quòd materia quoad secundum esse, vel quod idē est, quoad esse specificum, toties generatur, & corrumpitur, quoties forma, & compositum generantur, & corrumpuntur: nec generatio ista materiæ quoad hoc esse, est simpliciter talis, sed secundùm quid, ut dictum est. Materia autem quoad primum esse subjectivum, potentiale, & entitativum, est ingenerabilis, nec hoc variatur, sed conservatur idem sub hac, vel illa forma, hac vel illa existentia, in hoc vel illo composito. Quare simpliciter est ingenerabilis: nec argumentum probat nisi generationem materię quoad secundum esse. Dum dicitur, quòd res non aliter generantur, & corrumpuntur, quàm acquirendo, vel deperdendo existentiam: in compositis verum est; sed non in simplicibus, ut de materia dictum est, & constat de anima rationali, quæ dum separatur à corpore deperdit existentiam totius, qua existebat, & novā, saltem quoad modum existendi separatim, acquirit; nec ideò anima dum separatur, corrumpitur, aut generatur.

22. Ad secundum fundamentum ejusdem sententiæ, positum n. 3. dicimus primò, locum non habere semel quòd supponatur distinctio essentiæ ab existentia, ut merito notavit Arriaga. Quare supposita illa sententia, instatur argumentum cum sua confirmatione sic. Per vos juxta suppositum essentia distinguitur ab existentia: ergo existentia recipitur in essentia, & essentia est causa materialis existētiæ. Totum est verum, supposita distinctione utriusque. Nunc sic. Omnis causa est prior effectu; quare cū essentia sit causa materialis existentiæ, erit prior quā existētia. Vel ergo pro illo priori, quo essentia præcedit existentiam, existit essentia, vel non existit. Si non existit? Ergo essentia est nihil, & existentia recipitur in nihilo. Si existit? Ergo essentia ante existentiam existit, & consequenter existit sine existentia, quod implicatorium est. En tuum argumentum. Audi confirmationem tuam. Essentia quæ causat materialiter existentiam, vel est causata ante existentiam, vel incausata, & intra potentiam objectivam. Non hoc: quia nil potest cau

fare, nisi priùs cauletur. Ergo essentia causata est ante suam existentiã Quo modo est causata, si non recepit existentiam?

Dices: Hæc absurda sequuntur ex falsitate sententiæ, quæ supponitur, non autem ex doctrina contrariorum, apud quos essentia in creaturis identificatur cum existentia. Præter quam quòd non est necessarium supponere talem distinctionem, sed satis est præscindere ab identitate, & distinctione essentiæ ab existentia, ut quæstioni locus sit.

Sed contra: Nam quidquid sit de veritate illius sententiæ suppositę, sic debemus arguere, ut argumenta nostra non sint contrá suppositũ quæstionis: at argumentum in quo sumus destruit, & est contra suppositum quæstionis: ergo eo supposito stante, argumentum nullum est. Præterea: Illa absurda, si sequuntur, non ex falsitate sententiæ, sed ex modo arguendi sequuntur; ut patebit applicando argumentum Creationi, ut infrà ostendemus. Nec possumus juxta principia communia præscindere ab identitate, vel distinctione essentiæ, ab existentia. Nam si vis præscindere, utrumque disputabis, eo quòd relinquis locum, ut me probante, quòd essentia distinguitur ab existẽtia, probem posteà materiam non habere existentiam propriam: ergo præscindis, & non præscindis, quod implicat; vel potiùs fugis difficultatẽ, quod est verius. Quidquid sit.

13. En alia instantia independenter à supposito quæstionis. Creatio dupliciter sumi potest *activè*, scilicet & *passivè*. Si sumatur activè, est actio immanens Dei creantis, cum Deo identificata; unde est ipse Deus creans. Si sumatur passivè, est ipse terminus reductus per creationem: & cùm creatio habeat pro termino existentiam creaturarum, fit quòd creatio passivè sumpta, est ipsa existentia creaturæ. Hæc creatio passivè sumpta, recipitur in creatura, tum quia omnis actio recipitur in passo, ut dicitur 3. Physic. vel si id neges, teneris id dicere de creatione passivè sumptã, qui cù sit quid creatum, nequit recipi in Deo: ergo recipitur in creatura.

En instantia, pro qua sit exemplum natura Angeli. Creatio passiva est actio, quæ recipitur in Angelo, qui creatur: unde Angelus est causa materialis receptiva illius actionis. Argue sic. Pro illo priori quo natura Angeli præcedit actionem creativam, quã recipit, & à qua denominatur creata, vel intelligitur existens, vel non existens. Si existens? Ergo existit ante creationem, quod est falsum, cùm solùm per creationem existat. Si non existit? Ergo est nihil, & creatio recipitur in nihilo, quod implicat. Instã confirmationem: petendo an Angelus pro illo priori ante creationem sit intra causas, vel extra. Si extra? Ergo non extrahitur per creationem, sed ante illam, & à se. Si intra? Ergo quod non est causatum, est realis causa, quod per te erat implicatorium.

24. Nota duo. 1. quòd aliqui antiqui Societatis, & Nominalium, tenuerũt existentiam in creaturis distingui realiter ab essentia, quia non di-

stin-

stinguentes actionem à termino, dixerunt creationem esse ipsam existentiã creaturæ: cùmque actio creativa sit distincta ab essentia creaturæ; sic distincta est etiam existentia. Nota 2. Quòd P. Suarius videns doctrinam hujus instantiæ infringere argumenta petita ex prioritate causæ materialis; negavit quòd essentia creaturæ sit causa materialis actionis creativæ, aut quòd illa actio inhæreat creaturæ. Loco inhæsionis posuit adhęsionem: quare tenuit quòd creatio non est actio inhærens, sed adhęrens creaturę; quod stat quin creatura sit causa materialis actionis, aut illam præcedat. Eadem via RR. evadunt instantiam nostram.

Ceterùm infeliciter. 1. Quia creatio Angeli adhærens Angelo, non adhæret Angelo, existenti intra causas; quia adhæreret nihilo: ergo adhæret Angelo existenti extra causas: ergo adhęret Angelo existenti ante creationé, & hoc implicat; vel Angelo existenti per ipsam creationem, & vi creationis. Ergo si posueris etiam in materia existétiam formę adhęrentem, tenueris idem dicere. Prætereà: Creatio est linea causæ efficientis; quæ magis petit prioritatem, quàm causa materialis, & formalis. Patet hoc, quia materialis, & formalis causant per exhibitionem sui; unde non petunt esse, nisi dum se exhibent. Causa efficiens causat dãdo esse distinctum à suo, quod præcontinet; & præcontinentia dicit priorita-tem: ergo si creatio, quæ est de linea efficiendi per te non præcedit terminum, nec subjectum, in quo est, sed adhæret simultanea existentia: cur materialis causa petet præcedentiam realis causalitatis. Adde, quòd actio ex quiditate sua est de prædicamento accidentali; & omne accidens est *Ens in alio*, unde petit subjectum inhæsionis, non utem adhęsionis: ergo petit causam materialem. Ac tandem, si subjectum inhæsionis est causa materialis, non quia inhæsionis, sed quia receptivum est formæ, ut patet in materia, quæ est causa materialis formæ substantialis, non inhærentis: ergo cũ subjectum adhæsionis sit receptivum actionis, erit causa materialis, & consequenter præcedens actionem.

25. Respondemus directè ad 2. fundamentũ concedendo quòd materia est causa materialis formæ, sed negamus quòd debeat existere propter ei ad formam. Ad probationem dic, quòd licèt causa efficiés, dãs esse quod pręconti et, debeat existe pro priori ad effectum; secùs causa materialis, & formalis, quæ causant per exhibitionem sui, ut dictum est. Vel dic cum alijs, quòd licèt causa causans inquãtum est in actu, debeat præexistere; secùs causans inquantum est in potẽtia. Materia est causa, non inquantum est in actu, sed inquantum est in potẽtia; & sic non debet præexistere. Observa quòd compositum est causa materialis accidentium, & præexistit. Ceterũ hoc ideò, quia in genere entis, & substantię non est potentia, sed actus; est autẽ solùm potentia in genere accidentali, quatenus substantia est actuabilis per accidentia. At materia in genere entis, & substantiæ, potentia est; unde nõ debet præexistere.

Dices: Materia debet intelligi ante formam, ut potens proximè illam recipere: sed nisi existat, non intelligitur potens proximè recipere formã: ergo nisi præexistat, non potest esse causa materialis formæ. Probatur minor: Quod non existit, nec intelligitur existens, est actu nihil: sed in nihilo non est potentia proxima receptiva formæ: ergo &c.

Hæc replica divisit DD. nostræ sent. Bajona dicit materiam intelligi existentem pro priori *à quo* formæ, sed non pro priori *in quo*. De his prioritatibus egimus lib. 6. Logicæ q. 14. §. unic. His terminis, sed aliter explicatis, respondet N. Gavardi. Et quidem antequam forma intelligatur in materia, non potest intelligi in materia existentia, quę est effectus, vel quasi effectus formæ: ergo nec potest intelligi existentia materiæ pro ullo priori ad formam, nec materia pro ullo priori existit, aut præexistit formæ.

Juxta explicationem Gavardi solutio est vera, & Augustiniana. Prioritas *in quo* est prioritas causæ, realiter existentis independenter ab effectu, quinimò cum dependentia effectus à causa. Sic Sol est prior ad illuminationem prioritate *in quo*: quia existit ratione sui, & illuminatio causatur à Sole, ita ut dependeat à Sole illuminante. Ob id Pater æternus non est causa Filij, nec prior illo prioritate *in quo*: quia Filius non habet existentiã causatam à Patre, nec dependentem. Est tamen Pater prior *à quo*, quia existens per eandem existentiam, qua Filius est prior origine, & intelligimus existentiam Filij derivatam à Patre. Talem prioritatem habet materia suo modo relatè ad formam, ut prior materia sit origine, & existat per eandem existentiam, qua forma. Cum hoc discrimine, quòd existentia Filij derivatur à Patre, priore origine: sed existẽtia formę nõ derivatur à materia, præcedente prioritate originis; sed vice versa, existentia materiæ prioris originaliter, derivatur à forma posteriori, & originata. Quare pro illo priori materia intelligitur originans formam, sed non existens, nisi vi formę originatæ.

Audi P. August. lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 15. dicentem: *Quamobrẽ cùm Deus utrumque simul fecerit, & materiam quam formavit, & rés, in quas eam formavit, & utrumque à Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit, priùs illud, unde aliquid factũ est, quàm illud quod inde factum est, dici debuisse, quis dubitet? Quia etiam cũ dicimus materiam & formam, utrumque simul esse intelligimus, nec utrumque simul possumus enuntiare.* Et post pauca: *Quamvis utrumque ut dictum est, simul fecerit Deus, ut quod sola origine prius est in faciendo, etiam tempore prius sit in narrando &c.* En materia est prior sola origine, quia est id, unde forma facta est. Ergo solùm est prior prioritate *à quo*, & originis, non autem prioritate *in quo*, & realis causalitatis, dãtis existentiam, & esse præcontentum.

27. M. Froylanus dicit materiam pro illo priori intelligi existentẽ; non completè, & in facto esse, sed vialiter, & incompletè. Vnde admittit statum medium inter possibilitatem, ubi

res

res sunt nihil actu, & existentiam, ubi res sunt actu ens. Ille status medius est vialis, & in eo considerandа est materia, potens recipere formam, quia nec est actu ens, cùm non sit in statu existentiæ; nec actu nihil, cùm non sit intra statum possibilitatis. Habet existétiam vialem, hoc est esse quoddam in via ad existendum; & hoc esse non venit à forma, sed ab actione Dei, quam incipit terminare pro illo priori. In eodem statu considerandа est essentia, ut receptiva existentię distinctæ, quæ in nihilo non potest recipi. Id dic de creatione Angeli, quæ in eo recipitur, ut dictum est n. 23.

Status iste videtur insinuatus à P. August. lib. 12. Confes. cap. 3. ubi considerans materiam propriori ad formam, quid erat explicare volens, dicit: *Erat quædam informitas sine ulla specie*. Ly *erat* denotat existentiã. Nec autem putares illam existentiam in facto esse, dicit *sine ulla specie*. Sed juxta P. Augustinum allegatum num. 14. quidquid completè existit, est in specie determinata: ergo materia erat, & existebat informis vialiter, & in via ut formaretur, & completè existeret.

28. Nec urgent quæ contra existentiam istam opponit Palanco 1. Physic. q. 7. ubi dicit, quòd trãsitus materiæ de non esse ad esse, est de contradictorio in contradictorium: sed inter contradictoria non datur medium: ergo inter possibilitatem, & existentiã completam, non datur status medius. Secundò. Quia sic materia actuatur per existentiam media forma, sicut anima actuatur per intellectionem medio intellectu: sed nullus dixit animã intelligere vialiter pro priori ad intellectum; nec admisit duplicem intellectionem unam vialem, aliam formalẽ, & completam: ergo &c.

Ad 1. dici potest, quòd est duplex transitus de nõ esse ad esse, semel quòd essentia differt ab existentia. Nã unus est de non esse essentię ad esse essentię, alter de non esse existentiæ ad esse existentiæ. Vtrumque de novo producitur; ergo utrumque est terminus transitus. Existentia vialis non est mediũ, sed terminus transitus essentiæ, & est subjectum transiens relatè ad transitũ existentiæ. Quare non ponitur mediũ inter extrema illius transitum, sed medium dicitur status utriusque, quod diversum est, nam status illi non opponuntur contradictoriè. Vel dic, quòd licèt inter cõtradictoria non detur medium formale, datur medium subjectivum, hoc est subjectũ transiens de contradictorio in contradictorium. Existẽtia vialis ista, non est medium formale, sed subjectivum, nam est esse subjecti quod transit, & est in via de uno ad alium statum.

Ad 2. dici potest majorem esse falsam. Nam materia habens formam, existit, & semper existit; anima verò habens intellectum, non semper intelligit: ergo aliter materia existit media forma, ac anima intelligit medio intellectu. Sed demus majorem, minor nõ est vera. Quid enim est intelligere vialiter? Nil aliud, nisi esse in via ad intelligendum. Sed anima proptiori ad intellectuim, est radix intellectus, & radicando illum est in via ad intelligendum:

dum: ergo intelligit vialiter, vel sic dici potest. Non dicitur sic, quia intelligere est agere, & de linea activa, nec datur sine efficientia principij intelligentis; pro priori ad intellectum anima non efficit, & ideò non dicitur intelligens adhuc vialiter. At existere, non est agere, sed pati, quia est recipere esse: ergo dum materia est in via ad esse formæ, & existentiæ, benè, & verè dicitur existere vialiter.

29. Ex his solutionibus elige, quam volueris, quia utramque putamus insinuatam à P. Augustin. & DD. nostris. Vnde ad replicam positam in fine num. 25. dic juxta 1. solutionem, quòd materia ante formam debet esse proximè potens, ly *ante* dicente solã prioritatem *à quo*, & originis, non autem *in quo*, & realis causalitatis. Vnde in nullo signo ante formam intelligitur materia, nec potentia materiæ; sed in eodem signo utraque intelligitur. Ceterùm quia in illo signo materia intelligitur causa materialis, & originans, forma verò originata, & ut effectus, ideò dicitur materia prior *à quo*. Sic in nullo signo intelligitur Pater æternus sine Filio, vel ante Filium; ceterùm licèt in eodem signo uterque intelligatur, quia Pater intelligitur originans, & Filius originatur, dicitur Pater prior *à quo*, & origine.

Juxta secundam solutionem, dic quòd materia intelligitur in primo signo sine forma, & existens; at non existentia completa, sed viali, quod est esse in via ad existendum. Nec istã viã habet per formam, sed ab actione Dei creativa, dante materiæ esse potentiale subjectivum, quod non habebat intra possibilitatem, ubi solùm erat potentia objectiva. Quòd si dicas: hæc existentia vialis est incompleta: sed suprà negavimus existentias incompletas: ergo hìc dicimus oppositum. Respondeo nos negasse xistentiam, quæ sit talis in facto esse, & aliunde incompleta. Nunc vocamus existentiam incompletam illam capacitatem subjectivã materiæ ad existendum; hæc non est existentia, sed via ad existendum, vel est existentia cum addito alienãte, nempe *existentia vialis*.

30. Ad 1. confirm. quæ habetur num. 3. dicimus juxta primã solutionem, quòd omnis causa efficiens ut causet, debet priùs prioritate *in quo* causari; ceterùm causa materialis potentialis, debet solùm priùs causari prioritate *à quo*. Discrimen datum est num. 25. Prioritas materiæ causantis materialiter, cùm sit solùm *à quo*, non arguit in materia propriam existentiã, sed existentiam formæ, vel compositi, cùm dentur simul in eodem signo. Vel juxta secundam solutionem, dic quòd materia præintelligitur causata: & existens, sed non completè, sed vialiter: nec hoc est habere propriam existentiam; sed habere proprium esse subjectivum, quo est in via ad existentium formę, vel compositi.

Ad 2. confirm. dic, majorem examinandam esse, dum de distinctione essentiæ ab existentia tractemus. Interim dic, essentiam materiæ esse potentialem sine actualitate metaphysica, ut dictum est q. 5. & hinc fit, ut nõ correspondeat ei existentia, quæ est actus

essen

essentiæ actualis. Quæstione sequenti amplius patebit hoc.

Ad 3. confirm. dic, quòd materia pro nullo priori præcedit formam. Quare nego suppositum majoris. Vel juxta secundam solutionem dic, quòd materia pro illo priori est extra causas incompletè, & vialiter, non completè. Nec est extra omnes, cùm adhuc nō receperit effectum formalem formæ, ut dictum est num. 9. Vt ergo materia in illo priori non sit nihil, satis est hoc esse viale. Immò necessariū, quia materia secundùm se, nec est nihil, nec ens in actu, sed ens in potentia, & medium, aut prope nihil, ut dictum est. Ergo nec est intra causas, alioquin esset nil; nec completè existit, alioquin foret ens in actu.

31. De fundamentis secundæ sententiæ, positis à num. 4. usque ad 9. nil occurrit dicendum, cùm confirmēt sententiam nostram. Vnicè debemus expendere asserta nostri Villanovani, posita à num. 10. quatenus obstare possūt communi Thomistarum sententiæ. Et notatis, quę diximus num. 13.

Ad probationem primæ conclusionis concessa maj. neg. min concedo quòd idē modus nequit perficere duo subjecta realiter distincta. Nego quòd materia & forma sint duo subjecta existētiæ. Tenet Villanova cum D. Ægidio quòd existentia non est actus materiæ, aut formæ, sed totius compositi: ergo non perficit actuans materiam, vel formam, sed totum compositum: ergo non materia & forma, quæ duæ sunt, sed compositum quod unum est, erit subjectum existentiæ: unde concessa maj. min. est falsa.

Dic 1. de mente D. Ægidij ubi suprà num. 16. quòd idem modus nequit perficere duo subjecta realiter distincta, si non se habeant per modum unius; secùs si fiant unum per unionem, & conjunctionem. Sic eadem operatio est perfectio agentis, & patientis, eadem actio vitalis est vita animæ, & corporis, quia nempe nō sunt plura, ut plura, sed ut unum. Ergo cū existentia non sit modus perficiens materiam, & formam secundùm se, sed eas ut unitas, qualiter unicè faciunt compositum, cui convenit existere per se: potest ille modus unicus perficere illa duo subjecta realiter distincta.

Et urgetur juxta D. Ægidium ubi suprà, eadem unica existentia perficit materiam & formam, quia sunt unum in linea essendi: at hæc unitas materiæ & formæ non tollitur per hoc quòd existentia sit modus, & non res: ergo non tollitur quòd materia, & forma, unica & eadē existentia perficiātur.

Ad confirm. nostram pro Villanova, neg. causalem antecedentis. Licèt enim subsistentia esset res, subsistētia unius non posset esse subsistentia alterius. Causalis est, quòd nulla subsistentia creata continet perfectionem alterius subsistentiæ; nam hoc est proprium subsistentiæ Divinæ, quæ infinita est in terminando, & ideò potest supplere defectum subsistentię creatę, & simul terminare naturam Divinam propriam, & humanam sibi alienam. Immò ad hoc præstandū, oportet quòd utraque natura uniatur, & se habeat per modū unius unitate suppositi, vel personæ.

Ad 2. confirm. nostrā dic, quòd di-

distinctio entitativa non est major, quã modalis, immò è contrà. Nam ibi major distinctio est, ubi minor est convenientia: at minus conveniunt res, & modus, quàm duæ res: ergo magis differunt res, & modus, quàm duæ res entitativè differentes. Vide dicta à nobis lib. 3. Log. q. 7. §. 1. Hinc fit, quòd licèt existentia sit divisibilis entitativè, non debet dividi modaliter; quia non arguitur à majori ad minore divisibilitatem, sed à minori ad majorẽ, quod non valet affirmativè.

Sed demus distinctionem entitativam, majorem esse distinctione modali, nego quòd existentia compositi sit entitativè divisibilis. Nam cùm existentia sit modus, nec habeat entitatẽ propriam, sed alienam compositi; divisibilitas entitatis compositi, non est divisibilitas entitativa existentiæ, sed aliena ab existentia: sed ex divisibilate aliena entitativa non infertur benè divisibilitas modalis propria existẽtiæ: ergo dato, quòd existentia sit modus, non ſuadetur existentia divisibilis in partes.

32. Ad doctrinam secundæ cõclus. positam núm. 11. dic, quòd quærere, an partes illę existentiæ materiæ & formę, nominandæ sint partes integrales, aut essentiales, est quæstio de nomine, à quâ supersedemus, maximè cùm in existentia compositi nullas cõcedamus partes. Ceterùm eis concessis, videtur dicendum esse partes essentiales, tum à paritate materiæ, & formæ, quæ sunt partes essentiales hominis, & compositi; modus autem sequitur naturam rei, cujus est modus. Tum quia forma, & existentia formæ non recipitur in materia nuda, sed in materia modificata per partem existentiæ, sibi propriam, à qua est inseparabilis: ergo pars existẽtię modalis formæ recipitur in parte modali existentiæ materiæ: ergo illæ partes se habent, ut potentia, & actus. Sed quoniam materia & forma sunt potentia, & actus, sunt partes essentiales compositi: ergo & partes existentiæ modalis erunt partes essentiales.

Nec obstant probationes Villanovani. Non prima, quia destruit tertiam conclusionem suam. Dicit in tertia quòd pars existentiæ materiæ, & pars formæ, non sunt existentiæ simpliciter. Negat autem in 1. probatione quòd modus materiæ sit pars essentialis, quia implicat quòd una existentia reddatur existens per aliam. Vbi supponit partem existentiæ materiæ esse existentiam simpliciter; alioquin probatio non teneret: ergo supponit partes illas esse existentias simpliciter contra doctrinam tertiæ conclusionis. Non valet secunda probatio, quia cõpositum est divisibile in partes essentiales entitativas, nempe in materiam, & formam. Existentia autem esset divisibilis in partes essentiales modales: & hæc divisio termini diversa est à divisione rei, ut patet. Doctrina tertiæ conclusionis vera est, sed non contra nos; qui has reflexiones ponimus, non quòd eis infirmetur probabilitas sententiæ Villanovani, sed ut imbecillitatem nostram ostendamus, qua plenè mentem ejus non callemus.

QVÆ

QVÆSTIO OCTAVA:

An materia habeat propriam existentiam, supposita identitate essentiæ cum existentia?

§. I.

Ratio dubitandi proponitur, & in utramque partem quæstio disputatur.

1. VIDIMVS quæstione præceden te ateriam non habere pro priam existentiam, supposit ſ ntent a distinguente in creaturis essentiam ab existentia. Quærimus nunc quid dicendum, su, posita sente ti identificante? Dicendum videtur quòd non est locus quæstioni, qu' su, posita 'dentitate, concluditur demonstrativè, quòd materia non habet existentiã propriã. Demonstratio est hæc. Supposita identi a inter essen iam, & existentiam, quisquis habe essenti m prop i , bet propriam existentiam: sed materia ex se habet propriam essentiam, sicut & propriam entitatem: ergo habet propriam existentiam. Major patet lumine naturæ, nam ex identificatis, ubi unum datur, atur aliud, alioquin sepa ra.en ur, quod implica. Minor est certa apud omnes: & consequentia sequitur legitimè.

Per oppositum hìc videtur syllogismus demonstrativus. Su, posita idẽtitate inter essentiam, & existentiam, ubi non datur actualitas essentiæ propria, non datur actualitas existentiæ: sed in mater a non datur actualitas essentiæ, ut vidimus quæst. 5. negantes in materia actum metaphysicum: ergo supposita identitate essen-iæ cum existentia, mater a non habet propriam existẽntiam. En ratio dubitandi præcipuè pro utraq e parte.

2. Dices. Hic secundus syllogismus st p ralogismus, quia continet duas sententias, sibi contradicentes formaliter, vel illativè; quare nil concluditur. Probatur assumptũ. Syllogismus iste in majori supponit sententiam idẽtificantem essentiam cũm existẽtia; in inori autem supponit sententiam negantem materiæ actum metaphysicũ; at hæc duplex sententia est inconjungibil's, & sibi invicẽ contradicens formaliter, aut illativè: ergo &c. Minor patet, tum quia nullus doctor tenens existentiam idẽtificatam cum essentia, negat materiæ actum metaphysicum aut enti ativum: tum quia supp si a identitate essentiæ cum existentia, nemo potest negare materiæ actum entitativum, & metaphysicum.

Sed contrà. Nam istæ propositiones *Essenti in creaturis identificatur cum existentia. Materia non habet actum metaphysicum*: non sunt contradictoriæ formaliter, aut illativè: ergo utraque sentẽtia non est sibi contradicẽs, aut incompatibilis, sed divisivè, & copulativè opinabilis. Probatur antecedens de cõtradictorijs formalibus, quia ista sunt *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundùm id.m*: sed in eis propositionibus on datur affirmatio, & negatio ejusdem nam affirmatur idẽ-

titas materiæ cum existentia, & negatur actus metaphysicus. Non est de eodé, quia affirmatio est de essentia creata, negatio autem est de materia prima: ergo p opositiones illæ on sunt contradictoriæ formaliter.

Rursus. Materia non est creatura, quia non est creata, sed concreata, unde est pars creaturæ: ergo licèt quæcumque creatura habeat essentiam idẽtificatam cum existentia, inde non evincitur, vel quòd materia habeat essentiam, vel quòd ejus essentia identificetur cum sua existentia, adhuc dato quòd in creaturis essentia identificetur cum existentia. Ergo prima propositio de identitate essentiæ cum existẽtia, non continet materiam primam: ergo secunda propositio ubi agitur de actu materiæ, est de subjecto diverso à subjecto primæ propositionis. & consequenter una propositio non opponitur alteri formaliter.

3. Quòd verò non opponantur illativè, probatur. Nam ex contradictoriis illativis, qui negat unam, tenetur concedere aliam. Sed omnes Thomistæ negant propositionem de identitate essentiæ cum existentia; non tamẽ omnes, sed pauci concedunt propositionem negantem materiæ actum metaphysicum, ut q. 5. ostensum est: ergo propositio affirmans identitatem essentiæ cum existentia, non opponitur illativè propositioni neganti materiæ actum metaphysicum. Hoc constabit amplius ex dicendis infrà.

Confirmatur. Thomistæ omnes negantes identitatem materiæ cum existentia, disputant an materia habeat

actum metaphysicum, & alij affirmãt, alij negant. Ergo utraque sententia est sic inconexa, ut DD. affirmantes essentiam identificari cum existentia, possint disputare, ut de facto disputant, an materi habeat actũ metaphysicũ, & possunt sine inconsequentia doctrinæ affirmare, vel negare. Sed si supposita identitate, potest negari materiæ actus metaphysicus, subsistit ratio dubitandi pro sententia negante materię propriam existentiam: ergo supposita identitate essentiæ cum existentia, est locus dubitãdi an materia habeat propriam existentiam. Hæc sufficiant pro ratione dubitandi, in qua.

4. Prima sententia dicit materiam habere existentiam propriam. Sic omnes DD. Societatis, omnes Scotistæ, & Nominales, & quotquot q. 7. num. 2. allegati sunt. Eis adjunge omnes ex Nostris, & Thomistis, qui materiæ secundùm se concedunt actũ metaphysicum; nam tenentur consequẽter concedere materiæ propriam existentiam, supposita identitate essentiæ cum existentia.

Probatur 1. Supposita identitate essentiæ cum existentia, ubi datur essentia propria, datur propria existentia: sed in materia secundùm se datur essentia propria: ergo in ea datur propria existentia. Confirmatur. Supposita identitate illa; de quo non dubitatur habere propriam essentiam, non dubitatur habere propriam existentiam: sed de materia non potest dubitari habere propriam essentiam: ergo nec dubitari potest habere propriam existentiam supposita identitate inter essentiam, & existentiam

Si

Si respondeas materiam non habere essentiam actualem, sed potētialem, quoniam caret actualitate metaphysica, & essentiali, unde non probatur habere existentiam propriam, quia sententia identificans, quę supponitur, solùm identificat essentiam actualem cum existentia, non autem essentiam potentialem. Si hoc respondeas.

5. Contra 1. Nam supposita identitate essentiæ cum existentia, eo modo debemus concedere materiæ existentiam propriam, quo ei concedimus propriam essentiam: sed materiæ concedimus essentiam propriam potētialem: ergo tenemur ei concedere existentiam propriam potentialem. Probatur maj. Supposita identitate, eo modo debet dividi existentia, quo dividitur essentia: sed essentia per nos dividitur in potentialem, propriam materiæ; & actualem, propriam formæ: ergo existentia debet dividi in potentialē propriam materiæ, & actualem, propriam formæ. Min. cum consequentia tenet, & major est certa, quia ex identificatis implicat unum dividi, & non aliud; alioquin unum, & idem divideretur, & non divideretur: quòd implicat.

Contra 2. Falsum est quòd essentia materiæ nō sit actualis: ergo si supposita identitate, habens essentiam actualem propriam, habet propriam existentiam, materia habens essentiam actualem, habet propriam existentiam. Probatur antecedens. 1. quia materia per suam essentiam est ens, actu differens à nihilo; non posset autem actu differre à nihilo per essentiam, nisi essentia ejus esset actualis. 2. Quia omnes rationes probantes in materia actu metaph. probant ejus essentiam esse actualem. Eas vide q. 5. à n. 1. usque ad 5. & repone hic.

Contrà. 3. Per nos suppositum quæstionis, est de identitate essentia actualis cum existentia: sed hoc ipso materia habet propriam existentiam ergo &c. Probatur min. Hoc ipso dātur existentiæ partiales, & incompletæ: sed eis positis, materia habet existentiam propriam: ergo. Probatur major. Essentia compositi est essentia actualis; & hæc est divisibilis in duas essentias incompletas, & partiales materiæ, & formæ: sed si essentia compositi est divisibilis in duas essentias incompletas, existentia compositi erit divisibilis in duas existentias incompletas, & partiales: ergo supposita identitate essentiæ actualis cum existentia, dantur existentiæ incompletæ, & partiales. Min. patet, quia ex identificatis implicat unum dividi, & non aliud, ut in 1. replica dictum est.

Contra 4. Essentia physica, & metaphysica compositi, identificantur; quare si existentia identificatur cū essentia metaphysica compositi, eò quòd est essentia actualis, etiam identificatur cum essentia physica cōpositi: sed essentia physica compositi est divisibilis in duas entitates physicas incōpletas, nempe in materiam, & formam: ergo existentia cōpositi, supposita identitate, erit physicè divisibilis in duas existentias incompletas. Eis positis, una est pro materia, & ipsi propria; alioquin superflueret: ergo supposita identitate essentiæ cum existentia, materia habet

bet propriam existentiam.

6. Probatur 2. Eadem sententia. Supposita identitate essentiæ cum existentia, debent etiã supponi rationes, quibus talis identitas probatur; sed suppositis illis rationibus, non est locus dubitandi de existẽtia materiæ, sed indubitabile est habere propriam existentiam: ergo supposita identitate, materia habet propriã existentiã. Major patet, quia conclusio non est vera, si probatio es falsæ sunt; unde si supponitur conclusio ut vera, debẽt supponi ut veræ rationes probativæ. Minor probatur. Rationes probantes identitatem essentiæ cum existentia, probant etiam de materia prima: ergo cùm aliunde materia habeat propriam essentiam; indubitabile est habere propriam existentiam. Antecedẽs probatur sigillatim adducendo rationes, quibus probatur identitas essentię cum existentia.

Prima ratio est. Nihil distinguitur à suis constitutivis essentialibus: sed essentia creata per existentiam cõstituitur in ratione entis simpliciter, distincti à nihilo, & purè possibili: ergo essentia creata non distinguitur ab existentia. Hæc ratio etiam probat de materia prima, cujus essentia distinguitur à nihilo, & purè possibili: ergo si juxta hanc rationem distinctivũ entis à nihilo est existentia; materia per existentiam distinguitur à nihilo: sed quoniam alia entia differunt à nihilo per existentiam, ideò alia entia habent existentiam propriam, & identificatam, sicut habent entitatem propriam indistinctam; ergo stando huic rationi, materia habet existentiã propriam, & identificatam.

Et urgetur. Si materia non haberet existentiam propriam, existeret per alienam, & sic constitueretur in ratione entis distincti à nihilo per existentiam realiter distinctam: at hoc est immediatè contra positionẽ hìc positam: ergo supposita hac ratione probante identitatem essentiæ cum existentia, dicendum est materia habere propriam existentiam, & identificatam.

Secunda ratio est. Sciùm est ens simpliciter, id quod existit; nam quod non existit, nihil est. At per solam existentiam constituitur ens existens: ergo per solam existentiam constituitur res ens simpliciter, distinctum à nihilo. Sed quod constituit ens simpliciter, non distinguitur à constituto: ergo essentia non distinguitur ab existentia in creaturis. Hæc ratio etiam probat de materia, quæ est per se ipsam ens distinctum à nihilo: ergo per se ipsam habet entitatem, & existentiam propriam, qua sic constituitur ens, à nihilo distinctum.

Tertia ratio est, quòd si essentia differret ab existentia, existentia reciperetur in essentia, ut in causa materiali receptiva illius. Hoc est impossibile, quia causa materialis debet præcedere suum effectum; & essentia prout priori ad existentiam est nihil, in nihilo autem nequit recipi actus existẽtiæ: ergo non ponitur implicatoriè existentia recepta; poni debet cum essentia identificata. Hęc ratio probat de materia existentiam cum materia

iden

identificatam ; alioquin si diffe et , reciperetur in ma eria non xiſtere; materia on exiſt ns ſt nihil : ergo reciperetur in nihilo qu d implicat.

7. Probatur 3. Eadem ſententia. Omnis eſſentia actualis habet propriam exiſtentiam, ſuppoſita identitate eſſentiæ cum exiſtentia: ſed juxta principia ſententiæ identificantis, materia habet eſſentiam propriam actualem : ergo ſuppoſita identitate, materi habet propriam exiſte t am. Minor pr ba . Omn qu d ſt e ſimpliciter, habet eſſentiam actualé: ſed materia rat one ſui eſt ens ſimpliciter juxta principia ſententiæ identificantis : ergo &c. Minor probatur. Quod ratione ſui eſt ens diſtinctum à nihilo , eſt ens ſimpliciter; non enim ſententia identificans agnoſcit mediũ inter ens ſimpliciter & nihilum : ſed m ia r tione ſui habens tit tem, diſtinguitur ratione ſui à nihilo ergo.

Rurſus. Materia ratione ſui eſt ens ſubſtantiale : ſed ens ſubſtantiale eſt ens ſimplic ter , ſicu omn a accc̃identia ſunt ens ſecundùm quid : ergo materi ex ſe eſt ens ſimpliciter; ſicque habe it eſſentiam actualem.

Confirmatur 1. Suppoſita ſententia identificante, non eſt aſsignabile aliquid, per quod mat ria differa à nihilo, niſi h c ſit ex ſte t a: ſed materia ratione ſui differt à nihilo: ergo ratione ſui habet exiſtentiam, ſuppoſita entitate. Probatur major. Id quod diſtinguit ns à ihilo , vel ſt exiſtentia, vel ordo ad exiſtentiam: ſed ſup oſi a identita e eſſe ia cum exiſtén ia , materi non poteſt differre à nihilo per ordinem ad exiſtentiã , ergo &c. Major patet, nam ens vel eſt n minale, & hoc conſtituitur per ordinem ad exiſtentiam ; vel eſt partic piale ,& hoc eſt ens exiſtens, con i tutum per exiſtentiam. Min. probatu . O do & ela io a on s, no po teſt conſtituere ens reale , nec illud diſtinguere à nihilo, ut patet: ſed ſuppoſi a id n i a e eſſe ix cum exiſten t a, ordo ad exi ntiam eſt relatio rat onis; cùm inter extrema identificat non poſsit cadere relatio real s, ut patet ex dictis in Logica lib. 6. de relatione : ergo.

Confirmatur 2. Vel m teria diffe.t à nihilo pe. exiſt ntiam , vel p r ordinem a exiſtentiam. Quidqui di camus , habet exiſtentiam propriam ſuppoſita identitate: rgo id m. P obatur min. Nam i differt per ex ſtentiam: ergo cùm ex ſe differat materia à nihilo, ex ſe habet exiſtent am , & ſic op am. S d ffert p r ord nem ad exiſtentiam , probatur ſic. Omnis eſſentia actualis hab t exiſt n iã propriam, ſuppoſita identitate: ed ſi ma eria per ſuam eſſentiam dicit ordiné ad exiſtentiam, eſſentia materiæ eſt actualis : ergo eſſentia materiæ habet exiſtentiam propriam. Probatur min. Omnis relatio conſiſtit in actuali exercitio r f r nd , ut n Logica dictum eſt : ſed eſſentia importans hoc actuale exercitium, debet eſſe actualis; cũ eſſentia potentialis nullam actualitatem fundare po ſit, ut patet : ergo ſi materia &c.

8. Secunda ſentẽtia dicit materi-

teriam non habere propriam existentiam, adhuc suppositâ identitate inter essentiam, & existentiam. Sic sentiunt omnes DD. qui negant materiæ actũ entitativum, & metaphysicum: & licèt nullus in terminis id doceat, quoniam sub his terminis quæstio à nemine disputatur, immò sub oppositis, nempe suppositâ distinctione essentiæ ab existentia; at ex eorum principijs colligitur decisio, ut patebit ex probationibus, quas sequenti §. proponemus, ut cum eis nostram teneamus sententiam consequenter ad dicta in qq. 4. 5. & 7.

§. II.

Præfertur sententia negans, & probatur authoritate, & ratione.

9. NOBIS tenendum est, materiam non habere propriã existentiam, adhuc suppositâ sententia identificãte in creaturis essentiam & existentiam. Sic videtur dicendum de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, cum quibus sententiã istã probamus multiplíciter. Primò ex P. August. lib. 5. de Trinit. cap. 2. ubi dicit: *Ab eo quod est esse, dicta est essentia, & ab eo quod est sapere, dicta est sapientia*: quibus verbis, docemur, quòd quidquid ratione sui non est, ratione sui non habet essentiam, quę dicitur ab esse: sed materia juxta P. Augustinum ratione sui non est: ergo ratione sui non habet essentiam. Sed quod nõ habet essentiam ratione sui, non habet existentiam propriam adhuc suppositâ sententia identificante essentiam cum existentia: ergo materia juxta P. Augustinum non habet existentiam propriam adhuc suppositâ sententia identificante &c. Omnia constant, si prima minor probatur.

Probatur sic. Ex eodem S. P. Epist. 268. quæ est ad Nebridium, ubi dicit: *Fieri non potest, ut aliquid sit, & non hoc, vel illud sit*, idest hujus vel illius speciei, sed materia juxta P. Augustinum ratione sui non est hujus vel illius speciei, sed est *Quædam informitas sine ulla specie*, ut dicit lib. 12. Confes. cap. 3. nec cognoscitur, nisi *Per privationem omnis speciei*, ut docet lib. de Natura boni: ergo materia ratione sui juxta P. Augustinum non est: quare nec ratione sui habet essentiam.

Observa quòd probatio ista non negat materiæ essentiam potentialem, constitutam per esse subjectivum carens omni actualitate metaphysica, & essentiali; nam cum hoc addito diminuente materia habet essentiam, sicut habet entitatem cum hoc addito, nempe *potentialem*. Ceterùm sicut ens potentiale non est absolutè ens, quare materia dicitur à Philosopho 7. Metaphys. textu 8. non ens, ibi: *Materia non est quid, nec quale, nec quantũ, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur*; sic essentia materiæ potentialis, non est absolutè essentia, & simpliciter. Hoc suadet probatio Augustiniana; & hoc sufficit pro asserto nostro, quia sententia identificans essentiam cum existentia, solùm potest identificare essentiam simpliciter, & absolutè

tè talem; cùm existentia, quæ est actus de linea essendi absolutè, & simpliciter talis; alioquin implicatoriè poneret identitatem essentiæ non absolutè talis, cum ultimo actu de linea essendi simpliciter, & absolutè tali.

10. Probatur 2. ex Philosopho 1. de Gener. textu 12. dicente: *Materia est potestate ens, & hoc ens, simpliciter autem neque ens, neque hoc ens.* Consonat D. Thomas 1. contra Gent. cap. 43. dicens: *In rebus invenitur aliquid quod est potentia tantùm, ut materia prima.* Sed juxta sententiã identificantem essentiam cum existentia, quidquid habet existentiam propriã, est simpliciter ens, cùm per illam constituatur simpliciter distinctum à nihilo: ergo juxta D. Thomam, & Philosophum dicendum est materiã non habere propriam existentiam, adhuc suppositâ sententia identificante &c.

Dices: Aristot. & D. Thomas sic loquuntur, quia procedunt de materia juxta sententiam distinguentem essentiam ab existentia; nunc autem sententiam contrariam supponimus; quare probatio ista non est ad sensum quæstionis.

Sed contra: Quia DD. docẽtes identitatem essentiæ cum existentia, eam suadent de mente Aristot. & D. Thomæ, nec concedunt eos sibi adversari: ergo dum ex utroque probamus ab authoritate, benè & ad sensum quæstionis probamus. Præter quã quòd in his authoritatibus habetur quòd essentia materię non est actualis actualitate metaphysica, & essentiali, constituente ens in specie determinata: sed hoc sufficit, ut materia nõ habeat existentiam propriam juxta suppositum quæstionis, ut infrà dicemus: ergo benè, & urgenter probatur assertio nostra ex D. Thoma, & Arist.

11. Probatur 3. ex B Ægidio q. 10. de Esse, & essentia in principio, ubi ait: *Forma substantialis adveniens materiæ, facit unam essentiam cum ipsa.* Quæ verba, si expressè non habeãtur in D. Thoma, sensum continent sæpè insinuatum à Doct. Angelico, quoniã ex materia & forma fit unicum compositum substantiale, quod unicã habet essentiam: ergo materia ratione sui vel non habet essentiam absolutè, & simpliciter, vel solùm habet essentiam potentialem. Patet consequentia quia sicut ex duplici ente simpliciter tali, nequit fieri ens, quòd sit unum per se, sed per accidens, ut dictum est quæst. 7. num. 5. ita nec ex duplici essentia simpliciter tali, potest fieri una essentia per se. Sed quod non habet essentiam simpliciter talem, nõ habet existentiam propriam, adhuc juxta sententiam identificantem; cùm hæc sententia solùm possit identificare essentiam simpliciter cum existentiã, quæ est simpliciter actus essentiæ, ut dictum est num. 9. in fine: ergo de mente Doct. nostri Materia non habet propriam existentiam, adhuc suppositâ identitate essentiæ cum existentia.

12. 4. Probatur à ratione. Suppositâ identitate essentiæ cum existentia, actualitas essentiæ, & actualitas existentiæ taliter identificantur, ut una nõ sit sine alia: ergo suppositâ identi-

ti-

titate, ubi non est actualitas essentiæ, non est actualitas existentię, sed in materia prima ratione sui nulla est actualitas essentiæ; cùm nullus actus physicus, aut metaphysicus detur in materia secundùm se, ut probatum est q. 4, & 5. ex DD. NN. Augustino, Thoma, Ægidio, & à ratione: ergo suppositā illa identitate, materia non habet propriam existentiam.

Confirmatur. Implicat quòd essentia habeat propriam existentiam, & quòd non sit essentia actualis, sed essentia materiæ nō est essentia actualis, adhuc suppositā sententia identificante essentiam cum existentia; ergo adhuc suppositā ea sententia, materia non habet propriam existentiam. Probatur min. Si essentia materiæ esset actualis, esset actualis actualitate existentiæ, vel actualitate essentię metaphysica: sed ex quæst. 5. constat, materiam non esse essentiam habētem actualem metaphysicam essentiæ, aliunde implicat habere actualitatem existentię sine actualitate essentiæ, suppositā sententia identificante utrāque actualitatem: ergo suppositā ea sententia, materia non habet quòd sit essentia actualis, nec propriam existentiam.

15. Confirmatur 2. Sententia identificans essentiam cum existentia, non admittit existentiam potentialē, quæ sit receptiva alterius existentiæ: sed si non admittit hoc, tenetur illa sententia negare materię propiam existentiam: ergo adhuc suppositā identitate essentiæ cum existentia, materia non habet &c. Major patet, quia existētia ex terminis est ultimus actus entis, qui non est receptivus ulterioris actus. Rursus. Quod est tale per se, nequit reddi tale per aliud; unde una quantitas no est receptiva alterius, nec per aliam quantitatem reddi potest quanta, & extensa. Ergo nec una existentia potest aliam recipere, nec reddi existens per aliam existentiam, quod eveniret; siuena existentia reciperet aliam, cùm reciperet aliquem effectum formalem illius, nec alium potest existentia recepta dare, nisi reddere existens. Ob hæc, & alia DD. hujus sententiæ, licèt doceant formam recipi in materia existente, negant, & meritò, quòd existentia materiæ recipiat existentiam formæ, aut quòd reddatur existentia materiæ existens per existentiam formæ.

Minor principalis probatur. Si sententia illa non negat materię propriam existentiam, debet dare existentiam identificatam cum materia, & existentiam identificatam cum forma: sed hoc est ponere in materia existentiam potentialem, receptivam existētię formæ: ergo si hoc non admittit, tenetur negare materiæ propriam existentiam. Probatur min. Quicquid recipitur in materia, recipitur in omni eo, quod idētificatur cum materia; quare si forma recipitur in materia, recipitur in existentia materię, identifica a cum materia. Item si forma recipitur in materia, & in existentia materiæ, ob eandem rationem forma, & existentia formæ, cùm forma idētificata, recipitur in materia, & in existentia materiæ: at hoc est ponere

ne

nedum materiam receptivam formæ, ſed exiſtentiam materiæ receptivam exiſtentiæ formę, & ſic potentialem : ergo &c.

14. Hinc evincitur, quòd ſi ſententia identificans eſſentiam cum exiſtentia, negat, ut debet, exiſtentiã potentialem, quę ſit receptiva alterius exiſtentiæ, debet negare unùm è duobus, nempe vel quòd detur ens potẽtiale habẽs ſolam eſſentiam potentialem; vel ſi hoc admittit, debet dicere, quòd in hoc ente potentiali non datur exiſtentia propria, quæ ſit cum eo identificata. Patet hoc, quia cum ente potentiali receptivo alterius entis identificati cum exiſtentia ſua, ſolùm poteſt identificari exiſtentia potentialis, receptiva ejuſdem entis, & ejuſdem exiſtentiæ : ergo vel hoc ens potentiale non datur, vel ſi datur, in illo non eſt exiſtentia propria, & idẽtificata. Sed negare dari ens potẽtiale receptivum formæ, & exiſtentiæ identificatæ cum forma, eſt negare dari materiam primam; ut patet: ergo ne incidamus in errorem rancidum Philoſophorum negantiũ generationes ſubſtantiales, tenendum eſt quòd materia non habet exiſtentiam propriam, ſecum identificatam.

Explicatur, & urgetur. Sententia identificans eſſentiam cum exiſtentia, vel id docet de eſſentia actuali, & ente ſimpliciter; vel de eſſentia, & ente tam actuali, quàm potentiali; vel de ente, & eſſentia preſcindente ab actuali, & potentiali. Si primum? Ergo qui nobiſcum quæſt. 4. & 5. tenet quòd materia non eſt ens actuale, nec eſſentia actualis, debet negare materiæ exiſtentiam propriam, identificatam. Si ſecundum? Ergo ſicut exiſtentia formę identificata cum forma, quę eſt ens actuale, recipitur in materia; ita exiſtentia materiæ identificata cũ materia, erit receptiva formæ, & exiſtentiæ formæ; unde dabitur exiſtentia potentialis, quàm negant hi DD. Si tertium? Ergo illa ſola eſſentia, quæ præſcindit ab actuali, & potentiali, idẽtificatur cum exiſtentia. Quod præter quam quod falſum eſt; non eſt ad rẽ in quæſtione iſta; cùm eſſentia materiæ non ſit ita præſcindens, ſed determinatè potentialis, ut q. 4. & 5. probatum eſt. Reſtat ergo, dicamus pro vera intelligentia ſententiæ identificãtis, quam ſupponimus, quòd ſola eſſentia actualis, & in ſolo ente ſimpliciter actuali datur exiſtentia propria identificata. Quare cùm materia non ſit ens ſimpliciter actuale, nec ejus eſſentia actualis &c.

15. Confirmatur 3. Licèt differentia ſpecifica poſitiva conſtituens rem in ſpecie determinata, ſit identificata cum re, cujus eſt differentia; & hoc ſit certum apud omnes : at non eſt certum apud omnes, quòd materia habeat differentiam talem, propriam, & identificatam, ſed id negant nobiſcum in quæſt. 5. DD. negantes materię actum metaphyſicum. Ergo licèt ſupponamus certũ apud omnes, quòd exiſtentia idẽtificatur cum eſſentia in creaturis, non eſt certum quòd materia habeat propriã exiſtentiam, & idẽtificatam, ſed id debent nobiſcum negare, qui negant materiæ propriam

existentiam. Consequentia tenet à paritate, sed urgentiùs probatur à ratione.

Suadetur sic. Ideò rationalitas (idem dic de quacumque differentia specifica creaturarum) identificatur cũ homine, quia est prædicatum distinctivum, & constitutivum, & sic indistinctum à constituto. Hæc eadem ratio est de existentia in sententia, quã supponimus; nam existẽtia distinguit ens à non ente, unde est prædicatum distinctivum, & constitutivum, & sic indistinctum ab ente constituto. Et tamen ratio ista non convincit de materia, quæ est ens sic potentiale, ut nõ habeat ex se differentiam positivã specificam, sed à forma emendicatam, ut q. 5. dictum est: ergo nec ratio de idẽtitate essentiæ cum existentia probat in materia propriam existentiam, sed à forma emendicatam.

Confirmatur 4. Juxta Philosophum licèt omne quod est ens simpliciter, sit tale per identitatem; at materia ratione sui non est ens simpliciter; quando autem per formam redditur in cõposito ens simpliciter, hoc non est per identitatem, sed per distinctionem formę dantis esse simpliciter: ergo licèt juxta sententiam, quã supponimus, omne quod existit, existat per identitatem cum existentia; at materia ratione sui non existit; quando autem per susceptionem formæ redditur existens, hoc non est per identitatem, sed per distinctionem à forma, dãte materiæ esse tum actuale essentiæ, tum actuale existentiæ. Antecedens patet ex dictis num. 10. ubi materia potestate est ens, quia est in potentia ad formam, per quam redditur ens simpliciter.

Doctrina hujus, & precedentis confirmationis, est hæc. Omne ens ponitur in specie determinata per differentiam positivam secum identificatã: sed excipe materiam primam. Omne ens cõstituitur ens simpliciter per prædicatum secum identificatum, sed excipienda est materia. Ergo omne ens existit per existentiam identificatam, sed excipere debes materiam. Prima, & secunda propositio est doctrinalis, & traditur à Philosopho, & DD. nostris ubi suprà q. 4. & 5. Tertia autem quæ concluditur, est consequens ad sententiam, quã supponimus. Quia ratio excipiendi materiã ab omni idẽtitate cum differentia positiva essentiali, & cum constitutivo entis simpliciter, est quia materia est pura potentia in genere entis: sed hæc ratio probat negandam esse materiæ identitatẽ cum existentia; immò fortiùs probat de existentia, cùm hęc sit actus ultimus de linea entis, qui nequit identificari cum pura potentia in genere entis; alioquin pura potentia esset ultimus actus in genere entis, quod implicat, & in quocumque genere implicatorium est: ergo de primo ad ultimum videtur dicẽdum, quòd materia non habet existentiam propriam, adhuc suppositа sententia identificante essentiam cum existentia.

16. Si dicas. Quòd materia nõ est ens simpliciter formale, at est ens simpliciter existentiale, & hoc sufficit, ut habeat existentiam propriam, &

iden-

identificatam. Contra est, nam reddeunt contra te omnes rationes probativæ nostræ. Reddit prima, quia negando materiam esse ens formale, negas materiæ actum metaphysicum, vel actualitatem essentiæ: ergo debes negare actualitatem existentiæ, ex suppositione identificationis utriusque actualitatis. Reddit confirmatio secunda nostra, quia si materia habet existentiam identificatam, debes dicere hanc existentiam esse potentialem ad actū formalem, & ad existentiam identificatam cum forma, vel actu formali. Si his, vel alijs terminis respondeas, facilè confutaris mutatis parum terminis probationis nostræ.

§. III.

Solvuntur fundamenta contraria.

17. AD primum fundamentum sententiæ contrariæ positū num. 4. respondemus juxta solutionē ibi datam, dist. maj. ubi datur essentia propria, datur existentia, ubi datur essentia actualis, concedo maj. sed nego min. quia in materia non datur essentia actualis. Vbi datur essentia potentialis, nego maj. quia sententia identificans non potest intelligi de essentia potentiali, nec de præscindente ab actuali, & potentiali, ut probatum est num. 13. & 14. sed de sola essentia actuali. Immò retorque fundamentum hoc juxta dicta num. 12. Ad confirmat. dic dubitari de materia, an habeat essentiam actualem: & hoc sufficit ad dubitandum de existentia.

Ad replicas contra hanc solutionem respondemus, & ad 1. neg. maj. ad probationem dist. maj. Supposita identitate, eo modo dividitur existentia, quo dividitur essentia; quo dividitur essentia actualis, concedo maj. quia cum sola essentia actuali idendificatur existentia. Quo dividitur essentia præscindēs ab actuali, & potentiali, nego maj. nam cum essentia sic, non identificatur existentia, ut probatum est. Et dist. minor. essentia dividitur in actualem, & potentialem, essentia actualis, nego min. essentia præscindens ab actuali, & potentiali, concedo min. & nego consequentiam. Identitas facit, ut existentia dividatur juxta divisionem essentiæ, cum qua identificatur: at existentia solùm identificatur cū essentia actuali: ergo solùm est divisibilis modo quo essentia actualis. Sed essentia actualis dividitur in varias essentias hominis, equi, plantæ, lapidis, &c. non autem dividitur in essentiam potentialem, & actualem: ergo existentia est divisibilis in varias existentias hominis, equi, plantæ, &c. non autem in existentiā potentialem, & actualem.

Ad 2. replicam neg. antecedēs Ad 1. probationem dic materiam per suam essentiam, & entitatem differre actualiter à nihilo: ceterùm inde non probatur quòd essentia materiæ sit actualis, sicut nec quòd ejus entitas actualis sit. Vide hoc quæst. 5. num. 20 Ad secundam probationem, qua re producuntur rationes probantes in materia actum metaphysicum, respondeo applicando doctrinam datam q. 5. §. 2.

18. Dices. Materia actu differt positivè à forma, & à nihilo: sed si nō haberet essentiam actualem, non differret actualiter positivè à nihilo, & à forma: ergo materia habet essentiam actualem. Probatur min. Quod non habet essentiam actualem, est actu nihil: sed quod est nihil actu, nequit differre positivè à forma & à nihilo, ut patet: ergo &c.

Respondemus ex dictis quæst. 5. quòd materia non differt à forma positivè formaliter, sed negativè, quatenus non habet differētiam specificam positivam, sed privativam, nempe carentiam privativam omnis actualitatis. Ob id essentia materiæ no.. est actualis, sed potentialis, ut dictum est loco citato. At quia materia est ens positivum, differt transcendentaliter positivè à forma per suam entitatē positivam. N c ad tam di ti c io m requiritur essentia actualis, nec entitas actualis, sed entitas utcumque, licèt sit potentialis. In forma nego min. Ad prob tion m nego maj. quia inter actu nihil, & ens habens essentiam actualem, datur medium, nempe ens in potentia, quod est *prope nihil*, ut ex Philosopho, & P. Augustino dictum est. Hoc medium est materia.

19. Dices: Si materiæ concedimus essentiam potentialem, cur ei non concedimus existentiam potentialem? Respondemus 1. quòd existentia potentialis est implicatoria, ut probatum est num. 13. Ceterùm essentia potentialis non implicat, immò innegabilis est, si admittitur materia prima, ut ponitur à Philosopho, & P. August. q. 5. Respondemus 2. Quòd existentia consistit in actuali exercitio essendi extra causas, quare est actus ultimus de linea essendi; repugnat actus ultimus potentialis: ergo repugnat existentia potentialis. At essentia consistit in cōnexione prędicatorum essentialium cum , opria en ita e : a d- tur duplex ens, nempe potentiale, & actuale; & utrumque connectitur cum suis prædicatis essentialibus: ergo datur duplex essentia, nemp , oten ia- lis, & actualis. Respondemus 3. Quòd essentia in communi est divisibilis, sicut ens. At ens est divisibile in potentiale, & actuale: ergo & essentia. Nō sic existentia, quæ cùm sit ultimus actus essendi non -st divisibil's per ,o- tentialitatem, & actualitatem: quare dicere *existentiam potentialem*, est dicere oppositum in adjecto, ut si dicer *Mortem vivam*, t *substantiam accidentalem*.

20. Ad 3. replicam ex positis num. 5. fatemur, quòd essentia compo siti est actualis, & quòd hæc est divisibilis in duas essentias incompletas: negamus tamen quòd existentia compositi cum tali essentia identificata, sit di visibilis in duas existentias incompletas. Et instatur. Nam humanitas identificatur etiam cum essentia homi nis: sed licèt essentia adæquata homi nis sit divisibilis in essentiam corporis, & in essentiam animæ, quæ sunt duæ essentiæ incompletæ, non tamen humanitas est divisibilis in duas hu- a es incomple as: erg licèt essentia adæquata compositi sit divisibi lis in duas essentia. incompleta., exi-

sten

stentia compositi non est divisibilis in duas incompletas.

Ratio hujus dupliciter assignari potest: 1. in sententia eorum qui dicunt quòd existentia est propria formæ, & per illam redditur materia existens. In qua sententia existentia cõpositi, & formæ, unica est, & cum essentia formæ identificata. Quæ sicut composito convenit ratione formæ, ita cum essentia compositi identificatur, non ratione omnium quæ compositũ includit, sed ratione solius formæ. Est ergo essentia compositi actualis, at non sumpta adæquatè, sed inadæquatè: quia compositum adæquatè sumptum, dicit etiam materiam, & materia non est essentia actualis ratione sui, ut dictum est; nec ratione formæ, quia per formã redditur actuata, sed non actualis; unde est actus adjectivè, sed non substantivè. Identificatur existentia cum essentia actuali; & sic cum essentia compositi, ut actualis est. At essentia compositi adæquatè sumpti, non est actualis, sed partim actualis, & partim actuata: ergo existentia compositi non identificatur cum essentia compositi adequatè sumpta, sed inadæquatè ut dicit formam. Ergo licèt essentia compositi adequatè sumpta, sit divisibilis in duas incõpletas, non probatur quòd existentia compositi sit in duas divisibilis. Immò oppositum sic. Existentia compositi identificatur solùm cum essentia compositi inadæquata, ut dicit formã; sed essentia compositi inadæquata, ut dicit formam, non est divisibilis in duas incompletas: ergo nec existentia compositi.

21. In sententia autem nostri B. Ægidij, & plurium Thomistarum docentium, quòd existentia est propriæ compositi, & vi cõpositi convenit formæ, quia solum compositum est quod operatur, & quod fit per se; dicendum est, quòd existẽtia est actus totius, non autem partium; quare solùm identificatur cum toto, ut totum est, non autem cum partibus, nisi reduplicativè, ut unitis; quia sic solùm, partes no distinguuntur à toto, ut dicemus lib. 2. At quia humanitas identificatur cum corpore, & anima, ut unitis, & cum homine, ut totum est reduplicativè, ideò licèt homo dividatur in duas essentias incompletas, non dividitur in duas humanitates incompletas: ergo nec in duas incompletas existentias.

Ratio hujus est duplex. Prima, quia licèt totum specificativè sumptũ, sit divisibile in partes, ex quibus constat; at totum reduplicativè acceptum, est indivisibile. Quo fit ut humanitas, quæ est denominatio totius reduplicativè sumpti, indivisibilis est, & idem dic de existentia. Secunda est. Quia divisio aliquando fit in partes, quæ sortiuntur denominationem totius, ut quando dividitur linea, in duas partes, quarum quælibet linea est. Aliquãdo fit in partes, quæ non denominantur denominatione totius, ut in exemplo dato humanitatis. At compositum est divisibile in materiam, & formam, quarum neutra est totum, nec ei conveniens quod convenit toti: ergo cùm existentia sit actus conveniens toti, ut to-

totum est; & partibus solùm, ut unitis, qualiter sunt totum; essentia autem conveniat toti, nedum reduplicativè, sed specificativè sumpto; fit quòd essentia cõpositi est divisibilis in duas, secùs existentia, quantumcumque idétificentur.

22. Ad 4. replicam respondemus ex dictis pro tertia. Concedimus quòd existentia compositi identificatur cum essentia tam physica, quàm metaphysica compositi. Ceterùm non cum essentia compositi adæquata, sed inadæquata, ut dicit entitatem, & essentiam formæ. At compositum inadæquatè sumptum, ut dicit solam entitatem, & essentiam formæ, non est divisibile in duas entitates incompletas, sed indivisibile, sicut forma indivisibilis est entitativè; ergo & existentia indivisibilis est.

Vel dic secundò juxta sententiá B. Ægidij quòd essentia physica compositi, specificativè sumpta, divisibilis est: at cum ea sic sumpta, non idétificatur existentia, quæ est actus cõpositi reduplicativè, ut compositum & totum est. Sed compositum, reduplicativè ut tale, est indivisibile; potest enim destrui, sed non dividi sub hac reduplicatione: ergo & existentia compositi destruibilis est, sed non divisibilis in duas. Applica exemplum humanitatis: & dic, quòd sicut diviso homine, si humanitas admittatur divisibilis, divideretur in duas partes, quarum neutra esset humanitas, sed esset corpus, & anima: sic dato, quòd divideretur existentia, dum compositum dividitur, non divideretur in partes, quæ essent duæ existentiæ, sed forent materia, & forma.

Et quidem argumentum desumptum ex identitate ad suadendam divisibilitatem, instatur. Nam essentia physica hominis, nempe *corpus*, & *anima*, identificatur cum essentia hominis metaphysica, nempe *animal rationale*: sed ex quo essentia physica sit physicè divisibilis in duas partes realiter distinctas, non sequitur quòd essentia metaphysica hominis sit realiter divisibilis: ergo licèt existentia cõpositi identificetur cum cõposito realiter divisibili, non sequitur quòd existentia sit realiter divisibilis.

Observa. Quòd animal rationale, quod est essentia realiter indivisibilis, identificatur cum homine quod est compositum realiter divisibile; nec sequitur implicatio prætensa, nempe quòd unum, & idem sit realiter divisibile, & realiter indivisibile, sed sequitur quòd una, & eadem entitas hominis, aliter, & aliter accepta sit divisibilis, & indivisibilis; divisibilis, si sumitur physicè, indivisibilis sumpta metaphysicè. Et hoc non implicat, sed revera sic est. Hinc *animal rationale*, si sumitur metaphysicè, ut sonant verba, est realiter indivisibile. Ceterùm si sumitur physicè, est realiter divisibile in partes realiter distinctas; non in partes, quarum una sit *animal*, alia *rationale*, nam istæ sunt partes Metaphysicæ, & non conveniunt divisibilitati physicæ: sed in partes quarum una est corpus, alia anima. Sic dato, quòd existentia identificata cum composito, sit physicè divisibilis, erit in par-

partes physicas, quarum una sit corpus, alia anima, non autem in existentias incompletas.

23: Ad 2. fundamentum sententiæ contrariæ, positum num. 6. respõdemus, quòd ex vi suppositi quæstionis, non tenemur admittere omnes rationes, quibus probatur identitas essentiæ cum existentia. Tum, quia plures sunt ineficaces, & meritò impugnantur à DD. ejusdem sententiæ: tum quia aliquæ tollunt de medio materiã primam, ut sunt omnes illæ, quæ fundantur in hoc principio, nempe *Nullum datur medium inter nihilum, & ens simpliciter actuale*. De eis erit examẽ q. de distinctione essentiæ ab existentia. Interim vide dicta quæst. 7. num. 14. ergo ex vi suppositi quæstionis nostræ solùm tenemur admittere rationem, quę ab omnibus reputatur efficax pro suadenda in creaturis identitate essentiæ cum existentia. Talis est illa, quæ in argumento insinuatur, nempe, quòd existentia est illud, per quod ens simpliciter constituitur distinctum à nihilo, quare est constitutivum indistinctum à constituto. Hoc notato.

Ad fundamentum dist. maj. Supposita identitate &c. debent supponi rationes eam probantes, probantes efficaciter, & sine inconvenienti philosophico, concedo maj. omnes rationes utcumque proban es, nego maj. & sub eadem distin. nego min. & consequentiam. Ad probationem min. nego antecedens, nego enim quòd rationes efficaces ad suadendam identitatem essentiæ cum existentia, reperiantur etiam de materia prima. Et admitto, quòd

prima ratio, posita in argumento, sit efficax; en quomodo nil suadet de materia.

Admitto quòd omne ens simpliciter distinguitur à nihilo, & quòd distinguitur per existentiam, & per eam constituitur in ratione entis simpliciter distincti à nihilo: ex quo sequitur, quòd tale ens non differat ab existentia; cùm nihil differat à suis constitutivis. Nego tamen cum Philosopho, D. Thoma, & P. August. allegatis num. 10. quòd materia sit ratione sui ens simpliciter; non enim est actu ens, sed potestate, & in potentia est ens: ergo est in potentia ad existentiam, per quam juxta argumentum constituitur ens simpliciter. Ergo materia nec est ens simpliciter per identitatem, sed per distinctionem, ut dictum est num 15. nec est existens per existentiam identificatam, sed distinctam, & alienam, ut nostris fundamentis probatur hic. Quare admissa hac ratione probativa identitatis essentiæ creatę cum existentia, nil evincitur pro materia prima.

24. Dices. Alia entia identificantur cum existentia, quia per illã differunt à nihilo: sed materia etiam per existentiam differt à nihilo: ergo etiam materia identificat secum existentiã suam. Respõdeo cõcessa maj. nego min. cum P. Augustino, quia si materia per existentiam differret à nihilo, non esset materia *prope nihil*, & medium inter ens, & nihil: sicut alia entia non sunt prope nihil, nec mediũ inter ens, & nihil, quia per existentiã differunt à nihilo. Ergo quantumcumque alia entia differant à nihilo per

exi

existentiam; id negandum est materiæ primæ. Differt materia à nihilo, non per existentiam, sed per ordinem realem ad existentiam, quem dicit ut potentia realis receptiva formæ, & existentiæ: quia non est actu ens simpliciter, sed potentia, aut potestate ens.

Dices iterum. Si materia per solum ordinem ad existentiam differt à nihilo, cur etiam alia entia non differunt per talem ordinem? Respondeo, quòd revera omne ens creatum differt à nihilo per ordinem ad existentiam, ut dicemus quæst. de distinctione essentiæ ab existentia. Cetèrùm, quia hic supponimus identitatem, ideò oportet dare disparitatem. Disparitas est. Quòd alia entia habent actualitatem essentiæ, cum qua identificatur actualitas existentiæ: unde inter essentiam illam, & existentiam nequit dari relatio realis, quæ petit extrema realiter distincta. Hinc fit, ut ordo essentiæ ad existentiam in alijs entibus est ordo rationis: sed ordo rationis nequit esse constitutivus entis realis, & sic nec distinctivus: ergo alia entia nequeunt differre à nihilo per ordinem essentiæ ad existentiam. At materia, cujus essentia est potentialis, nec habet actualitatem essentiæ identificatam, sed realiter distinctam, nec habet actualitatem existentiæ nisi distinctam: ergo differt à nihilo non per existentiam, sed per ordinem ad existentiam.

Non quiescas. Nam hic ordo materiæ ad existentiam non fundatur in nihilo, quia nihilum nequit dicere ordinem ad existentiam: ergo fundatur in ente: ergo materia pro priori ad

hunc ordinem est ens. Sed materia pro priori ad hunc ordinem, nequit esse ens distinctum à nihilo per hunc ordinem, cùm hic ordo nequeat distinguere antequam sit: ergo implicatoriè ponitur materia distincta à nihilo per ordinem ad existentiam.

Respondeò, quòd hic ordo est transcendentalis, & indistinctus ab entitate materiæ, quam constituit in ratione entis nominalis, dicentis ordinem ad existentiam: quare non fundatur in entitate signata materiæ, sed in entitate exercita ejus, quam ipse ordo constituit. Sic dicunt Thomistæ de existentia distincta ab essentia, quòd existentia recipitur in essentia existente, non existente signatè, & præsuppositivè ante existentiam, quia hoc implicat, sed existente exercitè per existentiam ipsam, quæ recipitur. Dicunt etiam de essentia præcedente existentiam, quòd est ens nominale distinctum à nihilo, constitutum per ordinem, quem essentia dicit ad existentiam. Quòd si quæras in quo fundatur ille ordo, dicunt quòd in entitate essentiæ, non in entitate signata, quæ præcedat illum ordinem, sed in entitate nominali, exercitè constituta per illum ordinem. Sic dicimus de materia, cujus ordo ad existentiam fundatur in ente, non in ente signato, & præsuppolito ad illum ordinem, sed in ente constituto exercitè per illum respectum, qui ideò transcendentalis est, indistinctus, & constitutivus.

Ad secundam rationem ex positis num. 6. dicimus illam ex parte veram, includere falsitatem, quam

non

non possumus admittere. Est vera, quà-tenus affirmat, quòd solùm ens existés _st ens simplici er ; & quòd tale con-stituitur per existentiam : unde sequi-tur quòd ens simpliciter nõ differt ab existent_a. At _st falsa quatenus dicit quòd ens non existens est nihil. Hoc autem est falsum, &ex falso principio de..uctum, n_mpe _x e_ quòd inter _ns simplic_ter & nih'l, nullu_ datur __e-dium. Hoc esset tollere materiam pri-mam, quę n_c est e_s simpli iter, nec nihil, sed med u__, quod à Philosopho dicitur *ens potestate*, & à P. Augustino vocatur *prope nihil*.

Hoc n~tato. Rati~ illa nil pro-bat de materi , quia solùm probat quòd ens simpl'c_t~r per solam existé-tiam differt ihilo. A ma eria non est ens simpliciter, sed in potentia est-ens : ergo differt à nihilo non per exi-stentiam , sed per o_dinem, & poten-ti~m ad existenti~m. Quare adhuc stā-do huic rationi , intellectæ tamen ut debet intelligi, ne tollamus de medio materiam primam , nil evincitur pro materia.

Ad tertiam rationem d c_ us il-lam non esse efficacem, nisi destruen-do omne medium inter ens existens , & nihil. Non possumus tale medium tollere , nisi tollendo materiam pri-mam. Hinc est, quòd ratio illa, dato isto medio, nil probat nec de essentia compositi, nec de ~ater'a. Nam exi-stentia distincta recipitur in essentia , quæ est ens nominale dicens ordinem ad existentiam , per quem ordin~m distinguitur essentia à nih'lo, &ab en-t~ simplic't~r ~xisten e ; estque essen-tia illa medium inter utrumque , & est in atu viali, ut dictum est quæst. 7. & ampl ùs constabit in fine hujus libri. Si ergo ratio illa ineffica~ est , aut procedens ex principio falso , nil probat contra nos adducta pro mate-ria prima.

26. Ad ertium fundamẽtum posit m n m. 7 nego m n. ad pro-bationem nego min. ad ejus probatio-nem nego maj. nego quòd omne di-stinctum à nihilo, sit ens simpliciter. Quòd si sententia identificans essen-tiam cum existentia, id defendit, nul-lum agnoscens medium inter nihilum & ens simpliciter ; in hoc nobis non probatur, quia inde tollitur de medio materia prima. Nec tenemur id ad-mi e e juxta suppositum quæstionis , maximè cùm sententia identificans possit defendi, admisso illo medio: imò nisi illud admitt~t , tenetur co...ede-re existentiam potẽtialem, ut vidimus num. 13. nec illam admittunt, ut ibi satis dictum est de ment~ horu... DD.

Ad 2. probationẽ min. dic, quòd materia est quid substantiale, & sic de linea essendi simplic ter. Ceterùmquia no_ est actu ens sub~antiale, sed po-testate ; ideò non est actu ens secun-dùm quid, n_c ens simp_i_it_r, sed est in potentia ens simpliciter: quare non habet essentiam actualem.

Ad 1. confirm. dic, quòd benè probat de ente simpliciter ; habente essentiam actualem, sed non de ente in potentia, habente essentiam poten-t'alem : nam hoc sicut non habet a-ctualitatem essentiæ, sic non habet per identitatem actualitatem existentiæ.

Quare benè intervenit relatio realis essentiæ ad existentiam, & per talem ordinem constituitur, ut dictum est num. 24.

Ad 2. confirm. dic quòd materia differt à nihilo per ordinem ad existentiam: nec ideò sequitur quòd materia habeat essentiam actualem. Ad probationem in contrarium dic, quòd relatio actualis, quam potentia dicit ad actum, est relatio actu referens; cæterùm hoc actuale exercitium referendi fundatur supra actuale exercitium essendi potentiam ad actum. Sed ut potentia sit actualiter potentia, & materia sit actualiter materia, nulla actualitas metaphysica requiritur, ut patet: ergo nec requiritur actus aliquis ad fundandam relationem actualem potentiæ. Talis est relatio entis nominalis ad existentiam.

QVÆSTIO NONA

An materia possit divinitus existere sine forma?

§. I.

Probatur hoc esse impossibile naturaliter.

1. ILLud dicitur possibile naturaliter, quod fieri solet, aut potest attento ordine naturali, quē Deus instituit: illud verò divinitus dicitur possibile, quod supra, vel præter ordinem rerum, fieri potest à Deo miraculosè. Hoc satis explicatū est suprà quæst. 2. ubi egimus de rationibus seminalibus, & obedientialibus; quare dum quæritur, an materia possit existere sine forma, dubitari potest de utraque possibilitate.

Tenent aliqui materiam posse naturaliter existere sine formâ. Et quidem quòd ita extiterit in prima mundi creatione, suadetur ex illo Gen. 1. *Terra erat inanis, & vacua.* Vbi Septuaginta vertunt *invisib lis, & incompo-*

posita. Cui concinit illud Sapient. 11. *Creavit orbem terrarum ex materia invisa*; & ut alia littera habet; *Feciſti mundum ex materia informi.* Sed materia informis eſt materia ſpoliata omni forma: ergo in primordio rerũ præceſsit, & præextitit materia ſine forma.

Confirmatur 1. ex P. Auguſtin. lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 3. ubi ait: *Priuſquam iſtam informẽ materiam formares, atque diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non ſpiritus, non corpus, non tamen omninò nihil, ſed erat quædã informitas ſine ulla ſpecie.* En erat materia informis, & ſine ulla forma, qua formatur; & ideò non erat aliquid corporeum, aut ſpirituale, & quia nullam etiam formam accidentalem habebat, ideò nõ erat color, aut figura, quæ habentur vi qualitatis, & quantitatis. Et tamen juxta P. Auguſt. materia erat, & exiſtebat diſtincta à nihilo: ergo exiſtebat ſine ulla forma.

Confirmatur 2. ex P. Auguſtino lib. 12. cap. 9. ubi in eadem ſententia perſiſtens, dicit quòd in diebus creationis non eſt numerata materia, quia quod eſt plenè informe, nec præterit, nec advenit, nec temporũ mutationi ſubjectum eſt. Verba S. P. ſunt hæc: *Iſta vi; ò informitas terræ inviſibilis, & incompoſitæ, nec ipſa in diebus numerata eſt. Vbi enim nulla ſpecies, nullus ordo, nec venit quidquam, nec præterit. Et ubi hoc non fit, non ſunt utique dies, nec viciſſitudo ſpatiorum temporalium.* En materia creata ante omne tempus; ſi creata: ergo exiſtens; quia creatio dat exiſtentiam. At ſi nõ extitiſſet ſine omni forma, ſed cum forma, eſſet ſubjecta tempori, & ſic non eſſet ante omne tempus: ergo materia extitit ſine ulla forma, dum primò creata eſt.

Confirmatur 3. ex eodem S. P. lib. 12. Confeſ. cap. 7. ubi ait Deo loquens: *Duo feciſti Domine, unum prope tè, aliud prope nihil. Vnum, quo tu ſuperior eſſes, ideſt naturam angelicam: aliud, quo nihil inferius eſſet, ideſt informem materiam.* Sed ſi materia creata eſſet ſimul cum forma, nõ eſſet materia id, quo nihil inferius; nã inferior eſſet materia informis, quàm materia formata: ergo informis, & ſine ulla forma extitit, & creata eſt materia prima.

2. A ratione ſuaderi poteſt 1. Quia materia antecedẽter ad formam ſupponitur ut cauſa materialis formę: ergo ſupponitur cum omnibus requiſitis naturaliter ad exiſtendum. Patet conſequentia, quia cauſa non exiſtẽs, nequit cauſare: ergo cauſa, quæ ſupponitur ante formam, cum requiſitis naturaliter ad cauſandum, ſupponitur cum requiſitis naturaliter ad exiſtendum. Ergo licèt pro poſteriori nõ adveniret forma, exiſteret naturaliter materia ſine illa. Patet hæc conſequẽtia. Quia naturaliter exiſtit, quidquid habet requiſita naturaliter ad exiſtendum: ergo ſi materia ante formã ſupponitur cum requiſitis naturaliter ad exiſtendum, licèt pro poſteriori non adveniret forma, naturaliter exiſteret ſine illa.

Secundò: Materia ratione ſui

habet entitatem, & exiſtentiam propriam: ſed ad exiſtendum naturaliter non requiritur aliud præter entitatē, & exiſtentiam: ergo materia ratione ſui, & ſine ulla forma poteſt naturaliter exiſtere. Major probatur eis argumentis, quibus q. 7. & 8. oſtenſum eſt materiam habere propriam exiſtētiam.

Tertiò. Id quòd non pendet ab alio à priori, vel à poſteriori, poteſt naturaliter exiſtere ſine illo: ſed materia nec à priori, nec à poſteriori pēdet à forma: ergo poteſt naturaliter exiſtere ſine illa. Major patet, & min. probatur. Nam dependentia à priori ſolùm datur in effectu reſpectu cauſę: materia autem nō eſt effectus formæ, ſed cauſa materialis illius, unde non pendet à priori à forma. Iam verò quòd nec à poſteriori pendeat, ut exiſtat, probatur. Nam materia ſolùm pendet à forma poſteriori, ut vi ejus recipiat eſſe completum: ergo ut exiſtat incompletè, & per eſſe incompletum, quod habet ratione ſui, non pēdet à forma, adhuc dependentia à poſteriori.

3. Contraria ſententia communis eſt inter Philoſophos, quā ubique docet D. Thomas cum Thomiſtis, & B. Ægidius in 2. Sentent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. Et in examerone p. 1. cap. 1. ubi expendit argumenta hìc poſita ex P. Auguſtino, de cujus mēte ſuadet materiam in nullo inſtanti præceſiſſe formam, ſed ſolo origine; quare naturaliter ſine forma exiſtere non poteſt.

Et quidem quòd materia concreata ſit formæ ſine ulla tēporis præcedentia, docetur à S. P. toto lib. 1. de Gen. ad litt. à cap. 12. uſque ad 17. ibi cap. 15. concludit ſic: *Non quia informis materia formatis rebus tē pore prior eſt, cùm ſit utrumque ſimul concreatum, & unde factum eſt, quod factum eſt.* Et infrà ibidem: *Quamvis utrumque, ut dictum eſt, ſimul fecerit Deus, ut quod ſola origine prius eſt in faciendo, etiam tempore prius ſit in narrando &c.* Vbi S. Doctor notās quòd dum dicimus materiam, & formam, prioti temporis morula dicimus materiam, advertit talem temporis præcedentiam, quæ in locutione noſtra eſt, non fuiſſe in creatione materiæ, & formæ, quæ ſimul creatæ, aut concreatæ ſunt.

Simultaneam utriuſque creationem explicat S. P. opportuno exemplo locutionis noſtræ, quæ dum formant verba, vocem ſimul, ut materiā, & formam verbi efficit. Ibi dicit ſic: *Sicut enim vox eſt materia verborum, verba verò formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, priùs emittit informem vocem, quam poſsit poſteà colligere, atque inde verba formare. Ita Creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, ut eam poſteà per ordinem quarumcumque naturarū, quaſi ſecunda conſideratione formavit. Formatam quippe creavit materiam.* Hęc S. P. pro cujus intelligentia nota, quòd verbum non eſt ſola vox, ſed vox formata, & articulata. Nam rugitus leonis, mugitus bovis, latratus canis &c. Voces ſunt, ſed non verba, quia carent forma, & articulatione, qua cō-

ſti-

stituuntur in ratione verbi. Nota etiam, quòd sicut nos loquimur verbis, sic Deus loquitur rebus, & factis. Quare P. Augustinus de miráculis Christi dicit, esse mira videntibus, & vera intelligentibus; quia cùm Christus sit Verbum Dei, ejus facta sunt verba Dei, quę quatenus facta, mira sunt; quatenus verba, sunt vera, & doctrinalia.

Expende sic ex mplum Augustinianum. Deus creans mundũ, constantem ex materia & forma, rebus ipsis, uti verbis loquutus est. Sed nos dum loquimur, eod m motu gutturis, & labij producimus materiam, & formam v rborum, quæ formamus; non enim priù mit imus vocem, uam posteà formemus: ergo & Deus simul cre vit m te iam & formam, dum de sua bonitate loquutus est rebus ipl s, quibus se diffudit benignissimus.

4. Jam verò quòd nec fuerit naturaliter posibil at r a t mpo re præceder f rmam, p batur ex S. P. authori a e, & ra ion , ex Epist. 268. ubi ait: *Fieri non potest, ut aliquid sit, & non h c vel illud sit.* Ne autem putaremus S. D. loqui per ordinem ad potentiam absolutam Dei, ostendit ex his quæ videmus, se loqui de potentia ordinaria; unde immediatè subjungit: *Si cernis necesse esse, ut quidquid sit, continuò & hoc, & illud sit.* En non potest fieri, ut aliquid sit naturaliter, & non sit in aliqua specie determinata: sed materia sine forma existens, non esset in aliqua specie determinata; cùm omnis species vel niat à forma: ergo cùm hoc sit naturaliter impossibile, fieri non potest naturaliter, ut materia existat sine forma.

A ratione probatur etiam, quia forma est actus primus materiæ, existentia autem est actus secundus, & ultimus in l nea entis: sed naturaliter non potest recipi actus secundus ante primum: go n c m teria potest naturaliter habere existentiam sine forma. Vide infrà rationes, quibus Thomistæ probant, quòd materia adhuc divinitus nequit existere sine forma; nam saltem suadent id esse naturaliter impossibile. Eis dimissis.

5. Probatur ex Beato Ægidio 1. de Gener. q. 15. sic. Impossibile est naturaliter quòd m teria d pe d t unam formam, quin aliam acquirat; ergo impossibile est naturaliter quòd materia ex stat sine aliqua forma. Probatur antecedés: Nam impossibilis est corruptio naturaliter sine generatione: sed per g n ra ionem a q iritur nova forma, & per corruptionem forma præexistens deperditur: ergo &c. Probatur maj. Materia non potest esse principiũ corruptionis formæ, quá habet, nisi sit principium generationis alterius formæ, quam non habet: ergo. Probatur antecedens. Materia non potest appetere expoliari forma, quam habet, nisi quatenus habet appetere aliam formam: ergo non potest &c. Probatur consequentia, quia materia ra ione appeti us est principium g neronis, & corruptionis sublunarium. Antecedens probatur. Expolia-

ri forma non est bonum materiæ, quia est non ens, & non esse, quod per se non potest appeti, sed solùm ratione alterius, nempe, quatenus non esse hujus formæ conjunctæ ad receptionem alterius: ergo materia non potest appetere expoliari forma, quam habet, nisi &c.

Hæc ratio fundatur in illo solido principio *Bonum est quod omnia appetunt*: cùmque esse sit bonum, & non esse sit malum; omnia creata appetunt esse, & sui conservationem appetitu naturali. Quòd si aliquando miseri appetunt mortem, & quod amplius dolendum est eam sibi sollicitãt exasperati; non ideò appetunt nõ esse, sed teste P. Augustino, appetunt liberari à misera, quam evadere putant moriendo; etsi revera, suo fraudati desiderio, æternam inveniunt infœlicitatem. Sic materia nunquam appetit non esse formæ quam habet, nisi quatenus conducit ad esse formæ, quã non habet: ergo nec est principium corruptionis, nisi quatenus principiũ est generationis. Hinc rectum axioma illud: *Corruptio unius est generatio alterius.*

Confirmatur. Non est dabilis naturaliter corruptio formæ sine agente naturali corrumpente: sed nullum agens potest intendere corruptionem unius formæ, quin per se intendat generationem alterius: ergo non est dabilis in materia corruptio unius formæ sine generatione alterius. Probatur min. ex D. Dionysio 4. de Divin. nomin. dicente: *Nemo respiciens ad malum operatur.* Sed intendere unicè destructionem formæ, est intendere unicè & respicere ad malum: ergo.

Hæc probatio, quæ fundatur in asserto S. Dionysij, ab omnibus recepto, confirmari potest ex eo, quòd omni agentia naturalia participatio Divinæ bonitatis, & efficientis virtutis Dei: sed Deus non permittit malos, nisi propter bonum, teste P. Augustino dicente: *Malus aut ideò vivit, ut corrigatur; aut ideò vivit, ut per ipsum bonus existat*: ergo nec agentia naturalia intendunt malũ per se, sed per accidens, quatenus ordinatur ad bonum. Hinc materia, quæ naturaliter non potest recipere simul duplicem formam, dum unam habet, aliam appetit; fitque ut appetat expoliari ista, quatenus conducit ho[illegible] aliam recipere possit.

6. Contra hoc non urgent motiva sententiæ contrariæ, posita num. 1. Negamus enim cum P. August. suprà allegato, quòd materia nunquam existeret informis [illegible]. Quòd si Sapientiæ 11. dicitur mũdus factus ex materia informi, *Non ideò* sic dicitur, *Quia materia informis formatis rebus tempore prior est, cùm sit utrumque simul concreatum*, sed quia ex creatis forma facta est ex informi materia, quæ solo origine prior fuit.

Ad 1. confirmat. dic quòd ly *prius quam*, non denotat in authoritate P. Augustini prioritatem temporis, sed originis; nam primam negat S.D. & solam secundam concedit: quare ex illa authoritate nõ evincitur quòd ma-

materia extiterit aliquo temporis momento sine forma.

Ad 2. confirm. dic de mente P. August. materiam non esse creatam, sed concreatam, & ob eandem rationem materia non potest dici creata, ac est incapax ut in diebus creationis numeretur. Solùm numerantur creata, quæ speciem habent, ordinem, & perfectionem; eò quòd supremus Artifex omnia fecit *In numero, pondere, & mensura*, idest juxta P. Augustinum *in specie, & ordine*. Sed materia ex se, non est ordo, aut species, sed *informitas sine ulla specie*: ergo ex se non est creata, nec diebus creationis adscripta; sed concreata, & ratione formæ concreatæ numerata inter creaturas. Hinc falsum est quòd creata sit materia ante omne tempus, immò nec in tempore creata est, sed in tempore concreata: quo vides probari non posse existere naturaliter sine forma.

Ad 3. confirm. dic materiam secundùm se esse id, quo inferius nihil est: nec hanc inferioritatem deperdit ex quo simul cum forma facta sit; nam semper materia habet ratione sui informitatem, quantumcumq; per formam formetur. Loquitur ibi P. August. de materia secundùm se; nec indicat solam materiam à Deo factam, sed quòd concreata materia est ratione sui id, quo inferius nihil est.

7. Ad rationes positas num. 2. respondemus ex dictis q. 7. & 8. unde ad primam dicimus, quòd materia ut sit causa materialis, solùm debet præcedere formã prioritate *à quo*, & originis; non autem prioritate *in quo*, & realis causalitatis. Vide q. 7. num. 26. Vel dic quòd materia præcedit formam existendo vialiter, & incompletè juxta dicta q. 7. num. 27. quod sufficit pro causa materiali ad differentiam causæ efficientis. Quòd si pro posteriori negaretur materię forma, hoc fieret miraculosè, & contra exigentiam materiæ: quare non probatur inde quòd materia naturaliter potest existere sine forma; sed quòd divinitus; de quo infrà.

Ad secundam probationem neg. maj. quoad 2. partem. Quia licèt materia ratione sui habeat entitatẽ propriam, non habet existentiam, ut abũdè probatum est q. 7. & 8. ubi satis expendimus fundamenta in contrariũ quæ repones hic cum doctrina pro eis data.

Ad tertiam dic, quòd materia in genere causæ materialis est causa; unde in hoc genere nequit dependere à forma dependentia à priori, ut benè suadet argumentum. Ceterùm in genere causæ formalis materia est effectus formæ: unde in hoc genere materia pendet à priori à forma. Quomodo autem detur mutua causalitas & dependentia à priori in diverso genere causæ materiæ à forma, & formæ à materia, dicetur infrà lib. 2. Interim scias, quòd licèt in eodem genere nõ possint causæ invicem se causare; benè tamen in diverso. Sicut deambulatio est propter salutem, unde est effectus salutis in genere causæ finalis: cũ ta-

tamen salus sit causa efficiés deambulationis.

Nec pendet materia à forma solùm ut habeat esse completum, sed ut existat cum suo esse incompleto. Nã hoc esse incompletum materiæ, quod potentiale, & informe est, existere nõ potest nisi formetu: ergo materia pẽdet à forma sive à priori, sive à posteriori modo explicato, nedum pro esse completo, sed & pro incompleto.

§. II.

Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis, & sententiæ negantis materiam posse divinitus existere sine forma.

8. NEGANT materiam posse divinitus existere sine forma omnes Thomistæ, si excipias Sotum, & Bañez. Et videtur més B. Ægidij in Defensorio D. Thomæ ad 1. par. art. 4. & 27. & ex propria sententia in 1. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 4. ubi docet, materiam habere ideam distinctam à forma, distinctam quidem cognitione, sed non actu distinctam; *Quia non potest per se existere sine forma.* In hoc sensu sequuntur Ægidium plures ex nostris.

Probatur hæc sententia ex D. Thoma, cuius mens videtur satis expressa 1. p. q. 66. art. 1. ubi ait: *Dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens in actu sine actu; quod implicat contradictionem.* Et Quodlib. 3. art. 1. ait: *Quòd aliquid simul sit, & non sit, à Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem implicans; & hujusmodi est materiam esse in actu sine forma.* Et paulò infrà: *Dicere igitur materiam esse in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul.*

In his authoritatibus habét Thomistæ suum assertum, & rationem probativam, quæ formatur sic. Quod implicat contradictionem, nequit fieri à Deo adhuc de potentia absoluta: sed materiam existere sine forma, implicat contradictionem: ergo nec divinitus potest sic existere. Probatur min. Si materia existere sine forma, esset in actu, & non esset in actu. Esset in actu; quia haberet effectum formalé existentiæ, & hic est ponere rem in actu. Non esset in actu, quia esset sine forma, quæ est actus primus materiæ; & ante primum actum nõ datur alius; alioquin non esset primus: sed materiam esse in actu, & non esse in actu, est contradictio: ergo materia existere sine forma, implicat contradictionem.

Confirmatur. In illo eventu materia non haberet existentiam: ergo non esset in actu; cùm aliunde supponatur esse in actu, si existeret. Probatur antecedens. Nam tunc non haberet formam, quæ essentialiter est actus primus materiæ: ergo non haberet existentiam, quæ essentialiter est actus ultimus in linea entis. Patet consequẽtia. Qui implicat actum ultimum cõmunicari, non communicato actu primo; sicut implicat communicari alicui

qui extensiorem in ordine ad locum, quæ est effectus secundarius quantitatis, & non communicari priùs extensionem in ordine ad se, quæ essentialiter est prior. Implicat etiam a cu communicari intellectionem, quæ est actus secundus in linea intellectiva. & non communicari priùs intellectũ, qui in eadem linea est actus primus.

Confirmatur secundò. Implicat rem habere ultimum complementum in aliqua linea, & non habere priùs esse simpliciter in tali linea: sed existentia est ult'mum co plement m in linea entis; forma verò dat esse simpliciter: e go i plicat materiam existere sine forma. Major patet, & inin. est certa x dict's q. 7. & 8. ubi ost'sum est quòd materia si e forma non est ens simpl citer; quare forma at materiæ esse simpliciter tale. Jam verò quòd existentia sit ultimum cõplementum, & ultimus actus de linea essendi, probatur ex D. Thoma q. unica de Anima art. 6. ad 2. ubi diffiniens existentiam, dicit: *Est ultimus actus, qui participabilis est ab omnibus, ipse tamen non participat.* Rursus, nam ille actus, quo posito, nihil deficit enti, ut sit in rerum natura, est actus ultimus; sicut ille in linea intellectiva est actus ultimus, quo posito nihil deficit intelligenti, ut in e ligat. Sed existentia posita, nihil deficit enti, ut existat in rerum natura: e go xistentia est ultimus actus, & ultimum com plementum in linea essendi.

9. Secundò probatur eadem sententia à ratione. Quia intellectus respectu visionis beatæ est pura potentia, implicat ipsum recipere essentiam Divinam per modum speciei impressæ, nisi priùs actuetur l mine gloriæ: ergo qu a materia est pura potent a in esse physico, implicat ipsam recipere existentiam, nisi priùs actuetur forma substantiali. Patet consequetia. Quia sicut per lumen proportionatur intellectus ad u ionem cum essentia Divina, sic per formam proportionatur materia ad receptionem existẽtiæ.

Confirmatur. Actualitas existentiæ supponit essentialiter actum, & actualitatem essentiæ: sed forma est, quæ dat materiæ actualitatẽ essentiæ; cùm materia ex se sit pura potentia, nullum habens actum, ut q. 4. & 5. probatum est: ergo materia sine forma nequit habere existentiam; & sic nequit existere.

Confirmatur 2. Plus dependet materia à forma substantiali, quàm ab accidentali: sed materia nec divinitus potest cõservari sine aliquibus accidentibus, v.g. sine ubicat one, præsentia locali, & r latione ad De um causam primam: ergo nec sine forma substantiali.

Confirmatur 3. Si materia existeret sine forma, daretur effectus formalis formæ sine forma: sed hoc implicat: ergo &c. Probatur maj. Existere est effectus formalis formæ, ut consta ex D. Thoma 1. 2. q. 111. ubi ait: *Cuilibet formæ est duplex effectus, quorum primus est esse, secundus operatio &c.* ergo si materia existeret sine forma, daretur &c.

4. Omne esse substantiale provenit à fo ma: ergo implicat materiã existere intra lineam substantiæ sine forma. Probatur antecedens. Omne

esse

esse accidentale proven it à forma accidentali : ergo omne esse substantiale &c.

5. Deus non potest supplere cõcursum causæ formalis, & materialis; sed reddere materiam existentem est effectus formalis formæ, ut dictum est in confirmatione tertia: ergo Deus nõ potest reddere existentem materiã sine forma.

10. Tertiò probatur hæc sententia à Joanne à S. Thoma. Existentia, quam haberet materia sine forma, vel esset spiritualis, vel esset corporea. Sed nequit esse spiritualis, quia hæc non convenit enti materiali, qualis est materia. Aliunde nequit esse corporea; quia tunc materia sine forma esset actualiter corporea; & hoc implicat, quia materia ex se solùm est corporea in potentia, quatenus est in potentia ad formam, vi cujus habet actualiter gradum corporeitatis : ergo existentia materiæ sine forma, est implicatoria : unde nec divinitus potest ei convenire.

Si dicas existentiam materiæ esse corpoream, quia in materia secundùm se datur gradus incompletus corporeitatis, qui per formam completur. Contra est. Nam materia habens gradum corporeitatis, esset sub genere determinato, nempe sub ratione communi substantiæ corporeæ; & aliunde non esset sub specie determinata, quia careret forma, per quam materia determinatur ad speciem. At hoc est implicatorium, quod à Deo fieri non potest : ergo implicat &c. Minor probatur 1. quia sequeretur quòd genus realiter separaretur à speciebus, & hoc implicat. 2. sequeretur quòd existeret genus immediatè individuatum, & hoc est impossibile. 3. sequeretur quòd aliquid sit, & non hoc vel illud sit: cujus contrariú docetur à P.N. August. allegato hìc n. 4.

11. Quartò probari potest hęc sententia ex B. Ægidio loco laudato Defensorij D. Thomæ sic. Impossibile est unam potẽtiam recipere actum alterius potentiæ: sed existentia per se primò est actus compositi, non autem materiæ: ergo impossibile est materiã sine forma recipere existentiam; & consequenter quòd existat, cùm non possit existere, nisi recipiendo existẽtiam. Major probatur. Cuilibet potẽtiæ activæ, vel passivæ, correspondet proprius actus, taliter ut impossibile sit dare actum unius alteri, remanendo in propria specie; v.g. actus potentiæ auditivę impossibile est conveniat potentiæ visivæ.

Minor autem probatur. Actus proprius materiæ est forma, ut patet ex diffinitione data materiæ, & ex diffinitione communi formæ substantialis : sed existentia non est forma, sed terminus, & perfectio naturæ, & compositi : ergo existentia non est actus materiæ, sed compositi. Min. probatur 1. Quia forma recipit existentiam; una autem forma non recipit aliam. 2. nam existentia nostra est participatio existentiæ Divinæ: sed in Deo datur existentia formaliter, non autem datur formaliter forma, sicut nec materia, sed solùm virtualiter efficiẽter, quatenus datur in Deo virtus effectiva materiæ, & formæ : ergo existentia non est forma. 3. Quia juxta Thomi

mistas & alios, Deus in humanitate Christi supplet existentiam creatam, reddendo humanitatem existentē per existentiam Divinam: sed Deus nequit supplere formam, nec cōcursum causæ formalis: ergo existentia, quam supplet, forma non est.

Confirmatur 1. Quia in linea operandi operatio est actus suppositi, vel compositi, implicat quòd materiæ nudæ communicetur operari: ergo quia in linea essendi existentia est actus compositi, implicat quòd existētia communicetur materiæ, denudatę ab omni form. Pa. co sequentia à paritate, & à ratione desumpta ex dictis q. 7. num. 16.

Confirmatur 2. Materia diffinitur per ordinem ad formam, ut dictū est q. 3. num. 8. Natura, & compositum diffinitur per ordinem ad existentiam: ergo quia existētia est actus compositi, & non materiæ, nisi quatenus cum forma facit compositum. Sed materia sine forma non facit cōpositum adhuc divinitus: ergo nec divinitus potest existere sine forma.

Ex his infert N. Villanova quòd materia ut existat, pendet à forma nedum à posteriori, ut ab effectu, sed à priori, ut à causa formali extrinseca; quia materia ratione formæ redditur capax recipiendi existētiam, cū ex materia & forma fiat unica natura capax existentiæ. In hoc fundatur Palanco hic, ut suadeat, quòd materia sine forma non est capax existentiæ: unde si ita existeret, existeret sine capacitate existendi; quod sanè implicatorium est.

12. Contrariam sententiam tenēt cum Subtili Doct. Scotistæ, Nominales, & alij, quibus accedunt DD. Societatis, & ex Dominicanis celebrioribus Soto, & Bañez, quibus aliqui ex nostris subscribunt. Et cùm in quæstionibus de potentia absoluta, Deo concedi debeat quidquid cōtradictionem non includit, legitima hujus sententiæ probatio est negativa, ostendendo ex solutione argumentorū nullam dari repugnantiam in eo quòd materia existat sine forma. Vltrà probatur à multis positivè.

A Scoto sic. Omne absolutum, habens propriam essentiam, & existēti m, distinctam, & priorem alio absoluto posteriori, potest absolutè esse sine posteriori: sed materia est ens absolutum, habens propriam essentiam & existentiam, distinctam, & priorem quacumque forma: ergo sine implicatione potest existere materia nuda. Hæc ratio in nostris principijs habet minorem falsam, quia quæst. 7. & 8. probatum est ateriam non habere essentiam actualem, nec existentiam p pr m ti sui, sed ratione formæ. Major etiam p aret falsa, quia quantitas habet essentiam, & existentiam distinctam, & priorem quacumque figura: & tamen sine figura non potest existere.

13. Melius alij probant sic. Materia in existendo nō pendet à forma, nisi tanquam à causa formali extrinseca: sed Deus potest supplere causam formalem extrinsecam, ut patet in essentia Divina, unita mentibus Beatorum per modum speciei impressæ, & in alijs exemplis, cuique obvijs: ergo potest Deus supplere concursum

for

formę; ut ſine illa exiſtat materia.

Hęc ratio non urget Thomiſtas; quia cùm duplex ſit cauſa formalis, una informans, alia extrinſecè terminans: dicunt Deum poſſe ſupplere cauſam formalé extrinſecè terminantem, ut in exemplis datis; ſed nó cauſam informantem. Materia autẽ pendet à forma, ut à cauſa informante: quare nequit à Deo ſuppleri dependentia iſta materiæ à forma. Ob id docent quòd lumen gloriæ pro viſione beata nõ poteſt à Deo ſuppleri per extrinſecã aſsiſtentiã, eò quòd lumen actuat, & elevat intellectũ Beati informando illum, & non per modũ terminãdo.

In principijs B. Ægidij plus oſtenditur falſitas rationis hujus. Nam cùm ſubjectum receptivum exiſtentiæ ſit totum compoſitum; materia, & forma ſunt duæ cauſæ partiales materialeꝰ exiſtentiæ, ex quibus unitis ſtat integra cauſa materialis, receptiva exiſtentiæ: ſed Deus non poteſt ſupplere concurſum cauſæ materialis: ergo nec defectum formæ pro exiſtẽtia materiæ. Explicatur in numero binario, qui conſtat ex duabus unitatibus. Harum prima pendet à ſecunda, non ſolùm ut à forma conſtituente numerum binarium, ſed etiam ut à cõparte, & concauſa materiali, receptiva exiſtentiæ binarij: ergo ſicut implicat Deum communicare primæ unitati ſine ſecunda eſſentiam binarij; ſic & cõmunicare exiſtentiam primæ ſine ſecũda. Quare nedum ratio eſt inefficax, verùm ex ſolutione probatur materiã non poſſe exiſtere ſine forma.

14. Tertiò probant alij ſic. Magis dependet accidens à ſubjecto, quàm materia à forma: ſed in Euchariſtia exiſtunt divinitus accidentia ſine ſubjecto: ergo poteſt materia exiſtere ſine forma. Et confirm. Sicut exiſtentia juxta Thomiſtas ſupponit eſſe ſimpliciter ſubſtantiale, cujus eſt terminus, & complementum; ſic etiam eſſe accidentale ſupponit eſſe ſubſtantiale, cujus eſt perfectio in linea eſſendi accidentaliter, & complementũ in linea operandi: & tale in Euchariſtia datur eſſe accidentale ſine ſubſtantiali; quia de fide eſt ibi non eſſe ſubſtantiam panis, cùm tamen ſint ibi panis accidentia: ergo poterit materia dari ſine exiſtentiæ ſin eſſe ſimpliciter orto à forma.

Hoc argumentũ non urget Thomiſtas, apud quos falſa eſt major; nã docent dependentiam materiæ à forma eſſe eſſentialem; dependentiã autem accidentis à ſubjecto eſſe ſolùm connaturalem: quare iſtam poteſt Deus abſolutè invertere, ſecùs primã, niſi deſtruat eſſentiam materię, quod implicat. Secundò reſpondẽt negando conſequentiam, & dando diſparitatẽ, quia accidentia ſunt formæ, & actus accidentales de linea entis: & ſic ſatis proportionantur, ut recipiant exiſtentiam divinitus ratione ſui. At materia eſt pura, potentia nullum includens actum, ideòque impotens ſine forma recipere exiſtentiam. Ex his cõfirmatio diſſolvitur, quia ly *ſicut* poſitum in major, tenet de ſuppoſitione connaturali, ſed non de eſſentiali: nam exiſtentia apud Thomiſtas ſupponit eſſentialiter eſſe ſimpliciter, accidentia verò ſolùm connaturaliter ſupponunt eſſe ſubſtantiale.

§. III.

§. III.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

15. NOstra sententia est conformis DD. allegatis num. 12. licèt aliter probanda, & explicanda à nobis. Cum eis defendimus materiam posse divinitus existere sine forma. Movemur sic tenere, quia juxta B. Ægidium Quodlib. 4. q. 1. §. *Satisfacto*. Cùm de potentia Dei quæritur, semper dicendum est quòd Deus plus potest, quàm nos possimus ostendere; & nisi manifestè appareat contradictio, sustinere debemus quòd Deus possit. Quæ verba desumpsit D. N. ex P. August. tom. 2. Epist. 3. ubi ait: *Hìc si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus voluntas facti est potentia facientis.*

In præsenti nulla apparet contradictio sic evidēs, ut non possit dissolvi: nec est difficile investigare quomodo materia sine implicatione potest se sola divinitus existere; imò licèt non possemus id ostendere, debemus teste P. N. dare Deum id posse, dummodo ex asserto nostro non sequatur implicatio. Accedit, quòd D. N. Ægidius nullibi ex propria mente defendit hoc esse implicatorium, ut Villanova noster ostendit in præsenti disp. 4. dub. 8. cap. 3. Præterquam quòd pro nostra sententia stare Div. Thomam, & B. Ægidium patebit, statim ac sensum assertionis nostræ exponamus.

16. Pro qua supponimus 1. quòd forma actuans materiam, & dans illi esse simpliciter substantiale, habet diversos gradus. Est doctrina expressa N. B. Ægidij in egregio tractatu de Gradibus Formarum, ubi tenet doctrinam etiam D. Thomæ q. unica de Anima art. 9. Traditur etiam à B. Æg. in 2. Sent. dist. 3. q. 1. art. 3. Audi D. Thomam 3. contra Gentes cap. 22. §. *Considerandum tamen*, ubi ait: *In rebus autem formæ gradus quidam inveniuntur: nam materia prima est in potentia primùm ad formam elementi: sub forma verò elementi existens, est in potentia ad formam mixti; propter quod elementa sunt materia mixti. Sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilem; nam talis corporis anima est actus. Itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam: sensitiva verò ad intellectivā: quod processus generationis ostendit. Primò enim in generatione est fœtus vivens vita plantæ; postmodum verò vita animalis, demum verò vita hominis.*

Eandem doctrinam tenet S. D. 1. p. q. 76. art. 3. ubi docet, unicam formam, nempe animam rationalis perficere materiam secundùm varios gradus nempe *entis in actu, corporis, viventis, animalis, & rationalis*. Et explicans, quomodo dispositiones materiæ proveniunt à forma, dicit, quòd materia simplex sine ulla dispositione recipit formam sub universalissimo

mo gradu entis, quia ad formam sic materia est ex se propo t'ona a. Audi S.D. 3. contra Gent. cap. 97. §. *Sic igitur.* ubi ait: *Si autem proportionata oportet ea esse, necesse est quòd diversis formis diversæ materiæ respondeant: unde fit, ut quædam formæ requirant materiam simplicem* (hoc est non dispositam) *quædam verò materiam compositam*, intellige dispositam per accidentia, quæ cum materia faciùt compositionem.

A forma dante materiæ gradum e tis, oriuntur accidentia, quæ dispo nun materiam ad suscipiendum gradum corporis: & à forma dante materiæ gradum corp ris, iuntu a ci- dentia, quæ dispoiunt m teri m ad gradum viventis; & sic de alijs usque ad ultimum gradum rationalis. Audi S.D. loco laudato 1. p. ad 1. *Dicendũ, quòd sicut ex prædictis patet, forma perfectior virtu e c ntinet q dquid est inferiorum formarum; & ideò una, & eadem existens perficit materiam secundùm diversos perfect:onis gradus. Una enim, & eadem forma est per essentiam per quam homo est ens actu, per quam est corpus, per quam est vivens, per quã est animal, & per quam est homo. Manifestum est autem, quòd unumquodque genus consequuntur propria accidentia; sicut ergo materia præintelligitur perfecta secundùm esse ante intellectum corporeitatis; & sic de alijs; ita præintelliguntur accidentia, quæ sunt propria entis, ante corporeitatem: & sic præintelliguntur dispositiones in materia ante formam; non quantum ad omnem ejus effectum, sed quantum ad posteriorem.*

17. Supponimus 2. quòd in existentia formæ, vel compositi si t etiam grad s, ita ut existentia, quæ est c m lementum entis, primò det actualitatem de linea ent s universalissima; secundò actua tat m de linea corporis; tertiò actualitatem de linea viventis &c. Ita docetur à PP. Complutensibus disp. 2. de Gener. q. 8. §. 5. num. 119. Probatur ex dictis. 1. Quia D. Thomas admittit accidentia inter gradũ entis, præstitum materiæ à forma, & gradum corporis, ad quem accidentia dispo unt: sed accidentia supponunt in materia existentiam, qu prius e t e simplic- ter substantiale, quàm secundùm quid & accidentale. Ergo ante gradum corporeitatis datur in materia forma sub gradu entis, & existenti pr pri il- lius gradus. At existentia conveniens materiæ habenti solum gradum entis, est existentia sub solo gradu entis; alioquin daretur existentia sub gradu corporis, viventis &c. ante formam sub his gr di us, quod esset dare actũ ultimum ante primum, quod implica: ergo si ut in ent distinguuntur varij gradus magis, & minus universales, distinguendi sunt in existentia, quæ est complementum entis.

Secundò: Nam j x a D. Thomã allegatum suprà num. 8 in fine, existentia est ultimum complementum in linea entis: sed linea enti, ut ostensum est, habet gradus: ergo & existentia complens. Patet consequétia. 1. quia complem ntum & res complebilis debent roportionari; nec possent, nisi utrumque haberet gradus.

Tum

Tum, quia si forma sub gradu entis universalissimo haberet existentiam propriam gradus iventis, non posset forma sub gradu entis esse in potentia ad formam sub gradu vitæ; cujus contrarium docet D. Thomas in prima authoritate. Tota hæc doctrina est etiam N.B. Ægidij locis laudatis, ut observat N. Villanova loco citato.

18. Ex his duobus suppositis, quæ à nullo Thomista, aut Ægidiano negari possunt rationabiliter; infero tot gradus esse in existentia, quot sunt in ente & forma. Quare sicut in forma datur gradus entis analogus, communis omni enti, & divisibilis in actum, & potentiam; datur secundò gradus entis actualis, & simpliciter: tertiò gradus entis corporei, elementaris, mixti, viventis &c. Sic in existentia, quæ est complementum entis, datur conceptus analogus existentiæ communis enti in tota latitudine; secundò conceptus existentiæ complentis ens simpliciter; & sic de alijs gradibus. Ex hujus sequelæ probatione pendet sententia nostra in præsenti, quare prolixè suadenda est illatio nostra.

Probatur 1. Quia ens secundùm omnes gradus est complebile per existentiam: sed in ente datur gradus universalissimus communis enti actuali, & potentiali; & hic est gradus diversus à gradu inferiori entis actualis: ergo pro illo universalissimo debet dari in existentia conceptus universalissimus complementi, distinctus à gradu complementi entis actualis. Patet consequentia. 1. Quia alioquin non proportionarentur gradus entis complebilis cum complemento entis. 2. Quia sicut reliqui gradus sic adaptantur suis complementis, ut gradus corporis non possit compleri per existentiam sub gradu viventis, & sic de alijs; ita de primo gradu entis universalissimo. 3. Quia gradus universalissimus entis, & gradus entis actualis, constituuntur per ordinem ad existentiam; & ideò uterque gradus est entis nominalis, dicentis ordinem ad existentiam: sed non possunt gradus illi distingui, si dicerent ordinem ad eundem gradum existentiæ: ergo si gradus entis sunt distincti; pari er & gradus complementi utriusque.

Confirmatur. Forma secundùm omnes suos gradus est proximè capax existendi: sed in forma datur gradus universalissimus entis, & gradus entis actualis; cùm primus conveniat analogicè cum materia, à qua differt per secundum: ergo gradus universalissimus entis, qui datur in forma, est proximè capax existendi. Minor cum consequentia tenet, & major patet, quia sola materia, & ens potentiale, est mediatè, aut remotè potens existere; forma autem secundùm nullum gradum est materia, aut ens potentiale.

Nunc sic. Sed forma secundùm gradum universalissimum, non est proximè capax existere per complementum entis actualis, ut talis, nisi per complementum universalissimum: ergo sicut in ente datur gradus universalissimus, sic debet in existentia dari gradus complementi universalissimus.

Probatur minor ſubſumpta. Complementum entis actualis ſolùm correſpondet enti actuali, ut tali, in eo que tantùm eſt capacitas proxima talis complementi. Ob id materia ſecundùm ſe non eſt proximè capax exiſtentiæ juxta Thomiſtas, & noſtros, quia exiſtentia ſupponit ens ſimpliciter, & materia ſecundùm ſ non eſt ens ſimpliciter: atqui gradus entis univerſaliſsimus, repertus in forma, non eſt gradus entis actualis: ergo gradus entis univerſaliſsimus non eſt proximè capax exiſtentiæ, & complementi entis actualis, ut talis.

Confirmatur 2. Non eſt contra c nceptum exiſtentiæ, gradus c ntrahibilis per corpoream, & incorporeã, rurſus contrahibilis er vive em, & n n viventem &c. quapropter ſicut gradus enti eſce unt ab ente ſimplicit r; uſque ad infimam differentiam ſpecificam rationalis; ita exiſtẽtia, ut proba m eſt num. 17. Ergo on eſt ontra eptum xiſt n iæ, gradus univerſali imu contrahib l ſicut gradus entis per actum, & potentiam Probat r conſequ nt a. Quia quod repugnat complemento, repugnat rei comple a per illud. Id ò nim Humanitati Chriſti D. repugnat peccatum, & potentia peccandi, quia completur per ſubſiſtẽtiam Verbi Divini, & huic complemento illa repugnant: ergo ſi exiſtentiæ complenti ens, ut ens, repugnaret gradus diviſibilis alog c i actu, & pot tiam; repugnaret e iam en i gradus univerſaliſsimus, ſic diviſibilis.

19. Confirmatur tertiò: Quia conceptus entis, eſt diviſibilis in ſubſtantiam, & accidens, ideò conceptus exi entiæ eſt d viſibilis in ſubſtantialem, & accidentalem: ergo quia ens eſt in ſua latitudine diviſibile in actũ, & potentiam; exiſtentia erit ſic diviſibilis ſub eodem gradu, & latitudine. Nunc ſic. Sed quoniam exiſtentia eſt primo modo diviſibilis, datur gradus, & conceptus exiſtentiæ communis enti, ut præſcindit à ſubſtantia, & accidenti: ergo data diviſibilitate ſecunda, debet concedi conceptus xiſtentiæ, & gradus communis enti in tota latitudine ad actum, & potentiam.

In hac doctrina fundatur ſententia B. Ægidij docentis, quòd accide tia com oſiti exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ, & on per propriam. Quia videlicet exiſtentia ſubſtantiæ habet gradus, pen s primum eſt exiſt ntia entis; p es ſecund m ſt x ſten ia entis ver ſe, aut ſubſtan iæ: at accidentia, quæ ſunt ens *in alio*, non ſunt capacia exiſtentiæ per ſe, bene verò exiſtentiæ, ut ſic: ergo exiſtunt per exiſtentiam ſubſtantiæ ſecundùm primum gradum, licèt non penes ſecundum.

20. Dices: Ex his probationibus ſequitur, quòd ſicut datur ens potentiale, quod eſt membrum diviſivum entis univerſaliſsimi; ſic dabitur exiſtentia potentialis, diviſiva exiſtentiæ ut ſic, completivæ entis univerſaliſsimi. At repugna exiſtentia potentialis: ergo repugnat doctrina data. Probatur minor 1. Quia quæſt. 8. num. 13. negavimus exiſtentiam po-

potentialem: quare solùm inconsequéter possumus illam admittere hic. 2. Quia cùm existentia sit actus, & ultimus actus, dicere existentiam potentialem, est dicere actum potentialem, quod est implicare in adjecto. 3. Quia ponere existentiam potẽtialem, est ponere existentiam receptivam ulterioris actus, quod est contra essentiam existentiæ diffinitam à D. Thotiam existentiæ diffinitam à D. Thoma q. unica de Anima art. 6. ad 2. cujus verba data sunt num. 8. in fine.

Hæc replica non est specialis contra nos, sed contra Doctrinam D. Thomæ datã num. 17. & contra Complutenses, & alios discipulos D. Thomæ illam sequentes. Nam gradus corporis v.g. est contrahibilis, & in potentia ad gradum viventis, ut ibi dictũ est: ergo gradus existentiæ proprius entis corporei, erit contrahibilis, & in potentia ad gradum existentiæ viventis. Ergo dum admittis gradum primũ existentiæ, admittis existentiam potentialem, quam a iunde negas cum D. Thoma, ubi supra q. 7. en premeris eodem argumento.

Respondent Complutenses ubi suprà per hæc verba. Ad probationem in contrarium dicendum est, ex hoc quòd existentia Petri v. g. sit ultima actualitas, solùm colligi, illam, ut facit existere Petrum, quatenus talem, esse ultimum quod intelligitur advenire in tota linea substantiæ: & eandem, ut constituentem gradum corporis in ratione existentis, non actuari, aut determinari per gradum mixti, sed semp r remanere in ratione ultimæ actualitatis, q at nus semper est ultima in quovis gradu, & ita actuat, ut ulteriùs non actuetur per aliquid à se distinctum. Ita PP. isti laudati, & allegati supra num. 17.

21. Cum eis respondemus ad replicam, quòd nos q. 8. cum Thomistis impugnavimus existentiam potentialem distinctam realiter ab existentia reali actuali formæ, ob rationes ibi datas. Hic non admittimus existentiam potentialem istam, sed existentiam formæ, & compositi, quæ habet gradum existentiæ potentialis, sed identificatum cum gradu existentiæ actualis. Quare non ponimus existentiam potentialem ad existendum per existentiam realiter distinctam; sed existentiam cum gradu potentiali ad alium gradum, secum identificatum. Hinc patet ad replicam, cujus minor est falsa sub distinctione data. Patet etiam ad primam probationem minoris.

Ad secundam dic, quòd existentia in eo gradu, quo est existentia, est ultimus actus. Quare dum in gradu universalissimo ponimus existentiam contrahibilem, & potentialem, in eo non est complebilis, aut determinabilis per alium actum. Est ergo determinabilis ille gradus universalissimus per gradum inferiorem: ceterùm in hoc gradu inferiori, & in hac inferiori linea gradus universalissimus non est ultimus actus, sed primus. Vnde non ponimus actum potentialem in eadem linea, sed in diversis, nempe actum lineæ universalissimæ, potentialem in linea inferiori minus universali, & hoc non implicat, ut dictũ est.

Ad

Ad 3. dic. quòd gradus universalissimus existentiæ non est receptivus ulterioris actus; nam receptio petit distinctionem realem recipientis à receptibili; gradus autem existentiæ non sunt existentiæ realiter distinctæ, sed sunt gradus identificati ejusdem existentiæ. Sicut gradus corporis non est receptivus formæ sub gradu viventis, sed logicè contrahibilis per illum. Quæ contra istam, & præcedentem doctrinam objicit Suarius disp. 14. Metaphysicæ sect. 3. num. 29. solvuntur à Complutensibus loco citato, & à nobis infrà solventur in qt æstione de dispositionibus ad formam, an sint effectus formæ, & recipiantur in composito, an non?

Aliter poteris respondere replicæ factæ, dicendo, nos cum Thomistis impugnasse existentiam potentialem realiter; nunc autem admittimus existentiam potentialé gradualiter; idest existentiam, quæ licèt realiter sit existentia actualis, habet gradus diversos, & unus illorum potentialis est. Sicut ergo forma substantialis apud omnes est ens actuale, & simpliciter; & tamen admissis gradibus juxta dicta num. 16. unus illorum est ratio entis universalissima, & communis potentiæ, & actui, vi cujus forma convenit cum materia in ratione entis. Sic in existentia formæ, quæ apud nos etiam est existentia actualis & simpliciter, dantur gradus, quorum unus cõplet rationem entis universalissimam. Ergo sicut forma realiter est ens actuale, sed gradualiter, vi dicti gradus est quid potentiale logicè, aut præcisivè; sic existentia omnis est realiter existentia actualis, sed gradualiter modo dicto potentialis. Nec in hoc ulla apparet difficultas.

22. His notatis, triplici conclusione nostram sententiam proponimus. Prima est: *Potest materia sine ulla forma existere divinitus per existentiam formæ.* Dicimus per existentiã formæ, quia juxta dicta in qq. 7. & 8. nullam existentiam agnoscimus propriam materiæ, sed formę, aut compositi. Probatur conclusio ista 1. ex P. Augustino, qui licèt lib. 1. de Gen. ad litt. usque ad caput 17. totus sit in suadendo materiam non fuisse creatam ante formam, sed concreatam; nunquam ibi designat aliquam rationem, vi cujus nõ potuerit à Deo creari sola materia: ergo quia nullam agnovit, ut hoc divinitus repugnet. Ne autem solo argumento negativo teneamus sententiam nostram de mente P. Augustini, en positivè probatur. Primò ex Epist. 268. quæ est ad Nebridium, ubi ait: *Fieri non potest, ut aliquid sit, & non hoc vel illud sit*; materia autem existens sine forma esset, & non esset hoc, vel illud, quia non esset hujus, vel illius speciei juxta dicta ex P. August. quæst. 5. Ceterùm, ut nosceremus S. Doctorem loqui de potentia ordinata Dei, non de absoluta, verbis datis subjungit statim: *Sic cernis, necesse esse ut quidquid sit, cõtinuò hoc, vel illud sit.* En loquitur de his quæ videmus, & fiunt in hoc ordine naturæ, apud quem fieri non potest ut aliquid sit, & non sit in aliqua specie determinata: at de possibili nil

pro-

probatur, nec probari potest ex his, quæ videmus.

2. ex lib. 1. de Gen. ad litt. c. 15. cujus verba dedimus in hac q. num. 3. ubi S.P. probat Deum simul produxisse materiam & formam, sicut nos loquentes simul emittimus vocem, quam formamus. At nos possumus solam vocem emittere sine forma verbi: ergo & Deus absolutè potest solam materiam creare sine substantiali forma.

23. Probatur 2. conclusio ista authoritate simul & ratione desumpta ex BB. Doctoribus Thoma, & Ægidio locis hic datis à num. 16. Vt materia existat sine forma per existentiam formæ, sufficit quòd sine forma possit existentiam formæ recipere: sed materia potest sine forma recipere divinitus existentiam formæ: ergo potest existere divinitus sine forma per existentiam formæ. Major patet primò, quia tota repugnantia existendi materiam sine forma, est quia non potest recipere existentiam formæ sine forma, ut patet ex dictis num. 8. & 9. Rursus, existentia recepta in materia, aliquem effectum daret; & certè non alium, quàm reddere existentem: ergo ut materia sine forma existat, satis est, quòd sic recipiat existentiam.

Minor probatur. Vt materia sola possit recipere existentiam formæ divinitus, sufficit quòd detur in tali existentia aliquis gradus, vel conceptus, cui sit proportionata materia denudata à forma: sed in existentia formæ datur talis conceptus: ergo materia nuda potest divinitus recipere existentiam formæ. Major patet ex dictis num. 18. & 19. Minor probatur, quia in existentia formæ datur conceptus universalissimus existentiæ, & complementi, correspondens enti universalissimo in tota latitudine: sed hic conceptus proportionatur materiæ nudæ & sine ulla forma: ergo datur in existentia formæ conceptus &c. Major patet ex doctrina num. 18. & cum ea sit Corollarium num. 16. & 17. ubi continetur expressa doctrina D. Thomæ, & B. Ægidij, habemus ex utroque Beato Doct. veritatem hujus propositionis. Minor est patens. Quia materia nuda & sine forma, licèt non sit ens actuale & simpliciter, est tamen ens in tota latitudine, & in tali ratione entis convenit analogicè cum forma:

Iam verò quòd iste detur, probatur. In existentia formæ datur conceptus universalissimus existentiæ, & complementi, correspondens enti universalissimo in tota latitudine: sed hic conceptus proportionatur materiæ nudæ & sine ulla forma: ergo datur in existentia formæ conceptus &c. Major patet ex doctrina num. 18. & cum ea sit Corollarium num. 16. & 17. ubi continetur expressa doctrina D. Thomæ, & B. Ægidij, habemus ex utroque Beato Doct. veritatem hujus propositionis. Minor est patens. Quia materia nuda & sine forma, licèt non sit ens actuale & simpliciter, est tamen ens in tota latitudine, & in tali ratione entis convenit analogicè cum forma:

forma: sed enti in tota latitudine proportionatur conceptus existentię universalissimus, correspondens enti universalissimo, ut patet : ergo.

Confirmatur. Licèt de facto juxta Beatum Ægidium Quodlib. 2. q. 2. & alibi, accidentia in composito substantiali existant per existentiam substantiæ ; D. Thomas tenens oppositū, & dans accidentibus propriam existētiam, non negat quòd divinitus possūt existere per existentiam substantiæ; maximè cum hoc conducat pro explicanda sententia D. Thomæ docentis Humanitatem Christi existere per existentiam Verbi Divini : sed existentia substantię non potest recipi in accidentibus, sed eis repugnat secundùm conceptum existentiæ *per se* ; illis verò proportionatur secundùm conceptū communem existentiæ ut sic, communis substantiæ, & accidenti : ergo licèt existentia formæ secundùm conceptum existentiæ actualis, & simpliciter, repugnet materiæ nudę ; si tamē illi proportionatur secundùm conceptum communem existentiæ, ut sic, communis omni enti ; poterit per illam existere divinitus materia nuda, & sine forma. Consequentia tenet: major est certa, & minor pendet à conditionali, quæ probata est fundamento nostro.

24. Secunda conclusio. *Materia sine forma nec divinitus potest existere per existentiam formæ, ut formæ.* Ly ut formæ, reduplicat in existētia gradum existentiæ simpliciter, ut complemētum est entis actualis. Quare sensus est, quòd materia non potest recipere sine forma complementum formæ specificum. Hæc conclusio probatur fundamentis Thomisticis, datis num. 8. & 9. & breviter, Quia existētia formæ, ut formæ, est existentia simpliciter complens ens actuale, ut actuale : sed materia sine forma non est ens actuale : ergo sine forma nequit existere per existentiam formæ, ut formæ. In hoc sensu intellige D. Thomam allegatum num. 8. Quia si materia hoc modo existeret sine forma, esset ens in actu sine actu ; nam cùm compleretur complemento entis simpliciter actualis, esset ens actuale, alioquin non ita compleretur : & non esset ens actuale, quia sine forma solùm est ens potentiale, ut quæst. 4. & 5. dictum est.

25. Tertia conclusio. Exercitij gratia defendi potest, quòd materia sine forma potest divinitus existere per existentiam formę, ut formæ, Hæc conclusio non est ita vera, sicut duę præcedentes, sed probabiliter defendi potest. Eam probamus primò ex B. Ægidio lib. de Esse, & Essentia q. 12. ad 6. ubi ait : *Deus non alligavit virtutem suam naturalibus effectibus. Potest enim accidenti communicare esse sui generis, & communicare, & facere per se esse, sicut & substantia per se existit.* Vbi nota, quòd Ægidius non dicit quòd potest Deus communicare accidenti existentiam substantiæ, sub conceptu existentiæ ut sic: nam de facto juxta Ægidium num. 23. laudatum, sic existunt naturaliter accidentia in composito. Sed dicit, quòd divinitus potest communicari accidenti existentia

existentia substantiæ sub conceptu perfectatis, ut miraculosè contingit accidentibus Eucharisticis, quæ existunt per se, & sine dependentia à subjecto inhæsionis.

En argumentum. Magis improportionatur accidens cum existentia substantiæ sub conceptu existentiæ per se, quàm materia cum existentia formæ sub conceptu existentiæ actualis, & complementi entis simpliciter: sed quia Deus non alligavit virtutem suam effectibus naturalibus, potest divinitus concedere accidentibus existentiam substantiæ sub conceptu existentiæ per se: ergo ob id poterit concedere materiæ nudæ existentiam formæ, ut formæ, sub conceptu complementi entis simpliciter. Minor est N. B. Ægidij. Major multis probatur. 1. Quia materia nuda licèt non sit ens simpliciter, potest fieri per formam actuantem, ens simpliciter; accidens autem nec ex se est ens substantiale, nec per aliud potest fieri ens substantiale. 2. Licèt cum existentia ut sic, proportionetur quæcumque actualitas essentiæ, at cum existentia substantiali ut tali, solùm proportionatur actualitas essentiæ, & entis substantialis: sed accidens non habet ex se, nec potest habere per aliud actualitatem entis substantialis; materia autem potest per formam esse ens substantiale actuale: ergo accidens magis improportionatur.

Hinc evertitur communis disparitas inter materiam, & accidentia Eucharistica, petita ex eo quòd accidens sine subjecto est forma, & actus,

secùs materia. Evertitur: nam licèt accidens sit actus, non est substantialis actus, sed accidentalis: sed pro existentia substantiali ut tali, quæ est actus secundus in linea substantiæ, nil valet actus primus in linea accidentis: ergo si accidens potest in Eucharistia existere per existentiã substantialem ut talem; melius materia sine forma. Præterquamquòd si pro existentia substantiali formæ, & compositi, sufficit actualitas accidentis: ergo si in materia nuda ponat Deus quantitatem, aut aliud accidens, ut potest, tunc materia existet divinitus sine ulla substantiali forma; & sic caret conclusio nostra.

26. Secundò probatur conclusio argumento nostri Villanovani, qui probabiliter nobiscum defendit idem. Probat sic: Quidquid materia recipit mediante forma naturaliter, potest divinitus se sola recipere: sed materia naturaliter recipit existentiam mediante forma: ergo potest divinitus sine forma recipere existentiam, & consequèter sine forma existere. Consequentia est bona: minor certa, & major probatur. Quidquid potest causa prima cum secunda naturaliter, potest facere se sola: sed materia est causa prima in genere causæ materialis; forma autem est causa secunda receptiva, & materialis existentiæ, & accidentium: ergo &c. Major est certatum exemplo Dei, qui est causa prima in genere efficientis, & ideò quidquid efficit in isto genere media causa efficienti creata, potest facere se solo. Tu ratione, qui causa prima in quocum-

que genere habet virtutem causandi in genere independentem ab alio ejusdem generis; unde in eo genere potest exercere se sola virtutem ; alioquin nec in eo genere esset prima, nec independens.

Minor autem probatur. Tum quia forma in genere causæ formalis est causa prima : ergo & materia est prima in genere causę materialis. Tũ ex diffinitione materiæ , qua dicitur materia *Primum subjectum ex quo aliquid fit cùm insit &c.* idem est esse primum subjectum receptivum, ac prima causa materialis. Tum tandem, quia Deus solùm est causa prima in genere causæ efficientis, finalis, & exemplaris, quę dicunt perfectionem sine imperfectione ; genus autem causæ materialis, & causæ formalis dicunt receptionem, & informationem, quæ imperfectiones sunt : ergo in his generibus forma est prima causa formalis, materia prima causa materialis.

Confirmatur. Sicut Deus prima causa effectiva habet virtutem effectivam infinitam ad efficiendum omne factibile; it materia prima causa materialis habet virtutem receptivam infinitam ad omnem formam receptibilem : sed existentia est forma receptibilis, aut actus, qui potest recipi : ergo materia ex se potest recipere existentiam. Negatur. Forma non dat materiæ potentialitatem receptivam , sed actualitatem : ergo cùm materia recipiat existentiam per suam potentialitatem receptivam , forma non dat materiæ potentiam ut recipiat existentiam ; potuit ergo divinitus recipere sine forma actualitatem existentiæ.

27. Audivimus Thomistam non obscurum, ut solveret argumentũ, negare materiam esse primam causam materialem. Hæc solutio videtur effugium, & præoccupata est probationibus minoris argumenti Villanovani.

Melius forsan respondebis argumentum probare nullam esse repugnantiam ex parte materiæ, ut potentiæ receptivæ : ceterùm aliunde repugnat hoc ex parte formæ ; quia nempe existentia est actus secundus, essentialiter dependens à forma substantiali, quæ est actus primus essentialiter præsuppositus. Quare quidquid sit de potentialitate materiæ ; existentia tamen recipi non potest ut actus secundus, quin præsupponat formam , quæ est actus primus essentialiter.

Et quidem eodem argumento potest probari quòd materia potest recipere extensionem localem sine extensione in ordine ad se; cùm sit causa prima materialis , quæ naturaliter recipit extensionem localem media extensione in ordine ad se. Et ne sistamus in duplici effectu formali primario, & secundario ejusdem formæ, ecce aliam instantiam: Materia media quantitate recipit ubicationem circumscriptivam : ergo divinitus poterit ubi ari sine quanti a ? Mala consequentia. Quia implicatorium est esse in loco sine quantitate.

28. Hæc solutio verosimilior est : sed exercitij causa illam impugnamus sic. Ergo saltem Villanova probat, quòd ex parte materiæ non

non repugnat recipere existentiam sine forma. Nunc sic: sed si non datur repugnantia ex parte materiæ, nec datur etiam ex parte existentiæ: ergo ex nullo capite repugnat materiam nudam recipere existentiam, & existere. Probatur hæc minor. Implicat quòd potentia proportioretur actui, quin actus sit proportionatus potentiæ: sed ad repugnans non datur proportio: ergo si non datur repugnantia ex parte materiæ &c. Probatur major. Proportio est relatio mutua, & habitudo potentiæ ad actum, & actus ad potentiam: ergo implicat &c. Rursus. Implicat potentia receptiva in materia ad actum sibi improportionatum, & repugnan...: ergo si materia juxta argumentum habet sine forma potentiam receptivam existentiæ; existentia non est improportionata, nec repugnans materiæ nudæ, aut sine ulla forma.

Nec instantiæ infirmant argumentum, quia extensio localis est effectus secundarius, qui essentialiter supponi primarium. Circunscriptio loc ad locatũ essentialiter supponit quantitatem mollis, localiter extendentem. In his ergo essentialiter habentibus ordinem prioris, posteriris, equit causa prima materialis unu recipere sine alio. Sicut nec Deus causa prima efficiens, potest essenti s rerum inverter, & talia efficere, sicut nec actũ vitalem sub ratione vitalis se solo producere, quia u vitalis pe it essentialiter orir à principio vitali creato: ergo nisi probetur à contrarijs quòd existẽtia essentialiter præsupponit formam,

quod difficile probabitur, argumentum Villanovani nec instatur, nec solvitur.

29. Contra istum fundamentum tria opponit, & solvit Villanova. Primò, quia illo probatur posse materiam recipere operationem, & agere se sola, nam media forma recipit naturaliter operationem, & est operans: ergo sine forma poterit operationem recipere, & agere. Ho implicat quia materia est principium purè passivũ, & huic repugnat agere. Secundò. Poterit materia sine forma, & sine existentia recipere operation..., quadijs illis recipit naturaliter: ergo materia non existẽs, poterit operari, quod implicatorium est. Tertiò. Poterit materia sine anima rationali recipere intellectum, & voluntatem, quas recipit naturaliter media anima: ergo materia sine anima rationali potentit intelligere, & vellè, quòd est ridiculum.

Non urgent ista, & alia his similia; tum quia intellectus, & voluntas essentialiter supponunt animam, suum principium radicale; operatio supponit essentialiter existẽtiam, quia essentialiter prius est esse, quàm operari: unde instantiæ sunt de his, quæ essent aliter habent ordinem prioris, & posterioris; argumentum Villanovæ nõ probat de his, sed de ea, & existentia, quæ solùm habet ordinem connaturalem prioris, & posterioris.

Tum & præcipuè, quia fundamẽtum Villanovæ probat de causa prima in eo solùm genere, quo est causa prima. Sed licèt materiæ, ut existat, sufficiat recipere existentiam, quod est exercitium causæ materialis, in quo

materia est prima: at ut sit operans, non sufficit recipere operationem, sed ultra requiritur influxus causæ efficiéti. Patet in lapide, ubi si Deus ponat intellectionem, non erit vivens, nec intelligens, nec operans; ideò quia ad hoc non sufficit recipere, & pati, sed requiritur agere, & influere. Cùm ergo hoc secundum sit de genere efficiétis, in quo materia non est prima, sed inter secundas causas infima, & per formam: ideò nonnenen sequelæ omnes, quæ pro instantia adducuntur.

§. IIIJ.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

30. FVndamenta posita num. 8. pro sententia Thomistica, suadent secundam assertionem nostram, quę habetur num. 24. nec infirmant primam assertionem positam num. 22. Quatenus autem contra eam adduci possunt, respondemus, & ad primum ex B. Ægidio dicimus, quòd in Defensorio locutus est de mente D. Thomæ, quam infrà expendemus. Ad aliud de idea materiæ primæ, dicimus quòd de mente B. Ægidij nec materia, nec forma habent in Deo ideam propriam, sed solum compositum. Ratio est, quia idea solùm est eorum factibilium: sed juxta Beatum Ægidium, solum compositum fit per se; non autem partes, nisi ratione compositi: ergo nec materia, nec forma habent ideam propriam, sed ideam compositi quod resultat ex materia & forma. Hæc doctrina intelligi debet de ideis deservientibus Artifici supremo, operanti juxta ordinem naturalem, juxta quem materia non existit sola, sed in composito, & per formam: quare nec sola habet ideam propriam, sed compositi, ut dicitur de existentia naturali materiæ.

Quia tamen Deus aliquando operatur præter rerum ordinem sua potentia absoluta, & tunc etiam agit artificiosè juxta exemplar, quod habet in mente, & hoc est idea rei factibilis; ideò pro hoc habet ideas speciales, quas loco laudato non negat B. Ægidius, qui solùm loquitur de ideis deservientibus Deo agenti naturali. Et quidem materia ratione sui est ens, licèt potentiale; unde est Deo similis in ratione analoga entis, quam à Deo participat: ergo imitatur in tali ratione Divinam Essentiam: sed Essentia Divina, ut imitabilis à creatura, est idea creaturæ: ergo materia habet in Deo ideam, saltem dum divinitus sola produceretur. Dum tamen naturaliter componitur, habet ideam, & existentiã compositi, quia solum compositum est quod per se est factibile, & producibile.

31. Ad authoritates D. Thomæ dicimus S. Doctorẽ ibi impugnare asserentes materiam existere per existentiam formæ, ut formæ, sine forma: nam sic dicentes, ponunt materiam in actu formali sine actu formali; cùm existentia formæ, ut formæ, non queat convenire materiæ, nisi habeat actum formalem, ut dictum est num. 24. At non est contra primam asser-

assertionem, ubi ponimus materiam existere, non in actu simpliciter, nec per existentiam secundùm gradum entis actualis, sed secundùm gradum universalissimum entis, præscindentis ab actu, & potentia. Et quidem dicere quòd materia ante formam est ens in tota latitudine, non est ponere materiam ens in actu sine actu, juxta D. Thomam: ergo dicere materiam existere ante formam, ut ens in tota latitudine, non est ponere materiam in actu sine actu.

Quæres: An materia existens sine forma per existentiam sub gradu universalissimo complementi entis, dicenda sit ens in actu? Et videtur quòd sic. Quia omne existens, est ens in actu: materia autem dicto modo posita est ens existens: ergo est ens in actu. Ex alio capite videtur negãdum: tum quia materia per illã existentiam non acquirit novam entitatem, sed cõplet quã habebat: sed non habebat entitatem in actu, sed potentialem: ergo per illam existentiam non redditur ens in actu. Tum etiam, quia ens in actu sine forma, est juxtà D. Thomam quid implicatorium materiæ: ergo si contendimus non implicare materiam nudam existere per gradum universalissimum existentiæ, per illum non ponitur materia ens in actu.

Respondeo verba illa *ens in actu*, sumi communiter pro ente existente in specie determinata: cùmque species habeatur per formam, ens in actu dicit actum formalem, & existentialem. Hoc repugnat materiæ nudæ, quia est ponere materiam ens in actu sine actu, ut efficaciter suadet D. Thomas: quare in hoc sensu materia nuda existens, nequit dici ens in actu. Vt ergo communis locutio corrigatur, & sine ambiguitate possimus uti vocibus istis, oportet addere limitativum sic: Materia est *ens in actu existentiali, completivo entis sub gradu universalissimo*. Quare dici non potest materia absolutè *ens in actu existentiali*, quia cùm analogum absolutè sumptum, stet pro famosiori, ly *actus existentialis* dicit complementum formæ, unde supponit in materia actum formalem, & essentiæ, qui non datur in materia nuda. Posita autem restrictione dicta, actus existentialis solùm supponit in materia rationem entis universalissimam: & hoc bene; quia illam habet materia sine forma.

32. Ad rationem Thomistarum, positã num. 8. neg. min. ad probationem dist. maj, materia existens sine forma, esset in actu, & non esset in actu; esset, & non esset in eodem actu, neg. maj. esset, & non esset in diverso actu; concedo maj. & neg. min. Materia existens sine forma per existentiam sub gradu universalissimo, esset in actu existentiali sub gradu universalissimo. Nec est unde probetur negativa, nempe quòd materia hoc modo non esset in actu. Probatio Thomistica est; quòd forma est actus primus materiæ, & ante primum non datur alius actus in materia. Hæc probatio non valet; quia forma solùm est actus primus relatè ad existentiam sub conceptu, & gradu minùs universali;

sali; n mpe complementi entis simpliciter. Quare ex quo ma ria non habeat formá, sequitur bene quòd nõ existat per existentiam sub gradu entis simpliciter,& quòd hoc modo non sit in actu; ceterùm hoc est secunda assertio nostra,nec contradicit primæ, ubi ponimus materiam in actu existétiæ sub gradu entis universalissimo. Pro isto non requiritur actus formalis,sed para ratio entis,quæ in materia certissimè datur ante formam.

Ad 1. confirmationem respondemus eodem modo: concedo quòd in illo v n u na a o haberet existentiam sub gradu complementi en is simpliciter; nam existentia sic suppon t formam, ut actum primum, sicut intellectio intellectum, & alii, quæ in confirmatione adducuntur. Nego tame quòd unc materia non hab a existentiam sub gradu comp ementi e tis universalissim. Pro existétia sic,actus primus non est forma, sed entitas,aut ra io entis universalissima,quæ in m teria nuda datur, ut patet.

Ad 2. confirmationem concedo quòd res nequit habere ultimum compl m ntum in aliqua linea,quin prius in ea h beat ess simplicit r: & dist. min. Existentia est ultimum complemen um in línea entis; existentia, & ente sumptis c distribution gradualí,concedo min. sine illa ist ibutione,neg,min.&consequentiam. Probatum est ex Divo Thoma ens habere gradus, & in existentia completiva entis esse etiam admittendos: ergo dú ex D. Thoma loco laudato confirmationis, existentia probatur ultimum complem um,debet fieri distributio æqualis entis,& existentiæ. Distribuatur sic. Existentia sub gradu universalissi o comp ementi,est u t um cõplem n um entis un versal ssimi: xiste tia sub du inu universali cõpl enti entis simpliciter, st ltimú comple entu en is simpliciter: xistentia sub gradu existentiæ corporeæ, est ultimum complemétu entis corporei: & sic usque ad gradum differentiæ infimæ atomæ. Ergo ut materia habeat ultimum complementum i. linea entis u iversalissima,requiritur solùm quòd in ea linea sit ens. At mater a sine forma habet a one sui esse ens universalissimum,cùm habeat entitatem pro riam, vi cujus cõven t cum fo ma in ation universalissima entis: ergo &c.

Observa, quòd materia ratione sui non est ns simpliciter, sumpto ly *simpliciter* pro e te actuali, & in hoc sensu loquuti sumus q. 4. & 8. ceterùm sumpto ly *simpliciter* pro eo quod est *propriè*; materia est simpliciter ens, quia propriè; & non metaphoricè cõtinetur sub ente. Hoc modo est materia simplicit r in línea entis, ut in ea recipiat u timum complementum talis lineæ universalissimæ. Nota etiã, quòd xisten ia dici ur ultimus actus, & su ponit primum: cum tamen materia apu nos q. 4 & 5. nullum actú ex se contineat entitativum, aut metaphysicum. Dicendum tamen quòd existentia est actus secundus, sed non sub omni gradu. Nam sub gradu complemẽti entis universalissimi, prascindit

dit ab actu, & potentia; sicut ens universalissimum hoc modo præscindit; licèt identicè sit unum x his. Vnde sub isto gradu est complementum, sed non actus, aut potentia. Vel dic quòd sub isto gradu existentia st actus secundus, correspondens potentiæ objectivæ; & supponit in materia en ta é productam; quæ licèt in linea entis non sit actus, est tamen actus correspondens potentiæ objectivæ. Vide dicta quæst. 4. num. 3. & utere eo sensu, ut dicas hìc materiam existentem sine forma, habere ex se actum primum, & per existent am sub gradu d cto, actũ secund um.

33. Ad secundum fundamentum, positum numero 9. dist. ans. Quia præci , n go ans. quia sic est pura pot ntia, u. Essent Divina non possit ei uniri nisi sub c nceptu formę supernaturalis, ad q am st nece ari elevatio intellectus per lumen; concedo ans. sed nego consequ ntiam. In existentia sunt gradus, ut probatum est; & potest existentia uniri sub uno, & on ub alio, ut de acc entib s actum est, dum existunt in composito. Hinc fit, ut licèt forma sit d positio materiæ ad existentiam sub gradu inferiori, & sine illa non possit materia sic existere: at potest communicari sub gradu un versalissimo, ad quem forma dispositio non est. Lumen autem gloriæ dispositio est n ell ctus nostri ad unionem cum Essentia Divina: quæ cùm sub nullo gradu uniri possit, sub quo non sit supern ralis; sub omni pet t intellectum elevatum per lumen. Si amen co endas Essentiam Divinam sub gradu speciei impressæ communi ent naturali, & su rnat rali, olle niri; non inficior; id admisi in tractatu de Lumine Gloriæ: ceterùm tunc dic posse uniri sub isto gr d int l'ectu carenti omni lumine elevante; nam ad gradum istum non est necessarium lumen elevans.

Ad 1. confirmationem dic, quòd existentia sub gradu compleméti entis simpliciter, est actualitas existét æ, quæ supponit actualit tem ess ntiæ; & hæc non est in materia nuda, ut quæst. 5. dictum est. Ceterùm existentia sub conceptu complementi entis universalisimi, vel non est actualitas; vel si est, solùm est actualitas relatè ad potentiam objectivam; & hæc supponit actualitatem essentiæ eodem modo relatam, quam quidem habet materia ex se; cùm actualitas essentiæ hoc modo nil aliud sit quàm essentia actu product, & istam sine bio h b t m teria sine forma. Vide dict in fine num. 32.

A 2. o firmat onem admissa majori, quæ poterat negari, neg. min. Potest enim Deus conservare materiam sine ullo accidente, & sine ubicatione, & tunc nullibi existeret, ut dicemus lib. 4. Et licèt tunc haberet re ionem ad D u; st relatio non esset accidens, sed substantia; cùm esset relatio transcendentalis fundata in substantia materiæ.

Ad 3. confirmationem neg. maj. Ad p obationem jus neg. quòd existere sit effectus formalis formæ; & quòd hoc doceat D. Thomas. Si enim

Deus

Deus non potest supplere formam in c dare sine forma effectum formalem; & ob id sine lumine creato nequit elevare intellectum: quomodo posset reddere Humanitatem Christi existentem, dando ei existentiam, quæ est effectus formalis formæ? Certè non posset: ergo quia exister non est effectus formalis formæ informatis. Dicit D. Thomas quòd formæ non solùm faciunt ad esse, sed ad operari; unde utrumque est effectus formæ: sed cum hoc discrimine, quòd non omnis forma, sed sola existentia, dat esse existentiale; reliquæ enim formæ dãt esse formale substantiale, vel accidentale: & illud dant formaliter. Dant etiam operari, sed non formaliter sed efficienter. Inde nil ad propositum.

A 4. dic, quòd omne esse substantiale actuale, provenit à forma: cetrùm non omne esse absolutè; alioquin entitas materiæ vel nõ esset substantialis, vel proveniret à forma; quorum utrumque est falsum: ergo & falsum est, quòd complementum hujus esse substantialis absoluti pendeat aut proveniat à forma. Nec omne esse accidentale venit à forma; nam in albedine v.g. datur ratio entis universalissima, & hæc non venit à forma secundùm gradum differentialem formæ, sed secundùm gradum universalissimum quo forma convenit cum subjecto accidentium. Ad 5. concessa maj. neg. min. propter dicta in tertia confirmatione.

34. Ad tertium fundamentum positum num. 10. dic existentiam materiæ in nostro casu fore corporeã, eò quòd materia habet entitatem incompletè corpoream, quæ completur per formam substantialem in ratione substantiæ corporeæ; & per quantitatem in ratione corporis quanti, mensurabilis trina dimensione, ut in Logica lib. 6. dictum est. Hinc sequitur, quòd materia sic existens esset substanti incompleta, & ponetur sub genere substantiæ corporeæ, non quidem directè in recta linea, quia sic solùm ponuntur entia completa, sed indirectè; & reductivè, ut ens incompletum. At quia materia non habet actum metaphysicum, nec speciem nisi per formam, ut quæst. 5. dictum est; ideò materia non esset in specie positiva determinata in nostro casu. Esset tamen in specie negativa determinata; quia determinatè differret à forma, & à quocumque ente actuali diversæ speciei.

Hoc modo cessant probationes tertij fundamenti, ducentes ad impossibil. Cessat prima, quia si ponimus materiam incompletè sub genere determinato, & incompletè negativè in specie determinata; non separamus genus à speciebus, sed eodem modo ponimus materiam in specie determinata, ac sub genere determinato. Cessat secunda, quia materia sic existens non esset genus immediatè individuatum, sed mediatè: nam sicut animal descendit media specie humana ad Petrum individuum; ita ratio entis, & substantiæ corporeæ reperta in materia, descendit media specie privativa materiæ ad hanc materiam existentem sine forma. Ad tertiam ex P. Augustino

gustino dic S.P. loqui de potentia ordinaria juxta quam repugnat res existens, quæ non sit positivè in specie determinata. Nunc sermo est de potentia Dei absoluta, penes quam materia existens esset ens, & substantia corporea potentialis ad hoc, vel illud per formam, sed positivè nõ esset hoc, vel illud specificè.

35. Ad 4. fundamentum ex N.B. Ægidio positum num. 1. concedo quòd actus unius potentiæ non potest in alia recipi. & dist. min. Existentia est actus compositi, existentia sub gradu universalissimo complemẽti entis, neg. min. quia sic ejus potentia receptiva est ens universalissimũ: existentia sub gradu complementi entis simpliciter actualis, onced min. sed nil contra nos, qui ideò in secunda assertione nostra dicimus quòd materia nec divinitus potest existere per existẽtiam formæ, ut formæ, quia existentia sic sumpta, est complementũ entis simpliciter; & materia sine forma non est hoc modo ens. Hinc est quòd quartum fundamentum probat secundam assertionem nostram, & non impugnat primam.

Probationes minoris non faciũt contra distinctionem datam: unde eas admitto, notãdo quòd forma est actus primus materiæ dupliciter. 1. *exactivè*; quia semper petit actuare materiam ante existentiam. Vnde licèt in casu nostro forma adveniens materiæ, divinitus se sola existenti, non esset *exercitè* actus primus, sed supponeret in materia existentiam; at *exactivè* esset actus primus; sicut licèt accidens Eucharisticum non sit exercitè *ens in alio*; est tamen exactivè tale, quia naturaliter exigit subjectum inhæsionis. Secundo, forma est actus primus *relativè*, nempe relatè ad existentiam sub gradu complemẽti entis simpliciter. Quod adhuc in casu nostro subsistit; nam licèt in materia nuda ponamus existentiam sub gradu universalissimo, sub quo non est actus, nec actualitas potentiæ subjectivæ, sed potẽtiæ objectivæ, ut dictum est num. 33. in prima confirmatione: at non ponimus materia existere tiam sub gradu complementi entis simpliciter, sub quo est actus secundus potentiæ subjectivæ, nisi priùs sit forma in materia, cujus potentiæ subjectivę forma est actus primus.

36. Ad 1. confirmationem dic primò, quòd sicut Deus in lapide potest ponere intellectionem sub ratione qualitatis, quia lapis incapax intelligendi, potest qualificari quacumque qualitate: ita in materia nuda potest divinitus poni operatio, non sub ratione operationis, sed sub ratione entis aut qualitatis, cujus effectus capax est materia se sola. Ceterùm admisso hoc non esse possibil; dist. consequens. Ergo quia existentia est actus compositi, nequit communicari materiæ nudæ; existentia sub gradu complementi entis simpliciter, sub quo solùm est actus compositi; concedo consequentiam. Existentia sub gradu universalissimo entis, sub quo non est complementum speciale compositi, sed cujuslibet entis, nego consequentiam.

Ad 2. confirmationem dic primò, quòd materia diffinitur per ordinem ad formam ratione potentiæ subjectivæ, & ut est tale ens. Si tamen materia ut ens est, diffiniretur, deberet diffiniri diffinitione communi omni enti nominali, nempe *Quod dicit ordinem ad existentiam.* Nec compositum, & natura diffiniuntur per ordinem ad existentiam, ut contendit arguens, sed per ordinem ad operationem, sic *Natura est principium motus, & quietis &c.* ut dicemus lib. sequenti. Dato tamen quòd existentia sit actus compositi, dic secundò, quòd intelligitur de existentia secundùm gradum complementi entis simpliciter; quare sic sumpta nequit convenire materiæ usquedum cum forma faciat compositum, ut dicimus in secunda assertione. Non tamen intelligitur de existentia sub gradu universalissimo; nam sic vel non est actus; vel si actus est, erit relatè ad ens universalissimum, ut dictum est.

Ad illationes nostri Villanovani eas admitte de existentia sub conceptu complementi entis simpliciter; sed eas nega de existentia sub gradu universalissimo. Imò retorque argumé tu Palanco. Nam in quocumque datur conceptus entis universalissimus, datur proxima capacitas existentiæ sub conceptu complementi entis universalissimi: sed in materia secundùm se, & ante formam datur ratio entis universalissima, qua convenit cum omni ente: ergo in materia secundùm se ante formam, datur capacitas proxima existentiæ sub tali gradu.

57. Dices: Hoc suadet, quòd materia naturaliter potest recipere existentiam ante formam, & hoc negamus §. 1. Probatur sequela, nam materia ratione sui habet naturaliter entitatem, & sic capacitatè existentiæ sub tali gradu: sed subjecto naturaliter capaci actus, datur actus naturaliter: ergo materia naturaliter &c. Dices 2. ex nostra doctrina sequi quòd materia secundùm rationem generícam est capax existentiæ, sed non est capax secundùm rationem differentialem: hoc sanè implicatorium est. Probatur sequela. Per nos materia est capax existentiæ sub gradu universalissimo, quatenus materia est ens: sed materia solùm est ens secundùm rationem generícam; & est non ens secundùm rationem differentialem; maximè juxta nostra principia quæst. 5. ubi negantes materiæ actum metaphysicum, diximus differentiam materiæ esse carentiam privativam totius actualitatis, carentia autem est non ens: ergo materia secundùm rationem generícam est capax existentiæ &c.

Respondeo ad 1. negando sequelam, quia naturaliter non potest communicari existentia secundùm solum gradum entis, quin communicetur secundùm gradum talis entis. Ratio hujus data est à P. Augustino ubi suprà Epist. 268. *Quia fieri non potest ut aliquid sit, & non hoc, vel illud sit.* Ergo licèt naturaliter habeat materia capacitatem ad existentiam universalissimam: si tamen non habet capacitatem naturalem ad existentiam sub gradu inferiori, nequit, nisi divinitus,

nitus existere se sola.

Ad 1. dic, quòd materia est ens, & quid positivum transcendentaliter tam secundùm genus, quàm secundùm differentiam. Est ergo materia *ens potentiale*; ens est genus, potentiale est differentia. At hæc differentia, licèt formaliter sit carentia actualitatis, est tamen transcendentaliter aliquid positivum, quia est potentia subjectiva ad formam, & forma nequit recipi in nihilo, aut in privatione entis: ergo materia secundùm utrumque conceptum est ens; & sic capax existendi modo dicto.

38. Hucvsque expendimus fundamenta sententiæ Thomisticæ, quatenus obstare possunt primæ assertioni nostræ. At quia in tertia defendimus exercitij causa, quòd materia potest existere per existentiam formæ, nedum sub gradu universalissimo complementi entis, sed sub gradu inferiori complementi entis simpliciter; ideò doctrina data non deservit pro tertia assertione, pro qua aliter solvenda sunt fundamenta sententiæ Thomisticæ. Id faciam breviter.

Ad authoritates positas num. 8. dic B. Ægidium loqui de potentia ordinata, no de absoluta; quod confirmabis ex authoritatibus adductis pro tertia assertione. Ad D. Thomam dic. Do tor m impugnare os, qui naturaliter ponebant materiam in actu sine forma. Isti ponebant sine actu formæ ens in actu formali; quia quidquid est naturaliter, est hoc, vel illud; & sic in actu formali, ut ex P. August. dictum est. Ponere materiam

in actu formali sive actu formali, est implicatorium: quare ponere materiam naturaliter sine forma, implicatorium est. Hoc dicit S. Doctor. Cetcrùm nos ponentes materiam solùm divinitus existentem, non ponimus eam esse hoc, vel illud, sed carentem omni specie: ergo non ponimus eam in actu formali sine actu rmæ, sed in actu existentiali sine formali, quod non implicat, ut infrà patebit.

Ad rationē primā dic, quòd forma est actus primus materiæ, & existētia secūdus *exactivè*, sed nō *exercitè*, ut n. 35. dictum est. Vnde materia existens sine forma, esset in actu existentiali sine formali exercitè, exigeret tamen actū formalem; quia exigentia ista est essentialis materiæ, sicut accidentibus exigentia subjecti. Per hoc patet ad 1. confirm. cujus exempla non tenent. Nam effectus secundarius formæ essentialiter supponit primarium nedum *exactivè*, sed *exercitè*: unde nequit esse sine primario. Existētia solùm exactivè supponit formam, & sic exemplū non est ad rem. Secundum de intellectione est falsum, quia intellectio potest communicari lapidi, cui non est communicatus intellectus.

Ad 2. confirm. dic, quòd ultimū complementum lineæ supponit esse simpliciter in tali linea, dum complet naturaliter: secùs dum præternaturaliter. Cùm ergo existentia formæ, ut forme, non compleat naturaliter, sed divinitus materia nudam; ideo non petit quòd materia sit ens simpliciter; nam si esset talis, jam non divinitus, sed naturaliter compleret.

39. Ad secundum fundam. positum num. 9. nega causalem majoris. Non ideò indispensabiliter petit intellectus lumen gloriæ, ut ei uniatur Essentia Divina, quia est pura potentia respectu visionis beatæ ; sed quia est potentia inferioris ordinis naturalis, & visio beata est ordinis supernaturalis. Hinc non tenet consequentia. Quia materia est ejusdem ordinis cum existentia, nec per formam elevatur, sed purè quasi disponitur.

Ad 1. confirmationem dic, quòd actualitas existentiæ supponit essentialiter actualitatem essentiæ, at *exactivè*, sed non *exercitè*, ut dictū est. Deus autem, qui non potest invertere rerū essentias, potest agere divinitus contra rerum exigentias, ut patet in accidentibus Eucharisticis. Sic ponendo in materia actualitatem existentiæ sine actualitate essentiæ.

Ad 2. confirm. nega maj. quia plures docent materiam non posse existere sine quantitate, qui tenent posse existere sine forma. Nega etiam min. propter dicta num. 33. Ad 3. confirm. utere doctrina data num. 33. Ad 4. confirm. neg. ans Ad probationem cōcesso antecedenti, neg. consequentiam. Disparitas est, quia in genere accidentis solùm datur forma; omnis enim entitas accidentalis est forma: ergo omne esse accidentale venit à forma; cùm non possit substantia dare esse accidentale. At in genere substātiæ datur materia, & forma, datur item complemētum utriusque, nempe existentia: ergo esse substantiale potest venire à forma, à materia, vel ab existentia. Ad 5. confirm. neg. min. ut dictum est in tertia confirm. & redargue sic arguentes ex doctrina data num. 11. Ad tertium fundamentum positum num. 10. utere doctrina data num. 34.

40. Ad quartum fundamentū, positum num. 11. Dic primò quòd actus qui tàm proximè quàm radicaliter pertinet ad unam potentiam, nō potest in alia recipi. Sic est visio relatè ad potentiam auditivam, quæ nec est potentia proxima, nec mediata ad visionem. At materia naturaliter est potentia mediata ad existentiam, scilicèt media forma : ergo divinitus recipiens existentiam, non recipit actū totaliter alienum, ut contingeret auribus recipientibus visionem. Dic secundò doctrinam esse veram de actibus elicitis, ut sunt visio, auditio &c. quia actus nequit elici à potentia in qua non continetur ; visio autem non continetur in auditu. Existentia non est actus elicitus, sed receptus purè. Dic tertiò majorem non tenere : quia sicut visio potest poni in lapide, sic & in potentia auditiva : & maximè, cùm amplius conveniant auditus, & visus in ratione entis, potētiæ vitalis, & sensitivæ, quàm lapis, qui solùm convenit cum visu in ratione qualitatis.

Ad 1. confirmationem dic, quòd operari duo dicit, nempe agere & efficere operationem; item eam recipere, & per eam actuari. Materiæ nudæ nequit primo modo communicari operari ; benè verò secundo modo, quia potest recipere quodcumque accidēs. Cùm autem existere non sit agere, sed purè recipere ; nil probatur ex impossibilitate

sibilitate materiæ nudæ ad operandum.

Ad 2. confirm. dic eas diffinitiones debere intelligi exactivè, nõ exercitè; sicut cum diffinitur accidens *ens in alio*; non denotatur quòd accidens essentialiter inhæreat exercitè; alioqui in Eucharistia, ubi non inhæret subjecto, non haberet suam essentiam. Habet illam, quia exigit inhærere, & hæc exigentia essentialis est. Sic materia nudè existens respiceret formam, ut actum primum essentialiter exactum, & haberet existentiã, ut actum primum contra suam exigentiam, qua respicit existentiam ut actum secundum media forma.

41. Expensis fundamentis Thomisticis contra primam, & tertiã assertionem nostram; restat expendere fundamenta secũdæ sententiæ, quatenus obstant secundæ assertioni nostræ. Et quidem argumenta posita n. 12. 13. 14. Satis solidè soluta sunt ibi inter arguendum. Vnicè restat solvere, quæ pro tertia assertione nostra allegavimus, quia directè militant contra secundam.

Ad primum positum num. 25. admittimus doctrinam B. Ægidij, ut jacet. Sed notamus, quòd sicut existentia Verbi Divini, quæ est supernaturalis, & infinita, continet perfectionem existentiæ creatæ, & illam supplet in Humanitate Christi Dñi sic suo modo existentia substantiæ quæ est existẽtia per se, continet perfectionem existentiæ accidentis, quæ est existentia in alio. Quare sicut existentia Verbi Divinitus reddit existentem humanitatem, supplendo defectum existentiæ humanæ, sic divinitus existentia substantiæ supplet defectum existentiæ accidentis. Hinc sequitur, quòd sicut Christi humanitas existens per existentiam Verbi, non existit infinitè, nec supernaturaliter, licèt existat per existentiam infinitam, & supernaturalem; sed naturaliter, & finitè, non minus ac si existeret per connaturalem existentiam, quam supplet Verbum. sic accidens existens per existentiam substantiæ, quæ est per se, nõ existeret per se, & substantialiter, sed exactivè in alio, & accidentaliter. Hoc notato.

Ad argumentum dist. maj. magis improportionatur accidens cum existentia substantiæ sub conceptu existentiæ *per se*, quàm materia cum existentia formæ sub conceptu existentiæ actualis &c. sub conceptu existentiæ per se, dante perfectitatem substantialẽ, concedo maj. dante, & supplente effectum existentiæ accidẽtalis, nego maj. & dist. min. Potest divinitus dare accidentibus existentiam substantiæ sub conceptu existentiæ per se, sub conceptu supplente existentiam accidentalem, concedo min. sub cõceptu tribuẽte accidentibus perfectam entitatem substantialem neg. min. Quia perfectas substantialis nec actu inhæret subjecto; nec exigit inhærere: at licet Deus in Eucharistia tollat ab accidentibus actualem inhærentiam, non tollit ab eis nec potest exigentiam essentialem inhærendi: ergo existentia substantiæ supplens existentiam accidentium, non dat illis perfectitatem substantialem.

Probationes majoris non sunt

contra

contra distinctionem datam, sed confirmant quòd accidens est plenè improportionatum ad existentiam substantiæ, ut dantem perficiatem substantialem, & hoc concedimus: non autẽ probant quòd improportionetur cum existentia substantiæ, ut supplente defectum existentiæ accidentalis. Iam verò consequentia ad materiam non valet, quia cùm materia non habeat existentiam propriam, quam supplere possit existentia formæ: & dato ex prima assertione nostra, quòd in linea entis universalissima habeat materia existere sub gradu universalissimo; si forma, ut formæ existentia supplea hoc; dabit materiæ existere sub gradu universalissimo, non tamen effectũ existentiæ actualis, ut actualis: & hoc negamus tantùm in secunda assertione nostra.

42. Ad fundamentum Villanovani positum num. 26. utere solutionẽ data num. 27. dist. maj. Quidquid recipit materia mediante forma, potest divinitus se sola recipere, si repugnat ex parte termini, neg. maj. si non repugnet, concedo maj. sed nego consequentiam. Quia ex parte existẽtiæ, quę est actus secundus essentialiter, repugnat recipi in materia ante actum primum. Pro defendenda hac repugnantia utere fundamentis solidioribus primę sententiæ.

Nec evertit solutionem istam impugnatio posita à nobis num. 28. Pro cujus solution neg. minorem subsumptam. Aliquando enim datur repugnantia ex parte termini, & non ex parte principij. Sic dicitur lib. 3. Physicorum quòd repugnat infinitum in actu creatum: certè non repugnat ex parte principij, cùm omnipotentia sit virtus infinita, quæ posset ad extrà producere infinitum, si hoc ex parte termini non repugnaret. Ergo licèt ex parte potentiæ materię, quæ infinitè receptiva est, non repugnet se sola recipere existentiam actualem, ut actualem; id repugnat potenit ex parte termini receptibilis.

Ad probationem minoris subsumptæ, nega suppositum. In ea supponitur quòd potentia materiæ nudæ ad recipiendam existentiam formæ, ut formæ, sit potentia proportionata. Talis non est, sed improportionata: quod evincitur ex ipsa probatione prima. Nam ad actum improportionatum per te non datur potentia proportionata: at actus existentiæ est improportionatus materiæ nudæ: ergo potentia materiæ ad illum, non est proportionata. Rursus per te proportio est relatio mutua: sed existentiæ ad materiam nudam non datur relatio proportionis: ergo nec materiæ nudæ ad existentiam. Restat ergò quòd si argumento Villanovano probatur in materia potẽtia ad existentiã, illa est potentia improportionata, & ad terminũ repugnãtẽ. nec ideò potẽtia reddi-

r repugnãs, cũ à taliter no nõ specificetur, sed ab alio, sibi proportionato. Et hæc de quæstione ista, fusius pertractata, quoniã sub unico titulo agitur quæstio in 1. §. naturaliter: in reliquis divinitus, sed triplici conclusione diversa, quæ diversis titulis non immeritò ab aliis disputaretur.

QVÆS-

QVÆSTIO DECIMA.

Quas formas, & qualiter appetat materia prima?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. EX dictis lib. 1. Logicæ q. 1. §. 1. constat quid sit appetitus innatus, & elicitus, quotuplex, & qualiter adhuc in animatis. Quare sicut amor diffinitur à P. Augustino, pondus, quo ferimur quocumque inclinamur; ita appetitus inclinatio rei dicitur in propriam sui perfectionē. Hæc datur in quocumque ente, adhuc inanimato juxta S.P. lib. 11. de Civitate Dei cap. 28. ubi ait: *Si essemus lapides, vel fluctus, aut ventus, flamma, vel quid aliud ejusmodi sine ullo quidem sensu, atque vita, non tamen nobis deesset, quasi quidem locorum nostrorum, atque ordinis appetitus.* En in omne appetitus sui loci, & ordinis, quo perficitur quodcumque ens. Cùm que materia per formas perficiatur, dubitatur meritò de appetitu materiæ ad formas.

Negant in materia hujusmodi appetitum Justinus Martyr, & Avicenna relati à Complutensibus. Ex RR. Arriaga & Oviedo cum aliquibus. Quæ sententia probatur 1. Quia si materia formas appeteret, omnes appeteret, cùm omnes sint perfectio materiæ: sed non appetit omnes; alioquin frustraretur appetitus, cùm nunquam possit omnes recipere: ergo ne ponamus in materia appetitum frustaneum, ei negandus est appetitus ad formas.

2. Si formas appeteret, appeteret corruptionem ejus, quod actu comprehendit; non enim potest materia aliam formam recipere, nisi corrupta forma, quam actu habet: sed materia non potest appetere corruptionem totius; quia hoc esset fortiùs inclinari in bonum restrictè, ut ais, quàm in bonum totius, & hoc est impossibile in appetitu dato à natura: ergo idem.

3. Quicumque appetit naturaliter aliud, conatur acquirere perfectionem, quam appetit; quod patet in gravibus, conantibus centrum acquirere: sed materia nullum potest adhibere conatum ad acquisitionē formæ; cùm sit potentia purè passiva, & non activa ad formam: ergo non potest illam appetere.

4. Si appeteret formas, magis appeteret perfectiorem, quàm imperfectiorem; item existens sub perfectiori, non appeteret imperfectiorem: sed hoc est falsum; alioquin cùm anima humana sit perfectior reliquis formis, materia habens animam, non machinaretur destructionem compositi humani: ergo idem. Major patet. Nam appetitus ordinatus petit magis inclinari in id quod est magis bonum, &

per-

perfectio. Appetitus autem naturalis insensibilium, ordinatus est, tum quia datus à natura, quæ sicut nihil facit frustrà, nil agit inordinatè. Tum quia licèt hic appetitus nullam supponat cognitionem in appetente, supponit illam in authore naturæ, dante appetitum, cuique proprium, ut docet D. Thomas 1.2.q.16. & 1.p.q.40.art.3.

2. Probatur eadem major. Quia si materia habens formam perfectiorem, appeteret imperfectiorem; appeteret proprium sui malum: at hoc est contra rationem appetitus: ergo dato appetitu in materia, appeteret formam perfectiorem &c. Probatur maj. Expoliari forma perfectiori, & recipere imperfectiorem, est malum materiæ: unde ortum est assertum illud frequés in D. Thoma, & Philosophis, *Minus bonum, ut privat majori; habet rationem mali.*

5. Materia habens unam formã, gaudet de illa: ergo non appetit aliã. Probatur consequentia. Qui gaudet de unione alicujus, non potest desiderare destructionem illius: sed forma futura est destructiva unionis materiæ cum forma præsenti: ergo &c.

6. Materia nunquam potest esse in statu appetendi formas appetitu desiderij: ergo nunquam potest illas appetere. Probatur ans. Appetitus materiæ non est ad formas collectivè habendas; nam hoc est impossibile; & ad impossibile non datur naturalis appetitus. Quare est appetitus ad formas divisivè, hoc est successivè habendas, unam post aliam, sive hanc, sive illam: sed materia nunquam potest esse sine ista, vel alia forma: ergo nunquam potest esse in statu &c.

2. Contraria sententia est communis Philosophorum cum Arist. lib.1, Physic.text.81. ubi ait: *Materiã appetere formam, sicut turpe pulchrum.* Id docet D. Thomas varijs locis, sed præcipuè 1.p.q.59.art.2. ubi ait: *Videmus, quòd inclinatio, quæ est ad esse rei, non est per aliquid additum essentiæ, sed per materiam, quæ appetit esse, antequam habeat, & per formam quæ tenet rem in esse, postquam fuerit.*

A ratione probatur. Quælibet res appetit naturaliter suam perfectionem: sed formæ omnes sunt perfectio materię, & dant illi speciem, & esse simpliciter: ergo in materia est appetitus naturalis ad formas. Major patet tum ex definitione boni, qua dicitur: *Bonum est quod omnia appetunt.* Tum ex authoritate P. Augustini allegata num. 1.

Rursus. Quælibet res appetit naturaliter sui conservationem: sed materia sine formis conservari non potest: ergo materia sic appetens conservari, appetit formas.

Rursus. Quia scire est perfectio naturę rationalis, ideò Philosophus in Metaphysica dicit quòd *Omnis homo naturaliter scire desiderat*: ergo quia formæ sunt perfectio materiæ, omnis materia appetit formas.

3. Iam verò quòd hic appetitus sit ad omnes formas æqualiter, docetur ab eisdem DD. & probatur. Materia, ut dictum est, appetit formas, in quantum replent ejus potentialitatem, & vacuitatem, dando ei esse simpliciter:

pliciter: sed omnes formæ sive perfectiores, sive imperfectiores, æqualiter dant materiæ esse simpliciter substantiale, & æqualiter conservant materiam in esse, dum durant: ergo materia æqualiter appetit omnes.

Confirmatur. Vacuum non magis appetit repleri auro, vel argento, quàm aqua, vel alio corpore, quantumcumque vilissimo; cùm ad replendum vacuum per accidés se habeat major, vel minor corporis perfectio entitativa: sed ad replendam vacuitatem materiæ per accidens se habet major, vel minor perfectio entitativa formarum: cùm quælibet sufficiat ponere materiam sub existentia: ergo materia æqualiter appetit omnes formas &c.

Confirmatur. Omnes formæ conveniunt in ratione actus primi materiæ, & perfectionis substantialis ejus: sed appetitus materiæ unicè terminatur ad suum actum primum sub ratione actus, & perfectionis substantialis: ergo appetitus materiæ est ad omnes æqualiter.

4. Addunt DD. communiter, quòd cùm appetitus materiæ æqualiter respiciat omnes formas, respicit formam, quam habet, & quas non habet; has appetitu desiderij, illam appetitu gaudij, qui terminatur ad iem possessam. Res est parvi momenti, quæ non indiget probatione, sed explicatione, si quid autem difficultatis est, in hoc solo est: quomodo scilicet gaudet materia de unione cum forma præsenti, & desiderat absentem, quam nequit habere, nisi præsentem deperdat? Sanè non amat

gratiam, quam habet, qui desiderat periculum peccandi, quo gratia deperditur.

Respondent, & benè, distinguendo in materia duplicem appetitum, unum peculiarem sui, alium universalem, quo appetit pulchritudinem universi. Hæc consistit in successiva variatione formarum. Et licèt atteto peculiari materiæ bono, sic gaudeat de forma præsenti, ut aliam non desideret: at cedit particularis appetitus appetitui superiori pulchritudinis universi. Sic aqua naturali pondere tendés deorsum, & appetens centrum, ascendit per fistulam aliquando, ne detur vacuum in rerum natura. Cedit tunc inclinatio particularis communi bono naturæ, & communi inclinationi vitandi vacuum in rerum natura. Nec materia unquam per se appetit destructionem formæ possessæ, de qua gaudet; per se enim desiderat aliam, & per accidens optat hujus præsentis destructionem.

Nota Thomistas, & quotquot distinguunt materiam cœlestem à sublunari, ponere in utraque materia diversos appetitus. Tum, quia si essentiæ sunt diversæ, ad eas diversi appetitus consequuntur. Tum, quia si cœlestis respicit formam, quam habet, ut actui sibi adæquatum, nequit alias appetere. A contrario qui utramque materiam putant ejusdem speciei, tenere debent in utraque eundem appetitum, si procedant juxta principia hucusque data: secùs juxta nostra principia, infrà ponenda. Nam cùm utraque materia solùm secundùm se sit ejusdem

speciei; & in materia secundùm se nullus sit appetitus ad formas, ideò ex unitate specifica utriusque materiæ nõ suadetur nobis unitas appetitus. Id constabit ex dicendis: unde sit.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

5. NOstra sententia est, quòd materia secundùm se, ut consideratur denudata ab omni forma substantiali, & accidentali, nullum habet appetitum ad formas; materia autem informata una forma, alias appetit. Quare sicut P. Arriaga, cujus est sextum argumentum, positum num. 1. eo putat, quòd materia nunquam est in statu appetendi formas, quia semper est cum aliqua, & status appetendi est status carentiæ omnium formarum, in quo nunquam est materia. Sic à contrario dicimus, materiam semper esse in statu appetendi, quia status materiæ sue ulla forma materiam reddit incapacem appetitus; dum tamen est sub aliqua forma, tunc potest appetere ceteras. Secunda pars conclusionis nostræ patebit ex probationibus primæ, & confirmatur argumentis adductis num. 2.

Nostrã sententiã docet M. Villanova hic disp. 4. dub. 11. quam probat ex D. Thoma, & B. Ægidio, cum quibus dicit quòd si Deus poneret materiam, ab omni forma denudatam, nullam posset naturaliter formam appetere, cùm nullum agens naturale in materia, sic posita, posset ullam formam inducere. Probatur hæc assertio 1. ex P. Augustino qui lib. Imperfect. de Gen, cap. 4. docet materiam creatam esse receptaculum formarum, ut in ea sint formæ, sicut corpora sunt in loco. Loca autem, sicut odio habent vacuũ, sic appetunt corpora, quibus replentur, & vacuum vitatur; corpora item appetunt suum locum juxta S. P. Aug. 4. de Genes. ad litteram cap. 18. dicentem: *Ipsa corpora non manent in loco, nisi quo sui ponderis tanquam appetitu perveniunt.* Ergo appetitus corporum ad locum oritur à pondere, hoc est à forma gravitatis inclinante, & fundante appetitum: sed in materia secundùm se, nulla est forma fundans appetitum: ergo in materia secundùm se, nullus est appetitus.

Ad idem D. Thom. 1. p. q. 87. art. 4. in corp. dicit: *Actus voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam consequens formam intellectam: sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem.* Contrà N. B. Ægidius lib. 3. de Anima tex. 2. dub. 1. §. *Dubitaret*, ubi dicit: *Dicendũ quòd sicut appetitus naturalis sequitur formam naturalem, sic appetitus animæ sequitur formam apprehensam.* Sed in materia secundùm se accepta, nulla est forma naturalis, ad quam sequatur appetitus: ergo in materia secundùm se nullus est appetitus ad formas.

6. Respondet Mag. Froylan 1. quòd propositio D. Thomæ non est exclusiva; nam licèt ad omnem formam naturalem sequatur appetitus, non

non tamen omnis appetitus sequitur formam. Sicut licèt omnis homo sit animal; non tamen sequitur quòd omne animal sit homo. 2. respondet D. Thomam loqui de appetitu activo, qui semper ad formam consequitur, non autem de passivo; nam hic consequitur etiam solam materiam.

Ex his solutionibus, prima videtur voluntaria, cùm nullum adducatur fundamentum pro tali expositione. Accedit, quòd respondet cum conclusione. Conclusio ejus est, quòd materia ratione sui habet appetitum. Nos contra arguimus ex D. Thoma docente appetitum naturalem sequi formam, & sic non dari in materia ratione sui: ergo respondere quòd D. Thomas non excludit appetitum materiæ ratione sui, est respondere cum conclusione. Præterea. Hic appetitus materiæ nequit esse activus, ut admittit Froylan: aliunde nequit esse passivus, ut patebit ex impugnatione secundæ solutionis; ergo restat quòd propositio D. Thomæ sit exclusiva, & negans in materia ratione sui appetitum, qui nullus est, nisi sequatur aliquam formam.

Secunda solutio impugnatur sic. Gravia, & levia moventur à generante, quare eorum appetitus ad motum est passivus: sed appetitus iste sequitur formam gravitatis, & levitatis: ergo appetitus omnis sive activus sive passivus, sequitur formam. Minor patet, quia si gravia, & levia nullam haberent formam gravitatis, aut levitatis, non appeterent motum deorsum, nec sursum.

7. Secundò probatur conclusio nostra à ratione. Materia solùm habet appetitum naturalem ad formas, quas agens naturale potest introducere: sed nullum agens naturale potest inducere formas in materia secundùm se, & denudata ab omni forma: ergo in materia secundùm se, non datur appetitus naturalis ad formas. Major patet, quia potentia materiæ relatè ad agens Divinum est potentia obedientialis; unde potentia ejus naturalis est ad formas, ut inducendas ab agente naturali. Minor multifariam probatur à B. Ægidio in 2. Sent. dist. 3. q. 1. art. 1. §. *Tertia via.* Ex quo sic.

1. Agens non potest agere in materiam, nisi eam tangat; unde ortum assertum hoc, *Agens in tantum agit, in quantum tangit.* Sed agens nequit tangere materiam, nisi habentem quantitatem; & istam nequit habere materia naturaliter sine forma; cùm ordo naturæ petat, quòd priùs sit in materia forma substantialis quæ est actus primus materiæ, quàm reliquæ formæ accidentales: ergo agens nequit inducere formam in materia, denudata ab omni forma.

2. Probatur minor. Agens naturale non potest introducere formam sine transmutatione, quæ petit esse de contrario in contrarium; sed materia sine forma nequit transire de contrario in contrarium, ut observat Commentator 8. Physic. comm. 4. & 30. ergo nullum est agens naturale potens introducere formam in materia nudè sumpta, & secundùm se.

8. Dices. Hoc argumentum

probat quòd nunquam materia potest formas appetere. Nam ad impossibile naturaliter, non datur appetitus naturalis: sed juxta argumentum formæ sunt naturaliter impossibiles mat riæ secundùm se; aliunde sunt etiam impossibiles materiæ informatę, cùm materia non possit naturaliter habere duplicem formam substantialem: ergo nunquam materia poterit appetere formas, ut contendunt DD. 1. sent.

Respondemus, quòd materia habens unam formam, non potest aliam recipere in sensu composito primæ; benè autem in sensu diviso; hoc est prima deficiente. Cùmque forma præexistens reddat materiam aptam ad recipiendas ab agente dispositiones pro forma futura, & destructivas præexistentis formæ; est conditio reddens possibilem naturaliter introductionę formæ futuræ. Sic forma viventis, licèt incompatibilis sit cum forma cadaveris, est tamen conditio prærequisita ad formam cadavericam; tum, quia nemo potest mori, si non prębabet formam viventis; tum quia forma viventis reddit materiam capacem, & aptam ad suscipiendas dispositiones pro cadavere.

9. Tertiò probatur concluſ. à ratione ex D. N. sic. Omne appetens debet habere aliquid ejus, quod appetit; sed materia denudata ab omni forma, nihil habet formæ: ergo materia secundùm se, denudata ab omni forma, nequit formas appetere. Consequętia tenet, minor est certa: & major probatur à D. N. sic. Primò à priori, quia amor fundatur in similitudine; & similitudo ita est causa amoris: ut inde emanarit, *Simile amat, & appetit sibi simile.* Cõstat etiam doctrina majoris, quia talia quisque appetit, qualis est. Vnde interna lucta, observata ab Apostolo, carnis concupiscentis adversus spiritum, inde oritur, quia caro carnalia, spiritus concupiscit spiritualia, fitque ut talia appetant qualia sibi similiora proponuntur. Sed nihil est simile alteri, nisi habeat aliquid ejus, cui est simile, ut patet; ob idque similitudo diffinitur *unitas in qualitate*: ergo omne appetens debet habere aliquid ejus, quod appetit.

Secundò probatur eadem major sic. Nemo potest amare, & appetere finem supernaturalem, nisi priùs cognoscat illum: at hoc non solùm, quia nihil volitum, quin præcognitum; sed quia non cognoscens finem talem, nihil habet ejus; cognoscens verò, aliquid habet finis, & sic potest illum appetere: ergo omne appetens debet habere aliquid ejus, quod appetit. Minor explicatur ex doctrina Arist. in lib. de Anima, ubi docet, quòd intelligens objectum, fit intentionaliter ipsum objectum: ergo qui cognoscit finem supernaturalem, fit intentionaliter ipse finis supernaturalis; unde habet aliquid ejus, & fit ipsi similis. Ab hac similitudine impellitur cognoscens, ut appetat; sicut & non cognoscens retrahitur, & impeditur, ne desideret.

Probatur 3. philosophicè eadem major. Ignis, ut trahat sursum corpora, prius eis imprimit calorem, quo ea calefacit, rarefacit, & reddit levia. Ad

formam

formam istam levitatis, calidæ sequitur motus sursum corporis, & inclinatio in sphæram ignis. Sed inclinatio ista oriens à calore, oritur à calore, qui est aliquid ignis: ergo corpora solùm inclinantur, & appetunt locũ ignis, quia aliquid habent ejus, quod appetunt.

10. Ex dictis pro prima parte sententiæ nostræ, facilè probatur secunda, quæ traditur à D.N. hic. tex. 31. & in 2. Sent. dist. 12. q. 3. art. 2. dub. 2. ubi docet quòd materia informata una forma, alias appetit. Intellige materiam sublunarem; nam de cœlesti negandum est, ut infrà patebit. Probatur. Materia habet naturalem appetitum ad perfectionem, sibi naturaliter posibilem: sed forma est perfectio materię, ut nemo dubitat; aliunde est naturaliter posibilis materię habenti jam unam formam: ergo materia sublunaris informata una forma, alias appetit naturaliter. Probatur minor. Licèt forma existens in materia, impediat introductionem alterius formæ in consortio sui, reddit tamen materiam tangibilem, & alterabilem, capacemque dispositionum ad alias formas introducendas ab agentibus naturalibus: at hic est modus naturalis, quo redditur posibilis alia forma in materia: ergo.

Confirmatur. Materia habens unam formam, habet aliquid alterius formæ contrariæ primæ: sed ad appetitum sufficit habere aliquid ejus, quod appetitur, si illud sit posibile naturaliter: ergo materia informata habet appetitum ad alias formas. Cõsequentia tenet, minor constat ex dictis, & major pater ex eo, quòd contraria sunt sub eodem genere; unde habens unum ex contrarijs, habet aliquid genericum alterius contrarij cõtenti sub eodem genere.

Hinc evenit quòd materia habẽs unam formam, & alias appetens majori conatu appetit formam illam, cujus dispositiones habet. Hujus ratio est, quòd similitudo movet appetitum: ergo major similitudo majorem invehit appetitum. Sed materia habet majorem similitudinem cum forma, ad quam est dispositа, quã cum alijs formis, quarum dispositiones nõn habet: ergo materia majori conatu fertur in formam, cujus dispositiones habet.

11. Dices. Materia habens unam formam, aliã appetit, quia habet aliquid ejus, nempe rationẽ genericam formæ: ergo materia nuda poterit formam appetere, quia habet aliquid ejus, in quo materia est formæ similis, nempe rationem entis, & substantiæ. Et confirmatur. Vna forma contrariatur alteri, secùs materia formæ: ergo si vi similitudinis genericæ materia inclinatur in formam, nõ obstante contrarietate formarum; potiori titulo vi similitudinis analogicæ, materia nuda inclinabitur in formam, cui non contrariatur.

Respondetur ad replicam negando consequentiam. Similitudo enim analoga non sufficit ad appetitũ. Nulla est res adeò distincta, ut saltem analogicè non conveniat cum alijs: ergo si similitudo analoga sufficeret pro appetitu, quælibet res aliã appeteret: quod experiẽtia teste falsũ est.

Nec

Nec obstat confirmatio, petita ex contrarietate formarum; nam illa non obest, sed prodest appetitui, cùm reddat formas naturaliter assequibiles materiæ. Ostensum est, quòd formæ non sunt naturaliter possibiles materiæ, nisi vi agentis naturalis; constat etiam agens naturale solùm eas inducere transmutando subjectum de contrario in contrarium: ergo contrarietas formarum, reddit formas naturaliter possibiles, & est conditio ad appetitum materiæ, ex cujus entia probatum est, quòd appetitus non est in materia secundùm se. Vide num. 7.

12. Colliges ex dictis, quòd in materia cœlesti nullus est appetitus ad formas sublunares. Probatur. Appetitus naturalis est ad terminum, naturaliter possibilem: sed formæ sublunares non sunt possibiles naturaliter materiæ cœlesti: ergo ad eas nullum habet appetitum. Probatur minor. Vel consideras materiam cœlestem secundùm se, vel informatam forma cœlesti. Si primum? Ergo cùm forma non sit possibilis naturaliter materiæ secundùm se, ad illam non habet appetitum. Applica materiæ cœlesti secundùm se, rationes inductas pro materia sublunari secundùm se. Si secundùm? Ergo cùm unio materiæ cum forma cœlesti sit naturaliter indissolubilis; nec ullum sit agens naturale potens alterare cœlos; eò quòd cœlum est primum alterans, & primum alterans à nemine alteratur, sicut primum movens à nemine movetur, ut dicitur 7. Physic. Restat quòd forma sublunaris non est possibilis naturaliter materiæ

cœlesti, & sic nec in ea materia est appetitus ad illam.

§. III.

Quædam solvuntur contra nostram sententiam, & aliarum fundamenta expenduntur.

13. Contra nostram sententiam adest. 1. Quòd privatio est causa appetitus: sed in materia secundùm se datur privatio formæ: ergo in materia secundùm se datur appetitus ad formam. Secundò. Appetitus naturalis terminatur ad bonum conveniens: sed forma est bonum conveniens materiæ, adhuc sumptæ secundùm se: ergo in materia sic, datur appetitus ad formam. Tertiò. Appetitus materiæ immediatè fundatur in materia: ergo materia nudè sumpta, appetit formas. Cõsequentia tenet, quia si non materia sola, sed materia informata, aut dispositiva, apporteret formas, jam appetitus fundaretur in materia mediatè, mediante scilicet forma, & dispositionibus. Antecedens probatur. 1. Quia appetitus materiæ, sequitur ordinem potentialitatis materiæ ad formam: sed ordo iste non fundatur in materia ratione formæ, sed in materia ratione sui; non enim materia est potentialis ratione formæ, sed ratione sui: ergo &c. 2. probatur antecedens. Nos suprà q. 2. §. 1. explicantes cum P. Augustino rationes seminales materiæ, diximus esse aptitudinem materiæ ad formam: at hæc aptitudo est fundamentum appetitus: ergo appetitus materiæ immediatè

mediatè fundatur in materia.

Ad 1. neg. min. nam in materia secundùm se non datur privatio, sed negatio formæ. Ratio est, quia privatio est carentia formę in subjecto apto, & capaci illius: sed materia secundùm se, non est capax formæ naturaliter, & vi agentis naturalis, ut probatum est num. 7. ergo carentia formæ in materia secundùm se, est negatio, aut carentia in subjecto inepto; si quæ autem est capacitas in materia sic, solùm est obedientialis relatè ad agens Divinum, non autem naturalis relatè ad agens naturale.

Hinc ad 2. dic appetitum naturalem terminari ad bonum conveniens, non utcumque, sed ad bonum naturaliter conveniens: at forma solùm est bonum conveniens naturaliter, dum vi agentis naturalis inducitur: ergo cùm in materia secundùm se, non possit induci forma ab agente naturali; hęc non est bonum naturaliter conveniens materiæ secundùm se.

14. Ad 3. neg. ans. appetitus enim materię fundatur in potentia proxima illius ad formam, non autem in radicali: cùmque potentia radicalis materiæ reddatur proxima per dispositiones, quibus subditur virtuti agẽtis naturalis; jam appetitus materiæ non fundatur immediatè in materia, sed mediatè. Ad 1. probationem antecedentis dici potest, quòd ordo potentialitatis materiæ non fundatur in materia nuda, sed in materia informata. Ratio est, nam ordo iste respicit formas naturaliter possibiles; solùm autem sunt possibiles naturaliter materiæ informatæ, non autem materiæ nudæ, ut probatum est num. 7. Rursus ordo ille non fundatur in potentia radicali materiæ, sed in proxima; hæc autem non datur in materia nuda, sed in materia informata.

Dato autem, quòd in potentia radicali fundetur ordo materiæ ad formas; in tali ordine non fundatur appetitus, tum quia hic fundatur in potentia proxima, non autem radicali fundante ordinem. Tum quia cùm appetitus naturalis materiæ sit ad terminum naturaliter possibilem, & formæ non sint possibiles naturaliter materiæ nudæ; sicut appetitus non potest fundari in materia nuda, sic nec in ordine potentialitatis materiæ nudæ ad formas.

Observa quòd q. 6. dictum est appetitum materiæ fundari in potentia proxima, hoc est in potentia expedita ab omni impedimento. Sic ibi loqui oportebat. Et ut in præsenti locutio illa teneat, numera inter impedimenta ad formas nuditatem materiæ, nam revera reddit formas naturaliter impossibiles. Ergo si pro appetitu fundando requiritur potentia ab omni impedimento expedita, requiritur materia informata.

Ad 2. probationem antecedentis respondemus ex dictis q. 2. §. 1. num. 2. in fine, quòd rationes seminales datę sunt materię informatæ, ut constat ex cap. 1. Genes. ubi datæ insinuantur tertia, quinta, & sexta die creationis. Quare nec in materia nuda fundantur ipsæ, nec appetitus eas consequẽs, sed in materia informata.

15.

15. Argues 2. contra noſtrã ſententiam. Vel materia cœleſtis habet diverſum appetitum, ac materia ſublunaris, vel eundem: quidquid dicamus eſt contra noſtra principia: ergo &c. Probatur minor quoad 1. partem. Si utraque materia habet diverſum appetitum, utraque erit diverſæ ſpeciei; quæ enim habent eandem eſſentiam, habent eaſdem proprietates, inter quas numeratur appetitus naturalis innatus, qui datur in omnibus habentibus eandem eſſentiam: ſed hoc eſt contra dicta à nobis quæſt. 6. de unitate ſpecifica utriuſque materiæ: ergo in noſtris principijs dici nõ poteſt utramque materiam habere diverſum appetitum.

Quoad 2. partem probatur minor. Non poſſumus ponere in utraque materia eundem appetitum, niſi hic fundetur in materia ſecundùm ſe: ſed ponere appetitum in materia ſecundùm ſe, eſt cõtra principia hujus quæſtionis: ergo principia hujus quæſt. non cohærent quæſtioni 6. & quidquid dicamus de unitate appetitus, eſt contra noſtra principia. Probatur major. In materia cœleſti informata non datur appetitus ad formas ſublunares, qui datur in materia ſublunari: ergo ſi talis datur in materia cœleſti, fundatur in illa ſecundùm ſe, & præciſivè à formâ cœleſti informãte. Antecedens patet ex dictis q. 6. circa incorruptibilitatem cœlorum.

16. Reſpondemus, quòd Thomiſtæ diſtinguẽtes utramque materiam, tenentur ponere in eis diverſos appetitus. Nos autem tenemur idem aſſerere, licèt utramque materiam ſpecificè nõ diſtinguamus. Ratio eſt: quia utraque materia per nos ſolùm convenit in eſſentia, & in potentia radicali materiæ, ei convenienti pro priori ad omnem formam, & diſpoſitionem: at juxta hìc dicta appetitus materiæ non fundatur in potentia radicali materiæ ſecundùm ſe, ſed in potẽtia proxima, & diſpoſita, quę non eſt unica, ſed duplex in utraque materia: ergo tenemur dicere conſequenter appetitum utriuſque materiæ eſſe diverſum.

Hinc ad argum. conceſſa majori quoad 1. partem, neg. min. ad probationem ejus, diſt. maj. Si utraque materia habet diverſum appetitum, utraque erit diverſę ſpeciei, utraque ſecũdùm ſe, nego maj. utraque ut informata, concedo maj. ſub qua diſt. neg. min. & conſequentiam. Dixímus quæſt. 6. dubium de unitate materiæ procedere de materia ſecundùm ſe, non de materia informata, quia ſic eſt certum materias differre diſtinctione formarum: ergo cùm appetitus fundetur in materia informata, ponere appetitus diverſos arguit materias informatas ſpecie differre, non autem quòd materiæ differunt ſecundùm ſe. Quare non eſt contra dicta in q. 6.

Dices. Si appetitus differunt diſtinctione, qua differunt materiæ informatæ: ergo cùm materiæ ſublunares informatæ differant ſpecificè inter ſe, habebunt diverſos appetitus ſpecificè, & eſſentialiter: quod eſt contra communem Philoſophiam. Reſpondeo diſtinctione ſpecificam inter materias ſublu-

sublunares, ut informatas, de materiali se habere ad diversificandos appetitus, non de formali. Ratio est, quia appetitus petit formam in materia, non tamen requirit formam hujus, vel illius speciei. Rursus petit formam amissibiliter unitam; alioquin non posset aliam formam appetere, sed esset sicut materia cœlestis appetés appetitu gaudij formā, quā habet, sed aliā non desiderans. Ergo cùm formæ sublunares non differant, sed conveniāt in ratione formæ amissibilis; ideò in materijs sublunaribus datur unicus, & non diversus appetitus.

17. Restat expendere fundamenta 1. sententiæ, quatenus obstant secundæ parti assertionis nostræ. Ad 1. positum num. 1. dicimus appetitum materiæ non esse ad omnes formas collectivè, nec ad omnes divisivè cathegorematicè, sed divisivè sincathegorematicè in infinitum. Ratio est, quia potentia materiæ semper petit esse admixta privatione: ergo ejus appetitus nunquam venit ad ultimam formam, in qua quiescat. Ergo quòd recipere omnes formas cathegorematicè sit impossibile, non est contra rationē appetitus materiæ, sed essentiale appetitui admixto semper privationi formarum, Sic innuit D. Thomas 1. p. q. 7. art. 4. ad 1. & explicari potest exemplo divisibilitatis continui, quod essentialiter est semper divisibile, nec ejus divisibilitas unquam satiabilis, vel explebilis.

Ad 2. dic, quòd materia per se non appetit corruptionem formæ, quā habet, quia *Nemo intendens in malum operatur*; sed per se intendit recipere aliam formam, & ex consequenti, & per accidens, corrumpi præsentem. At in hoc non præponit bonum partis bono totius, sed cedit inclinationi universali, pulchritudinem amans universi; & hæc consistit in continua generatione, & desitione rerum.

Ad 3. dic, quòd in materia secundùm se, ubi repugnat conatus in formam, repugnat etiam appetitus juxta nostram sententiam. At in materia dispositā, ubi ponimus appetitum, agnoscimus conatum sicut in gravibus, & levibus. Quare sicut levia extrà centrum violentantur, quia ibi sunt contra conatum, & inclinationem suam; sic materia dispositā ad formam violentatur, si impediatur illam recipere.

Ad 4. dic appetitum materiæ esse ad omnes formas æqualiter, ut probatum est num. 3. & licèt appetitus insensibilium ordinatus sit, quia datus ab Authore naturæ: at hic Author ordinans, non curavit majorem, vel minorem perfectionem formę relatè ad materiam, sed pulchritudinem universi, consistentem in varietate. Ob quam materia patitur expoliari perfectiori forma, ut serviat meliori bono pulchritudinis universi. De quo plura lib. 2. circa violentum.

Ad 5. dic materiam gaudere de forma præsenti gaudio amissibili, sicut materia cœlestis inamissibili gaudio tenet formam cœlestem. Cum gaudio amissibili stat desiderium alterius formæ: sicut amori præsentis vitæ nostræ defectibilis, non opponitur desiderium vitæ æternæ futurę.

Ad 6. dic, quòd materia nunquam potest esse sine ista, vel illa forma; ceterùm cùm habita qualibet, eam teneat amissibiliter; ideò sic eam habet, ut in statu sit alias, & alias successivè desiderandi. Ob id materia informata est principium corruptionis, quatenus appetens alias formas, recipit earum dispositiones; & ideò ab Arist. & alijs vocatur, Venefica, Machinatrix &c. Quasi permittens corruptionem præsentis formæ, ut novam recipiat.

18. Ad fundamenta 2. sent. quatenus obstat primæ parti assertionis nostræ, respondemus; & ad 1. positum num. 2. Dicimus authoritatem Philosophi esse pro nobis: Nam turpe non appeteret pulchrum, nisi malè afficeretur forma, qua detur patur. Ergo nec materia appetit formam, nisi affecta, & disposita ad illam. Materia secundùm se, nequit esse disposita, sed solùm materia informata, ut probatum est: ergo juxta Philosophum datur appetitus formæ in materia informata, non autem in materia secundùm se.

Ad authorit. D. Th. dicimus S. D. ibi non loqui de appetitu materiæ ad formas, sed de appetitu essentiæ compositi ad esse existentiæ; de hoc dicit non esse quid additum essentiæ compositi, sed ipsam compositi essentiam, quę ratione materiæ appetit existentiam antequam habeat, & tenet ratione formæ postquam fuerit. Inde nil sequitur pro appetitu materiæ ad formas. Dices. Essentia juxta D. Thomam appetit existentiam antequam habeat: ergo & materia formam antequam habeat illam. Concedo totum de materia informata, sed neg. consequentiã de materia informi. Quia in essentia compositi est connaturalis existentia, sed non in materia secundùm se, ut probatum est.

Ad rationes omnes numeri secundi dic materiam appetere suã perfectionem naturaliter possibilem, non autem naturaliter impossibilem; sed formæ sunt naturaliter impossibiles materiæ nudæ, ut probatum est, nec materia nuda petens sui conservationem, potest petere ad illam, perfectionem aut formam naturaliter impossibilem: ergo rationes illæ probant in materia informata appetitum naturalem; secus in materia informi, & secundùm se.

§. IIII.

Deciditur quæstio circa formas amissas.

19. TEnent in materia appetitum naturalem ad formas amissas; hoc est ad formas, quæ aliquando fuerunt in materia, sed corruptæ & deperditæ sunt, Ioann. à Sancto Thoma, Lerma, Moneda, & alij pauci, docentes tales formas esse quoad entitatem proportionatas materiæ, licèt nõ quoad exercitium, & executionẽ, quia non datur virtus in agente naturali ad earum reproductionem; cùm solus Deus possit reproducere.

Hæc sententia probatur primò ex P. Augustino lib. 12. de Genes. ad litt. cap. 35. quem refert, & sequitur

D.

D. Thomas 4. Sent. dist. 49. q. 1. art. 4. & B. Ægidius 2. Sent. dist. 1. q. ultima. Ibi docet S. P. quòd animæ Sanctorum in Cœlo non amant nunc Deum ea intensione, qua illum amabunt post resurrectionem universalem, quia retardantur ne toto conatu ferantur in illud summum bonum, ab appetitu, quẽ habent reunionis ad corpus: & hoc ideò, *Quia inest animæ naturalis quidã appetitus corpus administrandi.* En argumentum. In anima separata à materia, datur juxta P. August. appetitus naturalis ad unionem cum materia: ergo in materia etiam erit appetitus ad formas separatas, & amissas. Probatur consequentia: tum, quia si impossibilitas naturalis reunionis non obstat pro appetitu naturali in anima, nec obstabit appetitui materiæ. Tum quia magis debet appetere materia animã, à qua perficitur, quàm anima materiã, à qua limitatur. Accedit authoritas etiam D. Thomæ 1. p. q. 76. art. 1. ad 6. dicens: *Sicut corpus à loco separatũ, manet cum appetitu, & inclinatione ad illum; ita in anima separata est inclinatio naturalis ad materiam.*

20. A ratione probatur sic. Forma amissa est proportionata materiæ: ergo illam appetit naturaliter. Antecedens probatur. Forma amissa est essentialiter actus primus materiæ: ergo &c. Confirmatur 1. Materia per suã essentiam est potentia ad omnes formas: ergo manet cum potentia etiam ad formas amissas. Patet consequentia. Quia quod convenit alicui essentialiter, semper & in omni statu debet ei competere: atqui materia habet appetitum naturalem ad omnes eas formas, ad quas est potentia receptiva: ergo habet appetitum naturalem ad formas amissas.

Confirmatur 2. Materia per suam entitatem non minus est potens recipere formas post earum corruptionẽ, quàm antea: ergo non minus illas appetit post corruptionem, quàm antea. Patet consequentia, quia appetitus fundatur supra potentiam materiæ.

Confirmatur 3. Ideò illas non appeteret, quia sunt naturaliter impossibiles: sed stat appetitus naturalis ad terminũ naturaliter impossibilẽ. g. &. Probatur minor. Stat appetitus elicitus ad terminum naturaliter impossibilem: ergo & innatus. 2. probatur minor. Stat in cæco appetitus naturalis videndi; in naufraganti appetitus conservandi vitam; in peccatore desiderium de eo quòd non peccaverit; in adultero appetitus virginitatis: sed hæc omnia sunt impossibilia: ergo.

Tandem Humanitas Christi Dñi appetit naturaliter propriam subsistẽtiam; item accidentia Eucharistica appetunt suum subjectum inhæsionis, nempe substantiam panis destructam: at hæc sunt naturaliter impossibilia: ergo licèt reproductio formæ corruptæ, aut reunio formæ separatæ, sint naturaliter impossibilia, dabitur in materia appetitus naturalis ad formas, & reunionem cum formis amissis.

21. Contraria sententia est cõmunis inter Thomistas, pro qua N. Villanova citat omnes nostros DD. cum eis eam defendimus. Probatur 1. ex

principijs Augustinianis datis suprà q. 2. §. 1. num. 3. ex P. lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 17. ubi distinguens rationes seminales, quibus fit quidquid fit, dicit alias esse naturales, deservientes effectibus usitati cursus naturæ, alias obedientiales pro effectibus miraculosis, qui fiunt virtute Divina, & ad quos non est virtus in agente naturali. Talis fuit formatio Hevę ex costa Adami juxta S. P. loco laudato: & talis est resurrectio mortuorum, & reproductio cujuscumque formæ deperditæ. Ex qua doctrina sic.

Non datur in materia appetitus naturalis, nisi ad formas, ad quas habet rationē seminalē: sed ad formas amissas non datur in materia ratio seminalis juxta P. Augustinum, sed solùm ratio obedientialis: ergo ad illas non datur in materia appetitus naturalis. Consequentia tenet, & major patet ex doctrina S. P. in qua virtus passiva materiæ correspondet virtuti agentis naturalis: sed nulli agenti naturali dedit Deus virtutem reproducendi, & reuniendi formas amissas, cùm hoc sit opus miraculosum. Major autem videtur certa, quia eadem est ratio ponendi in materia appetitum ad formas, ac rationem seminalem; maximè cùm ratio seminalis inclinet materiam in formam, ut q. 2. dictum est; appetitus autem nil est aliud quàm inclinatio rei in propriam perfectionem.

22. Confirmatur ex Div. Thoma lib. 2. contra Gent. cap. 60. ubi docet quòd in quocumque genere potentia passiva correspondet virtuti activæ; sed in nullo agente naturali datur virtus activa ad reproductionē formæ amissæ, vel reunionem ejus cum materia: ergo nec in materia est potentia naturalis ad formas amissas. Ergo nec naturalis appetitus, qui supponit naturalem potentiam.

Confirmatur 2. ex B. Ægidio ubi suprà, negante & probante, quòd in materia secundùm se, non est appetitus ad formas, quia istæ sunt naturaliter impossibiles materiæ: at formæ amissæ sunt amplius impossibiles materiæ informatæ, quàm formæ non productę relatè ad materiam secundùm se: ergo potiori titulo negandus est materię appetitus ad formas amissas. Probatur minor. Formæ nondum productæ sunt naturaliter impossibiles materiæ secundùm se, unicè quia materia nuda non est tangibilis, nec alterabilis ab agente naturali, ut probatum est num. 7. At etiam materia non est tangibilis, & alterabilis ab agente naturali pro formis amissis; & ultrà istę formæ non continentur in virtute agentis naturalis: ergo &c.

Minor probatur, & simul explicatur impotentia agentis naturalis ad formas amissas. Forma amissa, est forma producta ab agente; forma producta, jam est extra causas, & extra virtutem agentis, quare jam non continetur in virtute illius. Si non continetur forma in agente, non continentur etiā dispositiones ad formam: ergo agens naturale duplici titulo nequit reproducere formam amissam, nempe quia non continet illam, item quia non cōtinet dispositiones ad formam, quibus materia est transmutabilis, & alterabilis;

bilis; unde non potest materiam alterare ad formam amissam. At relatè ad materiam secundùm se, solùm datur unicus titulus impotentiæ, ut patet ex dictis: ergo &c.

23. Confirmatur 3, contra Thomistas laudatos pro prima sententia, quam defendere non possunt sine inconsequentia doctrinæ. Ipsi distinguentes materiam cœlestem à sublunari, ut vidimus q. 6. negant in materia cœlesti appetitu ad formas sublunares, quia nullum est agens naturale potens destruere cœlos, & inducere formam sublunarem in materia cœlesti. Ex quo inferunt materiam illam respicere formam cœlestem ut terminum adæquatum suæ potentiæ, & appetitus naturalis: at etiam nullum est agens naturale potens inducere formam amissam in materia sublunari, ut fatentur: ergo tenentur dicere, quòd formæ nondum productæ, sunt terminus adæquatus potentiæ, & appetitus materiæ, & sic non erit in materia appetitus ad formas amissas, nec defendi sine inconsequentia doctrinæ.

24. Ad fundamenta contraria respondemus: & ad authoritatem P. Augustini dicimus S. P. sicut & D. Thomã ibidem allegatũ, loqui de appetitu elicito animæ, supponente cognitionem; qui ideò dicitur naturalis, quia necessarius est, & non liber. Hic appetitus terminari potest ad impossibile, nam terminatur ad rem, ut cognitam: potest autem cognosci impossibile ut possibile: quare appetitu naturali elicito potest appeti naturaliter impossibile. Talis est appetitus in anima ad reunionem cum corpore. Nec valet consequentia ad appetitum materiæ, & insensibilium, qui innatus est, datus à natura, & pro termino naturaliter possibili. Sic respondet N. Villanova cum alijs, negantibus consequentiam de appetitu elicito ad innatum.

Ceterùm licèt consequentia benè negata sit, solutio continet doctrinam difficilem, pro cujus expositione argue sic contra solutionem. Concipere impossibile, ut possibile, est error, qui non datur in anima Beata separata: at in ea datur appetitus reunionis: ergo vel quia appetitus iste terminatur ad impossibile, ut tale: vel quia terminatur ad illud possibile per quãcumque virtutem, licèt naturaliter impossibile virtute agentis naturalis. Vrgetur. Vi talis appetitus retardatur anima ab intensione amoris Divini; nec daretur appetitus ille juxta solutionem, nisi apprehenderetur ut possibile quod est impossibile: sed Deus non debet permittere Beatis animabus hanc erroneam apprehensionem, ut retardentur ab amore beatifico: ergo non ideò animæ appetunt reunionem, quia cognoscunt impossibile, ut possibile.

Dicendum putamus, quòd animæ, clarè videntes in Essentia Divina, quod hìc fide crediderunt, vident futuram corporum resurrectionem, & gloriam corporalem ex redundantia animę futuram. Totum hoc vident in Humanitate Christi Dñi, & Sanctissimæ Dei genitricis, eorumque Sanctorum, qui surrexerunt cum Domino, & asi-

assistunt plenè glorificati. Sed videnti etiam resurrectionem illam naturaliter impossibilem agenti creato, possibilem esse agenti Divino, *apud Deum enim non est impossibile omne Verbum.* Ab hac cognitione resurrectionis possibilis, regulatur appetitus ille: quare non appetunt impossibile, cognitum ut possibile: sed impossibile naturaliter, cognitum ut possibile supernaturo agenti: & hæc est cognitio vera, digna Beatis, sufficiensque pro appetitu illo, qui solùm est naturalis modo dicto; sed innatus non est.

25. Ad rationes postas num. 20. respondemus quòd forma amissa, est proportionata entitativè, sed non ut amissa: quia ut sic non continetur intra virtutem agentis naturalis, & consequenter nec in potentia naturali materiæ, quæ correlativa est virtutis agentis. Est ergo entitativè actus primus materiæ, sed non relatè ad potentiam naturalem ejus, sed ad obedientialem, quæ respicit agens supra naturam. Observa quòd reunio, & reproductio est actio Dei, quæ entitativè dicitur naturalis ratione termini, qui naturalis est; & quoad modum supernaturalis, quia modus est supra naturalem ordinem. Sic forma amissa, est entitativè naturalis, sed dici potest quoad modum supernaturalis, ut de actione reproductiva dictum est.

Ad 1. confirm. dic materiam esse potentiam ad omnes formas, sed naturalem ad formas quas potest agens naturale; & obedientialem ad formas, quas solùm potest agens Divinum. Agens naturale non potest ad formas

amissas; quare nec materia habet potentiam naturalem ad eas; ergo nec appetitum, qui fundatur solùm in potentia naturali materiæ.

Ad 2. confirm. neg. ans. Nam agens naturale post productionem effectus est minus potens, quàm antea, ad differentiam agentis Divini potentis reproducere; & ideò æquè omnipotentis post, ac ante productionem. Ergo cùm potentia materiæ sit correlativa agentis, materia est minus potens recipere formam post corruptionem, quàm antea. Antea erat potentia naturalis; postea est solùm obedientialis, quæ minor est.

Ad 3. confirm. neg. min. ad 1. ejus probationem nego consequentiam de appetitu elicito ad innatum propter dicta num. 24. Ad secundam probationem dic de cæco, naufrago, & alijs, appetere illa impossibilia, vel quia falsò apprehendunt esse possibilia; vel quia verè apprehendunt possibilia esse Deo, cui nil est impossibile. Cùmque ille appetitus sit elicitus, regulatus cognitione, terminatur ad id quod per cognitionem possibile est. In nostro casu appetitus materiæ non terminatur ad rem ut cognitam, sed ad rem in se; in se autem est naturaliter impossibilis: ergo ad eam non datur naturalis appetitus. Froylan cum alijs dicit hos appetitus esse radicales, non proximos. Sed solutio data solidior est.

26. Ad ultimam confirmat. quæ difficilior est, quoniam essentialis est accidenti exigentia subjecti inhæsionis, cùm essentialiter sit *ens in alio exactivè*: Froylan, & alij dicunt accidentia

dentia habere exigentiam radicalem, non proximam subjecti destructi: eâ-dem concedunt materiæ ad formas a-missas; sed negant appetitum, & exi-gentiam proximam. Villanova negat consequentiam. Quia in accidentibus, & in Humanitate Christi Dñi manet virtus existendi naturaliter, quæ solùm ab extrinseco impeditur. In tali virtu-te fundatur appetitus. In materia autè non manet virtus ad formam amissam, sicut nec in agente: quare non manet appetitus ad formam amissam.

Dici potest, Quòd accidentia Eu-charistica, & Humanitas Christi D. cõ-servantur à solo agente Divino, agen-te supra naturam, possunt naturaliter appetere quidquid est possibile tali agenti; ei autem possibilis est substan-tia panis destructa, & subsistentia pro-pria Humanitatis. At materia, quæ for-mas amisit, conservatur naturaliter cum alijs, & dependenter ab agente naturali: cui cùm sit impossibilis re-productio formæ amissæ, sit impossibi-lis respicitur à potentia naturali materiæ; & ideò non appetitur.

QVÆSTIO VNDECIMA.

An sit, & quid sit forma substantialis?

§. I.

Ostenditur existentia formæ substantialis.

1. REfert Aristotéles sententiam quorumdam Philosophorum, negantium distinctionem materiæ à forma; eis adhærent quidam suppresso nomine citati à Scoto. Hi omnes te-nent eandem entitatem indivisibilem esse materiam, & formam; quare per consequentiam legitimam negant ge-nerationes, & corruptiones; & quòd formæ educantur de potentia mate-riæ; nec minus consequenter negatur ab eis Philosophis existentia formæ, semel quòd eam non distinguunt rea-liter à materia. Hic error planè anti-quatus placuit aliquibus Recentiori-bus sine nomine citatis à Ioanne à S. Thoma hìc q. 3. art. 1.

Vera, & Catholica sententia do-cet dari de facto formas substantiales, easque realiter distingui à materia. Hanc sententiam prolixè nimis pro-bat Cardin. Aguirre 1. Physic. disp. 6. sect. 1. Nos breviter eam, sed efficaci-ter probabimus. Et omissis, quæ dixi-mus q. 3. pro suadenda existentia ma-teriæ, & quidditate illius, quæ com-probant etiam existentiam formæ, & distinctionem ejus à materia; suade-tur utrumque argumento oculari de-sumpto ex morte hominis, in qua ani-ma rationalis separatur realiter à ma-teria: ergo quia realiter distinguũtur. Aliunde quòd anima sit forma patet ex Concilio Lateranensi sub Leone X.

sess.

sess.8.& in Clementina unica de Summa Trinitate, ubi definitum est animam intellectivam, vel rationalem, esse immortalem;& formam corporis humani.

Audi S.P.Augustinum in morte hominis, separante spiritum à corpore,digito quasi ostendetem distinctionem materiæ à formæ,& excellentiam animæ rationalis informantis;ex damnis corpori illatis vi solius animæ absentis.Serm.33.cap.3.dicit sic:*Corpus, quod vivit ex anima,fit exanime discedente anima.Qui ambulabat, jacet; qui loquebatur tacet:clausi oculi lucem non capiunt, aures nulli voci patescunt;omnia membrorum officia conquieverunt; non est qui moveat gressus ad ambulandum,manus ad operãdum,sensus ad percipiendum.Nonne ista est domus, quam nescio quis invisibilis habitator ornabat? Discessit,qui non videtur, remansit, quod cum dolore videatur*. En forma est invisibilis habitator domus corporeę, dum corpus informat;cujus distinctio à corpore suadetur ex separatione,quam testatur sensus,& membra viribus destituta suis ab omni vitali officio suspensa.

2. Sed quia contrarij respondere possunt,se loqui de alijs formis exceptâ anima rationali, de qua loquuntur PP.&Concilia,dum astruũt distinctionem formæ à materia: Argues sic pro alijs formis. Primò pro animalibus,quorum mors testatur etiã distinctionem illius invisibilis habitatoris à corpore inhabitato, & per mortem derelicto: nam in animalũ cadavere,membra,& sensuum organa, manent,absente anima,ab omni officio suspensa.Idem videmus in vegetabilibus,dum secantur, vel arescunt, tunc enim deficit viror, suntque quasi cadavera vitali actione destituta.

Nec sola mors, sed etiam vita, consistens in motu à se,& in se,testatur existentiam formæ,& distinctionẽ ejus à materia in quocumque viventе.Hanc probationem adducit B. Æg. in Exam.p.1.cap.6,videmus enim res aliquas moveri ab intrinseco per motum,alijs rebus repugnantem. Sic videmus arbores crescere, & animalia ambulare;qui motus lapidi repugnãt: ergo quia arbores,& animalia habent aliquam formam,à qua radicaliter venit ille motus,quam formam non habet lapis. Patet consequentia. Quia talis motus nequit oriri ab aliqua forma accidentali; aliunde nec à materia: ergo purè à substantiali forma. Minor patet,nam lapis, & animalia habent materiam communem:unde si à materia veniret motus ille, daretur in lapide habente communem materiam.Quod autem non veniat à formis accidentalibus,probatur.Nam vel istæ formæ accidentales oriuntur ab alijs formis,ut à radice,vel non.Si nõ: Ergo non sunt formæ accidentales, sed substantiales, quę à nemine radicatæ,cetera radicant. Si radicantur in alia forma? Ergo jam concedis formã substantialem,radicantem accidentales,ipsa tamen à nullo radicata.

Tandem id probamus argumento,quò materiam existere ostendimus, sumpto ex generatione, & corruptione sublunarium,quæ innegabilis juxta

dicta

dicta q.1.num.3. De facto videmus animalia,& alia plura entia corrumpi, ex eisque alia denuò generari. Ergo vel totum animal corrumpitur, vel solùm aliqua ejus pars. Si totum animal convertitur in aliud? Ergo naturaliter fiunt conversiones totales; & sic non erit miraculosa conversio totalis panis in substantiam Corporis Christi Dñi & hoc concedere absurdum est. Si convertitur pars animalis? Ergo jam admittis in nim li d_ s partes realiter distinctas, quarum una deficit, alia manente. Talia dicimus nos de materia & forma.

Rursus. Dum aliquid denuò generatur, aliquid denuò substantialiter producitur: sed non materia; quia hæc est ingenerabilis, & à solo Deo Creatore produci potest, ut ostensum est q.3.num.5. Ergo denuò generatur aliqua substantia distincta à materia. Istam substantiam formam dicimus, ex qua,& materia fit compositum substantiale, quod est unum per se.

§. 11.

Traditur diffinitio formæ substantialis.

3. PRobata existentia formæ substantialis, quærimus quid sit? Hoc ex ejus diffinitione pateret, si à DD. uno modo diffiniretur. AA. variant,& eorum diffinitiones expendere oportet: si plura desideres, consule Merinerum in præsenti. Prima est sic: *Forma est actus primus materiæ.* Ita communiter Thomistæ; sed contradicunt alij, illi nempe, qui negant materi essentialiter dependere à forma in existendo. Nam ly *Primus*, denotat ordinem, quo materia prius actuatur per formam, & secundò per existentiam; quæ ideò à Thomistis vocatur actus secundus de linea essendi. Vel ergo hic ordo est essentialis, vel connaturalis. Si connaturalis? Ergo non est de essentia formæ esse actū primum materiæ; & sic diffinitio data non est essentialis. Si essentialis? Ergo impotens immutari à Deo, qui nequit invertere rerum essentias: unde non poterit adhuc divinitus existere materia sine forma. Quod cùm nō admittatur à multis, ab eisdem negatur diffinitio illa ut essentialis.

Nos tamen, qui quæst.9. defensavimus materiam pōsse divinitus existere sine forma, possumus ex nostris principijs admittere diffinitionem istā Thomisticam, notando, quòd ly *Primus* non sumitur *exercitè*, sed *exactivè*, ut diximus q.citata: modo quo accidens est ens in alio exactivè, sed non exercitè. Quo fit, ut essentia formæ sit exigere dare materiæ primam actualitatem: quod si divinitus evenivet aliter, ageret Deus contra exigentiam formæ, & materiæ, sed non contra ullius essentiam.

4. Suarius in Metaphysica disp.61.sect.5. diffinit formam sic. Est *substantia simplex, & incompleta, quæ actuando materiam, cum ea constituit essentiam substantiæ completæ.* Hanc diffinitionem tenet Arriaga: sed illam impugnat Merinerus, primò, quia non est de essentia formæ constituere compositum. Patet hoc in anima separata,

quæ habet essentiam formæ; nec tamè separata cõstituit compositũ, aut substantiam completam. 2. Quia superfluit ly *simplex*, & ly *substantialis*, & ly *incompleta*. Nam si forma est talis, ut cum materia constituat unum per se: ergo necessariò debet supponi quòd forma est simplex, substantialis, & incompleta. Patet consequentia, nam materia nequit constituere unum per se cum ente composito, completo, aut accidentali.

Melius diffinires formam si diceres, quòd forma est *actus materiæ, constitutivus unius per se*. Ly *actus* est quasi genus, quo forma convenit cum accidentibus, cum existentia, & subsistentia, quæ sunt actus. Ab eis differt per reliqua. Nam accidentia, dum actuant materiam, non faciunt cum ea unum per se, sed per accidẽs. Subsistẽtia, & existentia, actuant materiam, sed non faciunt cum ea unum per se, vel per accidens, quia non dant illi unitatem substantialem, vel accidẽtalem, sed eam in materia supponentes, complent unitatem, & entitatem ejus. Vbi nota differentiam inter formam, & existentiam. Materia per formam determinatur ad speciem substantiæ completæ; unde ab illa accipit unitatem specificam per se talem; & in hoc sensu facit unum per se. Existentia non sic: nam casu quo Deus divinitus poneret materiam existentem sine forma, tunc non haberet unitatem positivam formaliter, sed purè transcendẽtalem, quam habet ex se juxta dicta in q. 5. & per existentiam esset actuata actualitate completiva entitatis transcendental's.

5. Ex Magn. P. Augustino diffiniri debet forma sic. *Entitas substantialis dans speciem substantialem materiæ*. Si superfluat ly *substantialis*, tolle, & dic: *Entitas dans speciem substantialem materiæ*. Probatur eis authoritatibus, quibus ex M.P. Augustino probatum est q. 5. quòd materia est quædam informitas sine ulla specie, & quòd à forma recipit speciem, & unitatem formalem. Ne tamen putes qualitates dantes materiæ speciem accidentalem, esse formas substantiales, additur ly *speciem substantialem*, quod à sola forma substantiali præstari potest materiæ. Si quid ultrà desideres in quæst. ista, alios vide cum quibus concordamus, nam alia plura nos vocant, nec in omnibus immorari licet.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Quæ formæ educuntur de potentia materiæ?

§. I.

Explicatur prolixè quid eductio sit, & quid creatio.

1. NON omnes antiqui Philosophi, qui benè de forma sentientes, distinguebant eam à materia, benè philosophati sunt circa eductionem ejus ex materia. Orti sunt errores ex difficultate hujus asserti *Ex nihilo nihil*

nihil fit. Nam ponere materiam nudâ, ut ex eâ forma fiat, est ponere formam fieri ex nihilo formæ in materia: & hoc contradicit illi asserto.

Ob hoc Anaxagoras posuit formas latitare in materia; nec aliter produci, nisi quando agens mediis dispositionibus, alterantibus materiam, illas detegebat. Sententiam istam ut erroneam impugnat Arist. hic, & cum eo D. Th. & B. Ægidius. Rejicitur, quia in ea negantur generationes substantiales, & solùm astruuntur alterationes qualitatum; cùm nihil fiat de novo, sed unicè alteretur materia. Adde esse incredibile in materia infinitas formas latitare, eisque materiam gravidam, & oneratam, usque dum ab agente alterante, in lucem prodeant, detegantur, & appareant.

2. Per oppositum alij putarunt nullas formas in materia contineri, sed in virtute agentis superioris, illas in materia inducentis postquam agens inferius materiam disponebat. Sic tenebant isti de formis, qualiter nos de anima rationali, quæ non continetur in potentia materiæ, sed in virtute Dei creantis, qui illam inducit, & unit materiæ postquam generans materiam disponit. Tribuitur hæc sententia Platoni dicenti tale agens supremũ esse ideas rerum, à singularibus separatas: quas ponebat necessarias nedũ ad cognitionem, sed etiam ad generationem, ut diximus lib. 3. Logicæ q. 2. Citatur pro hac sententia Avicena, dicens tale agens supremum esse intelligentiam omnium supremam, quam vocabit *Colcodem*, hoc est formarum datricem. Hujus sententiæ defensores dicti sunt *Datores formarum*.

Impugnatur hæc sententia à Philosopho, D. Thoma, & Beato Ægidio, quia secundùm illam nulla forma de facto generatur, sed omnes creantur. Nam si nulla continetur in potentia materiæ, omnes sunt sicut anima rationalis: sed quia anima rationalis nõ continetur in virtute materiæ, anima non generatur, nec potest, sed unicè creatur: ergo omnes creantur de facto, nec potest aliter esse. Si concedas sequelam, en absurdum: nam cùm solus Deus creare possit, nullum erit agens creatum, potens producere formam, aut materiam; & sic nec potens operari in sui propagationem, quod est contra illud Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini*. Item incidis in errorẽ eorum, qui docuerunt agentia creata nil operari, sed solum Divinũ ad præsentiam agentis creati.

In Logica defensavimus verum sensum Platonis circa ideas, quoniam Magn. P. Augustinus pro Platone tenet contra Aristotelis interpretationẽ: liceat nũc breviter in defensione ejusdem platonizare. Sententia Philosophi Divini verissima est, si cum Magn. P. Augustino exponatur, ut debet. Vide quæ diximus hic q. 2. de rationibus seminalibus, dogma quod à Platone desumpsit P. N. Augustinus, ut ibi notatum est. Omnes ergo forma derivãtur à Deo per rationes seminales, quas indidit materiæ, & agentibus, ad proprios effectus. Has formas, contentas in materia per rationes seminales, educit agens ex materia, operans in virtu-

te Dei. Et cùm sine rationibus seminalibus, quas diximus tertium principii entis, non dentur generationes; vera est sententia Platonis, asserens in materia secundùm se, non contineri formas, sed purè derivari ab agente supremo (intellige per rationes seminales.) Hoc agens supremum, quod à Platone vocatur idea, est ipse Deus, vel Divina Essentia imitabilis à creaturis, quæ idea dicitur à Theologis, & à Magn. Augustino vocatur *Ratio*, ut q. 2. dictum est.

3. Inter has aniquorum sententias mediat Aristotelica, quæ magis accedit ad veritatem, licèt non plenè vera sit, quia lumine naturæ discurrens non agnovit creationem, sed generationem, & eductionem. Sentit Aristoteles formas omnes educi ex materia, in qua continentur, non actu, sed potentia, & virtute. Cùmque materia non sit nihil, nec ens simpliciter, sed medium, nempe ens in potentia, ut q. 4. distum est; ideò quæ fiunt, nec fiunt ex ente, nec fiunt ex nihilo, sed ex ente in potentia. Hoc sensu cum veritate, & sine errore aliquo ex relatis, salvat illud assertum *Ex nihilo nihil fit.*

Catholici omnes, qui Aristotelis assertа sequuntur, sed correcta, & purgata ab erroribus incidentibus; dicunt illud assertum *Ex nihilo &c.* falsum esse de jis, quæ fiunt per creationem, v.g. de anima rationali, & de materia. Sanè materia non fit ex ente in potentia, cùm non fiat ex alia materia: ergo vel materia non fit, sed est æterna, & infecta; vel fit plenè ex nihilo. Primũ concedit Aristoteles, ne concedat secundum. Sed erravit, & à fidei dogmatibus corrigendus est in Scola Christiana. Idem dic de anima rationali, quæ cùm non pendeat in conservari à materia, eò quòd separata existit, & subsistit; etiam non pendet in fieri, unde non educitur de potentia materiæ, nec fit ex ente in potentia: ergo plenè fit ex nihilo. Quare nec illud assertum tenet in anima nostra.

Vera ergo & Catholica sententia docet actionem factivam rei esse vel creationem, vel eductionem. Hæc divisio si applicatur actioni factivæ formæ, adæquata est; nam quæcumque forma fit, vel creatur, vel educitur. At non est divisio adæquata respectu compositi. Nam actio generativa hominis creatio non est; cùm nulla creatura possit creare; ec est eductiva, cùm nulla sit forma terminãs actionem, nisi anima rationalis; & hæc non educitur, sed creatur. Potest tamen dici quòd actio generativa habet pro termino unionem animæ, & corporis, & ideò vocatur unitiva: hæc autem unio revera educitur; nam licèt spiritualis sit, ut anima rationalis, sapit naturam utriusque extremi uniti; & pendet à materia in esse, & conservari, quod sufficit ad eductionem sui.

4. In hoc conveniunt omnes DD. quòd creatio sit *fieri rei ex nullo præsupposito subjecto*: eductio autem *fieri rei ex præsupposito subjecto.* At quomodo istæ diffinitiones debeãt intelligi, dubium est, in quo varia sunt AA. placita, de quibus vide N. Gavardi tom. 3. sue. Theologiæ quæst. 2. de

crea-

creatione, ubi prolixè disputat de hoc, ex ipso rationes dubitandi, & nostram sententiam proponemus.

Circa creationem dubitatur. An illa particula *Nullo subjecto præsupposito*, debeat intelligi, ita, ut de essentia creationis sit nullum præsupponere subjectum ullo modo? Citat Gavardi Thomistas affirmantes cum D. Thoma 1. p. q. 45. art. 4. & docentes, quòd illa sola res creatur, quæ vel existit sine subjecto, vel potest existere. Quare licèt anima rationalis præsupponat subjectū in quo recipitur, nempe corpus; at quia potest existere sine corpore, ideò creatur. E contra, quia gratia, & omnia accidentia supernaturalia, non possunt existere sine subjecto, ideò non creantur, sed educuntur de potentia obediențiali animæ, & naturæ spiritualis.

Pro contrariâ sententia citat B. Ægidium in 2. Sent. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 4. & dist. 26. q. 1. art. 2. ad 3. & in Exam. 1. p. cap. 1. & alibi. Vbi docet, quòd res quæcumque sive existat, sive non existat independenter à subjecto, creatur propriè, dummodo non fiat per eductionem. Quare ly *ex nihilo*, negat solum subjectum *ex quo* res educatur; non verò subjectum *in quo* res producitur. Hæc Gavardi.

Sed non benè videtur allegasse Thomistas, & D. Thomam pro hoc dubio. Nam quidquid sit de gratia, quam D. Thomas defendit eductam, sed N. B. Ægidius creatam: At falsum est, D. Thomam, & discipulos suos tenere, illas solùm formas creari, quæ possunt existere sine subjecto. Infrà enim videbitur de mente Thomistarum formas cœlorum, & elementorum creatas esse in primâ productione mundi, cùm tamen sine subjecto non possint existere naturaliter. Nec D. Thomas aliter explicat nihilum creationis, vel ly *ex nullo subjecto*, nisi negando subjectum *ex quo*, qualiter de mente B. Ægidij dictum est. Audi S. D. 1. p. q. 45. art. 1. ad 3. ubi ait: *Ad 3 dicendum, quòd cùm dicitur aliquid fit ex nihilo, hæc præpositio ex, non designat causam materialem, sed ordinem tantùm, sicut cùm dicitur ex mane fit meridies.* Posteà autem admisso quòd ly *ex*, denotet subjectum; dicit denotare subjectum negatum, unde ait: *Et est sensus, fit ex nihilo, ideſt non fit ex aliquo.* Et infrà: *Primo modo hæc præpositio ex, importat ordinem, ut dictum est. Secundo modo, importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.* En ly *nullo subjecto*, solum negat apud Div. Thomam subjectum *ex quo*, non *in quo*: quare nec D. Thomas, nec Thomistæ aliter sentiunt ac Ægidiani.

Restat ergo dicendum de concordi utriusque Scholæ sententia, res illas creari, quæ non præsupponunt subjectum *ex quo*. Illas verò educi, quæ fiunt ex subjecto præsupposito, nedum *in quo*, sed *ex quo*, nam anima rationalis præsupponit subjectum *in quo* recipitur, sed creatur, quia subjectum præsuppositum est *in quo*, non *ex quo*. Hæc doctrina plenè traditur etiam à Magn. P. August. qui lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 6. loquens de anima rationali dicit *Eam non ex materia factam, sed secundùm materiam*, hoc est aptam

infor-

informate materiam. Vnde dicit animam creatam, & non eductam: quia licèt supponat subjectum *in quo*, & ideò sit facta *secundùm materiam*, non supponit subjectum *ex quo*, quia non est facta ex materia.

Profundius solitò loquutus est S. P. lib. 1. de Genes. contra Manich. cap. 6. docens materiam esse creatam, quia *Materia de omnino nihilo facta est*. Perpende ly *omnino*, quo videtur denotari creationem nullum præsupponere subjectum *in quo*, aut *ex quo*; & ideò sola materia creatur, quæ nullū *in quo*, & *ex quo* subjectum præsupponit. At non sic intelligendus est N. M. P. sed observato, quòd formæ educibiles ex materia, fiunt ex nihilo sui; non creantur, quia non fiunt ex *omnino nihilo*, sed de materia, vel ex materia, quæ non est nihil, sed prope nihil juxta S. P. quare formæ istæ sic eductæ non fiunt *de omnino nihilo*, sed de nihilo sui, & ex materia. Quæ verò creatur, ut anima rationalis, & alia fiunt de *omnino nihilo*, quia nec fiunt ex aliquo sui, nec fiunt ex materia, ut subjecto *ex quo*.

6. Restat videre quid sit educi, & fieri ex materia, ut subjecto *ex quo*? D. Thomas 1. p q. 90. art. 2. ad 2. dicit: *Actum extrahi de potentia materiæ nihil aliud est, quàm aliquid fieri actu, quod prius erat in potentia*. Hoc explicans Cajetanus ibi dicit sic. Nihil aliud est formam educi de potentia materiæ, quàm materiam transmutari transmutatione sufficienti, ita quòd ex vi transmutationis materiæ forma resultet. Eodem modo id exponunt præcipui Thomistæ, ut Complutenses disp. 4. q. 1. §. 2. Joann. à S. Thoma in Philosophia q. 4. art. 2. Hæc eadem est sententia Beati Ægidij multis locis, quā allegat M. Villanova 1. Physic. disp. 5. dub. 3. cap. 3. ubi diffiniens eductionem dicit sic: Educere est *facere effectum dependentem in fieri, & conservari ab alio præsupposito effectu, per actionem transmutativam naturalem*.

Vbi nota, quòd tria necessariò desiderantur ad eductionem. Primò, quòd sint duo effectus, hoc est duo termini diversarum actionum, quorum unius præsupponatur ad alium. Secundò, quòd terminus eductus pendeat in fieri, & conservari à termino præsupposito. Tertiò, quòd fiat per transmutationem, & motum termini præsupositi. Explicatur exemplo ignis comburentis stupam, ubi ignea stupæ flamma sine dubio educitur de materia stupæ ab igne agente, & comburente. Hic vides primò duos effectus in igne, & flamma genita; nam adest ibi materia, & flamma ignis, quæ sunt duæ entitates, quarum materia est terminus actionis creativæ Dei, forma autem ignea est terminus actionis creatæ combustivæ, vel ignitivæ. Harum entitatum materia præsupponitur ad formam ignis, denuò genitam. Vides secundò quòd nova forma ignis pendet in fieri, & conservari à materia stupæ præsupposita, cùm sine tali materia non possit existere naturaliter. Tertiò vides, & hoc est præcipuum pro eductione, quod agens educit de materia stupę formam igneam, alterando

rando per calorem, & transmutando superficiem, motu, transmutatione, & alteratione successiva, & continua.

Dixi, quòd hoc tertium est quod maximè attenditur pro eductione, nã si hoc deficiat, non datur eductio, sed creatio, licèt alia duo dentur. Est expressa doctrina Magn. P. Augustini lib. 9. de Genes. ad lit. c. 15. Vbi agẽs de formatione Hevę ex costa Adami, ait fuisse creationem, quia licèt Heva facta fuerit ex natura viri præsupposita, creata est, quia à Deo facta est sine motu, & transmutatione naturæ. En verba N. Magn. P. *Natura quippe mulieris creata est, quamvis ex virili, quæ jam erat, non aliquo motu jam existentium creaturarum.*

7. Ratio hujus asserti traditur à N. Beato Ægidio, & est hæc. Formam contineri in virtute activa agentis naturalis, nihil est aliud, quam agens posse transmutare subjectum mediis qualitatibus alterantibus, & disponentibus materiam, ut fiat sub tali forma, ut patet in exemplo dato ignis, & stupæ; ergo quòd forma contineatur in potentia passiva materiæ sufficienter, ut ex materia educatur, nil est aliud, quàm materiam posse transmutari per qualitates alterantes, ut fiat sub tali forma. Patet consequentia ex eo quòd potentiæ activæ debet in omnibus correspondere potentia passiva.

Hinc colliges multa, de quibus in seqq. Primò, licèt forma sit materialis, & pendens in esse, & conservari à materia, si tamen fit per eandem actionem ac fit materia, creatur, & nõ educitur. Patet, quia actio illa est creativa materiæ, quæ non est generabilis, ut dictum est: ergo si eadem actione fit forma, creatur, & fit per creationem. Rursus, si fiunt eadem actione, pendebit forma à materia, sed non à subjecto præsuppositio, cùm non præsupponatur, si fit per eandem actionem: ergo creatur, & non educitur. Ob id Thomistæ, & alij docent formas cœlorum, & elementorum in prima sui productione esse creatas, quia factæ sunt per eandem actionem, ac materia. A cõtrario Henriquus Quodlibet. 1. q. 10. quem Suarius sequitur in Metaphysica disp. 5. sect. 3. n. 6. tenet formas illas eductas, quia factæ sunt per diversam actionem, ac materia; quod suadere contendunt ex P. Augustino lib. 13. Confess. cap. 33. ubi docet materiam factam esse de omnino nihilo, mundum autem, intelligè cœlum, & elementa, ex materia informi.

Colliges secundò: Quòd licèt materia, & forma fiant diversis actionibus, & materia supponatur ante formam, si tamen forma non pẽdet in esse, & conservari à materia, non educitur, sed creatur. Patet in generatione hominis, cujus anima non educitur, sed creatur, cùm tamen supponatur materia producta tempore antecedenti per diversam actionem; hoc ideò quia anima non pendet à materia in esse, & cõservari, cùm possit existere, & revera existat à corpore separata.

Colliges tertiò: Quòd licèt materia, & forma fiant per diversas actiones incompletas, & forma materialis pendeat in esse, & conservari à materia,

ria, si tamen non fit per actionem transmutativam materiæ, & per dispositiones alterantes, non educitur, sed creatur. Hoc negatur à multis, sed satis probatum est num. præcedenti ex M. P. August. D. Thoma, & B. Ægidio. Solùm hic poterat dubitari, an transmutatio ista petat materiâ tempore præcedentem, an solùm naturæ præcedentia? Suarius ubi suprà negat necessariam temporis præcedentiam, quia distinctio essentialis actionis creativæ ab eductiva pendet quidem à principio, & termino, non autem à tempore. Sed contrarium videtur verius, & probatur ex natura motus successivi, qui essentialiter habet partè post partem, nec potest fieri in instanti: at alteratio, & transmutatio desiderata ad eductionem, est motus successivus: ergo non potest fieri in instanti, sed in duratione temporis. Atqui materia, quæ est subjectum talis motus debet existere pro tota motus duratione: ergo debet tempore præcedere formam, quę solùm educitur in instanti terminativo motus alterationis. Vide Complutenses ubi suprà.

8. Dicta sufficiunt pro decissione dicendorum, & explicatione communis doctrinæ circa diffinitiones creationis, & eductionis. Sed quia M. P. Augustinus lib. de Fide & Symbolo cap. 2. supra illa verba *Patrem Omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ*, duas alias rationes adducit, quibus suadetur, quòd Deus in omni actione sua creat, & creatura in omni sua actione educit; placet eas adducere, ut sciamus, quo sensu Deus ab Ecclesia dicitur *Rerum Creator omnium*, ut in Hymn. ad Matut. Dom. in Albis. Et ad Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Et Isaiæ 66. *Gaudebitis, & exultabitis in sempiternum in his, quæ ego creo*. Quare Pater Æternus cum Filio, & Spiritu Sancto, qui nedum ab initio mundi, sed *usque nunc operatur*, operatur per creationem, non per eductionem, quęcumque operatur: quapropter numquam à scripturis, & PP. dicitur eductor, sed semper Creator. Rationem hujus dedit P. N. loco laudato.

Primò, quia licèt Deus aliquando supponat materiam, non indiget materia præsuppositа, ut ab illa adjuvetur, sicut adjuvantur fabri à materia artis, quam supponunt, ut suas artificiosas formas introducant in ligno, ferro, auro &c. Verba N. M. P. hæc sunt: *Carnali scilicèt consuetudine, videntes fabros domorum, & structores, & quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, ad effectum suæ artis pervenire non possunt; ita etiam intelligunt fabricatorem mundi non esse Omnipotentem, si mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua ab illo fabricata natura, tanquam materies adjuvaret.* En eductio est fieri rei ex subjecto, non utcumque præsuppositо, sed præsuppositо *ex indigentia agentis*, quòd à materia adjuvatur. Deus autem, qui tali juvamine non indiget, quia est Omnipotens, semper creat, licèt materiam aliquando præsupponat: unde est rerum Creator omnium, nunquam agēs ex subjecto præsuppositо ex indigētia agentis.

Secundò

Secundò ibidem aliam adducit rationem, nempe, quòd licèt Deus quãdoque supponat materiam, supponit materiam à se factam ex nihilo; quare vi ejusdem actionis productivæ, & cõservativæ materiæ, quæ sine dubio creativa est, producit formas, quas producit, unde producit et creationem. Verba N.M.P. sunt hæc: *Quapropter rectissimè credimus omnia Deum fecisse de nihilo, quia etiam si de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est*: nempe à Deo Creatore. Quo vides creaturas supponentes materiam, agere per eductionẽ, quoniam materia præsupposita ab ipsis non est facta ex nihilo, sed à solo Deo, qui ideò seorsim creat, quia materiã à se creatam supponit, dum eam præsupponit.

9. Has M. P. Augustini rationes expendit B. Ægidius lib. 2. Sent. dist. 1. & quæst. 3. de Esse, & Essentia, ubi addit alteram, nempe, quòd Deus, cujus esse est omne esse, & virtus Omnipotentia, semper agit sub ratione universalissima entis; creatura verò sub ratione talis entis: actio talis entis essentialiter supponit actionem entis universalissimam, & priorem, nõ sic ratio entis universalissima, quæ solùm supponit nihilum: ergo Deus essentialiter agit ex nihilo; creatura autem ex subjecto præsupposito; unde Deus agit per creationem, creatura autem per eductionem. In hoc sensu approbat assertum illud Authoris de causis, dicentis: *Esse est per creationem, cetera verò per informationem.* Vide doctrinam istam etiã in D. Thoma q. 3. de Potentia art. 1. & 4.

Ex his colliges, quòd diffinitio creationis nempe *fieri rei ex nihilo*, tripliciter debet exponi; 1. ex nullo præsupposito subjecto transmutabili per motum agentis. 2. ex nullo præsupposito ex indigentia agentis. 3. ex ullo præsupposito subjecto, quod non sit productum ab eodem agente.

10. Contra hanc doctrinam arguit Hurtado in Philosophia disp. 10 sect. 3. num. 21. cum quo dices: si Deus ad omnem effectum concurrit actione creativa, quomodo effectus pendet à causa creata generante, & agente per eductionem? Certè creatio, & eductio sunt actiones essentialiter oppositæ, quare nequeunt exerceri relatè ad eundem terminum. Ergo sit Deus omnem effectum creat, nullum creatura educit, vel è contra. Rursus: terminus per se creabilis, non petit actionem generativam; id patet in Angelis, & animabus nostris, quæ quoniam sunt termini creabiles, non possunt, nec sinunt attingi ab agente creato per generationem: et omnes ferè effectus creati petunt actionem eductivam: ergo no creantur à Deo. Tertiò: Quod creatur, plenè fit à Deo: ergo si Deus omnia creat, nihil ab agente creato generatur, quod absurdum est.

Hæc levia sunt: Et ex doctrina ejusdem arguent solvi possunt. Docet ipse ibidem, quòd Deus, & creatura concurrunt ad effectus per eandem actionem, quæ relatè ad agens creatũ est vitalis, relatè ad Deum non est vitalis.

talis. Ergo data eadem actione, poterit esse creativa relatè ad Deum, & eductiva relatè ad agens creatum, maximè cùm licèt supponatur subjectum, supponitur ex indigentia agentis creati, sed non ex indigentia Dei; & subjectum suppositum sit effectus Dei, nõ autem creaturæ. Patet consequentia. Quia sicut creatio, & eductio constituuntur proposita, etiam actio vitalis, & non vitalis: & tamen relatè ad eundem terminum ponis actionẽ vitalem, & non vitalem; ergo inepte, vel inconsequenter respuis actionem creativam, & non creativam relatè ad eundem terminum.

11. Respondemus 2. Supponendo ex dicendis unum verissima sententia D. Thomæ, & B. Ægidij, docente Deum, & aliquatenus concurrere ad effectus creatos per diversas actiones, sicut per diversas virtutes; dicimus quòd sicut effectus fit à Deo sub ratione entis universalissima, nec tollit hoc quòd pendeat effectus ab agente creato sub ratione talis entis; sic in casu nostro. Et licèt respectu ejusdem agentis pro eodem termino repugnen actio creativa, & eductiva; non tamẽ respectu diversorum agentium subordinatorum, ut sunt Deus, & creatura.

Ad 2. dic, quòd Angeli, & animæ nostræ sunt termini creabiles nedum sub ratione entis, sed sub ratione talis entis; quia habẽt taleitatẽ spiritualem, independentem plenè à materia, & sic non educibilem. Ob hoc sub nullo conceptu petũt, aut permittunt actionem generativam. Reliqua autem omnia sunt terminus creabilis solùm sub ratione entis, sub ratione tamen talis entis permittunt creari à Deo solo; vel educi ab agente creato.

Ad 3. dic, quòd Deus omnia operatur, & plenè efficit, non ex parte, & hoc in omnium sententia, cùm fides doceat creaturam secundùm omnia sua immediatè pendere à Deo. Ceterum quod à Deo fit sub ratione entis, fit à creatura sub alia ratione, nempe talis entis; nec fit ex necessitate, ut effectus sit, sed ex benignitate Dei, qui dedit creaturis virtutem agendi, etsi limitatam sub ratione talis entis.

§. 13.

Deciditur quæstio circa formas substantiales, accidentales, supernaturales, artificiales, & intentionales.

12. DE omnibus formis acturi, animam rationalem excipimus, quæstione sequenti discutiendã: de reliquis breviter hic sequentibus assertionibus. Dicimus 1. Omnes formæ substantiales materiales, educuntur de potentia materiæ. Conclusio est communis, & probatur ex dictis. Omnis forma, quę continetur in potentia passiva materiæ, & activa agentis naturalis, potest educi ab agente naturali: sed omnis forma materialis continetur sic intra potentiam materiæ, & virtutem agentis: ergo. Probatur minor. Contineri intra potentiam materiæ, est materiam posse transmutari ad formam; sed materia potest transmu-

mutari ad omnem formam materialem; ideò enim materiales dicuntur formæ, quia sine materia non possunt existere, & ad eas materia transmutabilis est: ergo &c.

Dicimus 2. Omnes formæ accidentales naturales educuntur de potentia materiæ. Hęc conclusio communis est, sicut prima, & eisdem terminis probatur, hoc solo notato, quòd sicut in principijs nostris nullum accidens recipitur immediatè in materia prima, sed in toto composito; sic nullum educitur immediatè de potentia materiæ, sed de potentia passiva compositi, cujus potentia receptiva accidentium, vocatur materia secunda. De hac intellige conclusionem, & proba eadem ratione, qua prima probata est. Nec contra ut amque est specialis difficultas, aut quidquam, quo o possit solvi ex dictis §. precedenti.

13. Dicimus 3. Formæ artificiales non fiunt ex potentia subjecti, & sic non educuntur. Conclusio est Arist. 2. Physic. text 2. ubi Div. Thomas, B. Ægidius, & communiter DD. vocantur artificiales, quæ fiunt per artem, ut domus ex lapidibus, Cathedra ex ligno &c. Probatur. Quia in materia artis nulla datur potenti naturalis ad tales formas, sicut nec naturalis inclinatio ad eas: ergo non possunt educi de potentia materiæ, cùm ad eas nul sit i materia potentia naturalis. Rursus actio eductiva est actio ang ns to am materiam: & artifices non t gu t otam a eriam ar is, sed externam figuram, u de solùm immu nt ad situm: conjungendo corpora, vel dividendo: ergo non educunt tales formas.

Contrariam sententiam docet Suarius in Metaphysica disp. 16. sect. 2. ubi fatetur materiam artis non habere potentiam naturalem ad formas artificiosas; dicit tamen habere potentiam obedientialem, qua materia illa nata est obedire arti. Hanc potentiam sufficere ad eductionem probat à paritate de formis supernaturalibus, quæ educuntur non de potentia naturali, sed obedientiali. Cæterùm de hoc infrà ipsa diem s. Probat etiam, quia agés virtute naturali inducit eas formas. Dicimus verum esse, sed in materia, quæ nullam ad eas habet potentiam, & naturalem inclinationem.

Quæres. Quomodo tales formæ fiunt? Respondeo fieri per resultantiá motus localis, quo corpus artificiosè conjungitur alteri, vel separatur, scinditur &c. Motus autem localis educitur de potentia materiæ, quia ad ipsú datur in natura appetitus, & potentia naturalis. Nota quòd conclusio est de formis purè artificiosis; non de mixtis, ut est sanitas, quæ fit à natura, & ab arte medicinæ. Cæterùm qua parte fit à natura, educitur, quia natura habet potentiam naturalem, & appetitum ad sanitatem.

14. Dicimus 4. formæ supernaturales, ut sunt gratia habituális, habitus Fidei, spei, charitatis, donum prophetiæ &c. non fiunt per eductionem, sed per creationem à solo Deo. Ita N. B. Ægidius in 2. Sent. dist. 26. q. 1. art. 2. & locis datis num. 4. Omnes conveniunt in eo, quòd ista accidentia

ſupernaturalia non educuntur de potentia naturali creaturæ; tum quia nil ſupernaturale continetur intra potentiam naturalem creatam; tum quia naturalis tranſmutatio animæ non ſufficit ad habe dam grat am,& dona ſupernaturalia. Contrarium aſſerentes ſapiunt errorem Pelagianum. Cetertùm cùm n creatura rationali detur potétia paſsiva obedientialis, quia ut ait M.P. Auguſtinus *Poſſe habere fidem, naturæ eſt hominum*, ideſt naturæ eſt poſſe r cipr à Deo habitum fidei; dubitatur à Theologis an dona ſupernaturalia educantur à Deo de potentia obedientiali, an verò fiant per creationem?

Tenent creari, Fonſeca 5. Metaphyſicæ cap. 2. q. 4. Conimbricenſes 1. Phyſic. cap. 9. q. 12. ex noſtris ferè omnes cum Gavardi, & Villanova. Probatur ex dictis §. præcedente. Nam quidquid fit à ſolo Deo, fit ſine tranſmutatione ſubjecti, nec fit ex ſubjecto pręſuppoſito ex indigentia agentis; ergo creatur. Conſequentia tenet ex dictis de men e eiam D. Thomæ.

Contrariam ſententiam docent communiter Thomiſtæ, quos ſequitur Suarius, Vazquez, & alij Societatis, & ex noſtris Luſitanus. Præcipuum fundamentum eſt, illa ſolùm creari, quæ poſſunt per ſe exiſtere ſine ſubjecto, ut Angeli, & animæ noſtræ; quæ verò pendent à ſubjecto in conſervari, pendent in eſſe, & ſic educuntur de potétia ſubjecti: ſed accidentia ſupernaturalia non poſſunt per ſe exiſtere naturaliter ſine ſubjecto: ergo educuntur de potentia, non naturali, ſed obedientiali ſubjecti. Hæc ratio non urget, quia infrà docent nobiſcum Thomiſtæ, formas cœlorum eſſ reatas; cùm tamen naturaliter non poſsint exiſtere ſine ſubjecto: erg i conſequenter hæc r t o adducitur p o eorum ſenten i, cùm major ſyll giſmi ſit falſa.

Fortiùs argues ex eo, quòd Sacraméta novæ legis cauſant gratiam, quàm non cauſabant Sacramenta veteris legi, quæ ſolùm erant ſignum gratiæ: ſed nul à creatura adhuc inſtrumentaliter poteſt creare: ergo gratia cauſata no fit per creationem, ſd per eductionem. Reſpondemus ex B. Ægidio q. 6. de Eſſe, & Eſſentia ad 10. quòd Sacramenta cauſant gratiam indirectè, quatenus cauſant quemdam ornatum in anima, poſt quem Deus creat gratiam, quam infundit. Vide N. Gavardi q. 2. de creatione art. 1. num. 25. ubi hoc, & alia argumenta diſſolvit; quæ omi tim s, quia ad Theologos ſpectant.

15. Dicimus 5. Formæ intentionales non educuntur de potentia ſubject. I N. B. Ægid us tr ct tu de Intent ne in med o, & 2. Sent. diſt. 12. q. 2. art. 2. eſt communis inter noſtros. Vocãtur formæ intentionales ſpecies impreſſa, & xpreſſa, deſerv ntes cognitioni, men ſive naturale Solis, & ſtellarum, ſive artificiale ignis & lucernæ, inſuper ſpecies colorum, quæ immittũtur noſtris culis ab objecto viſibili, & alia hujuſmodi. De is dicimus cum N. B. Ægidio, non educi de potentia paſsiva ſubjecti.

Probatur x §. antecedenti, Nam ad eductionem requiritur quòd ſubjectum

jectum transmutetur ad formam, per dispositiones alterantes subjectum, ut num. 6. dictum est: sed formæ intentionales fiunt sine transmutatione, & alteratione subjecti: ergo non educuntur. Minor probatur. Sol nedum illuminat sublunaria, sed etiam stellas,& corpora cœlestia: at cœli non possunt transmutari,aut alterari,ut vidimus q.6.de materia cœlesti: ergo &c.Et confirmatur. Quidquid fit cum transmutatione,fit de contrario in cõtrarium: sed formæ intentionales non habent contrarium: ergo non fiunt cum transmutatione, & sic non educuntur.Minor probatur.Si ex adverso ponantur album,& nigrum,immittũt suas species per aerem intermedium; quare in eadem parte aeris sunt duæ species albi,& nigri: sed si contrariarentur,non possent esse in eodem subjecto, sicut albedo, & nigredo non possunt in eodem subjecto existere: ergo quia species intentionales non contrariantur.

Contrariam sententiam tenet Suarius cum alijs,ubi suprà, eis favet N.M. Gavardi citans N. B. Ægidium Quodlib. 5.q.10.sed ibi N.B. Ð. dicit has formas non creari,quod fatemur; at non docet eas educi. Probatur eductio; quia istæ formæ fiunt ab agentibus naturalibus: sed non per creationẽ,cùm nulla creatura possit creare: ergo per eductionem. 2.Nam istæ formæ continentur in potentia passiva subjecti,quod transmutatur transmutatione perfectiva, licèt non transmutatione alterativa,& destructiva:at prima transmutatio sufficit ad eductionem: ergo. Respondemus tales formas non creari,cetertùm nec educi. Tales formæ non sunt propriè tales; quare nec propriè fiunt,sed resultant. Quare sicut actio, qua fiunt, non est propriè actio,sed resultantia; sic propriè nec est creatio,nec eductio; assimilatur autem creationi, quoniam fit in instanti,& sine transmutatione subjecti. Licèt ergo creaturæ non conveniat creare; ei non repugnat actio similis creativæ. Ad secundum dic, eductionem petere transmutationẽ alterativam; nec hoc voluntariè dici,sed probatũ esse suprà num. 6. & 7.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

An anima rationalis fiat per eductionem?

§. I.

Expenditur quid in hoc dubio senserit Magnus P. Augustinus.

1. HÆC quæstio, quæ his temporibus leviter tractatur,quoniam animas à Deo creari quotidie, & corporibus infundi, indubitanter tenetur ab omnibus; gravissima fuit prioribus Ecclesiæ sæculis,& adeò implexa,ut Magn.P.Augustinus suum ingenium prope Divinum continuerit, & à decisione temperaverit. Laudatur ideò Parens Noster à Sancto Fulgentio

gentio lib. 3. de Veritate Prædest. & Gratiæ cap. 17. & 20. Sed vitio vertitur à centoribus doctrinæ Augustinianæ, ut videbis apud Nostrum Cardinalem Norisium in Vindicijs Augustinianis cap. ultimo, ubi in Cathalogo censurarum, sic censores dicunt censura 107. *Dubitavit tiam d origine animarum, utrum creentur de novo, quod certissimum est, an ex Adam propagentur, ut videre est Epist. 29. ad Hieron. & Epist. 157. & in lib. de Origine Animæ.*

Hanc N. Magn. P. dubitationē, quam inter errores doctrinæ Augustinianæ reponendam putavit Antoninus Moraines, aliàs P. Martinonus; expungere nititur ejusdem instituti pius pariter, ac eruditus Cardinalis Bellarminus, concedens Augustinum quidem dubitasse, sed in libris scriptis post Geneſim ad litteram, apertissimè refelliſſe sententiam de tradice animarum. Nam in Epist. 157. ad opta um dicit: *Itaque illi, qui, ro, aginem animarum inconsiderata temeritate defendunt.* Et superiùs loquens de sententia Tertulliani, qui ponebat traducem animarū, ait: *Quo quid perv rsius dici potest?*

Addit Eminentissimus Cardin. lib. 4 de amissione gratiæ cap. 11. *Certè S. Augustinus, si nunc inter homines viveret, non solùm faveret, sed etiam gratias ageret iis, qui nostram hanc sententiam de creatione tuerentur.* Noster Cardin. Norisius in Vindicijs cap. 4. §. 3. quærit meritò, cur Augustinus has gratias recentioribus scholastic s debe t? Id f nè erit, quoniam sententiā de cr ation certissimam reddidere, inveniendo expressa scripturæ testimonia, vel rationes convincentes, ne anima sit ex traduce; aut quia in eandem sententiam conspiran es, ceder t Augustinus eorum authoritati. At omnia testimonia scripturæ discussit plenè, at planè N. M. P. lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 6. & seqq. Quatuor libris de origin. Animæ. Epist. 28. ad Hieron. tribus Epist. ad optatum, rationes it m pro utraque parte; & anceps mansit. Si quæ ratio denuò proponitur, admissa spirituali mater evanescit; & hanc materi m in Angelis admittunt S. Bonaventura; Alensis, & Aureolus. Possibilem tenent alij scholastici, & ea data, non est und efficaciter probetur creatio animæ. Restat quòd Augustinus cederet scholasticorum authoritati, eam præferens Sanctorum aliorum dubitationi, quam plenè demonstrat Norisius Noster. At inde gratiarum debitor Magn. Augustinus non est, sed scholastici gratos se reddere deberent communi Magistro, qui in dubio, quod in Ecclesia fuit per plura sæcula, cesit parti uni ob solā Scholæ authoritatem.

2. Vt mentem N. M. P. planè ostendamus, supponēdum est, quòd circa originem animæ fuerunt duo errores, duæ item sententiæ in Ecclesia Dei eo tempore probabiles. Primus error fuit Origenis, qui tenuit omnes animas à Deo simul creatas in initio mundi; & posteà decursu temporis corporibus infusas post eorum merit m, aut demeritum in statu sep rationis. Hunc e ror m damnat S. Hieron. in Epist. ad Pammachium; & S. Leo Papa

pa Epist. 91. ad Turibium cap. 10. Vbi docent, quòd Ecclesiæ dogma tenet oppositum, nempe quòd Deus quotidie animas fabricetur.

Secundus error ponebat animas quotidie traduci, & non creari : sed dicebat traduci veluti corpora, medio semine corporeo. Ita erravit Tertullianus, qui ideò à M.P. Augustino Ep. 157. ad optatum reprehenditur per hæc verba. *Nam, & illi, qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex Parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo quid perversius dici potest?* De hac sententia dicit D. Thom. 1. p. q. 118. art. 2. Hæreticum esse dicere animas traduci cum semine, nempe corporeo. De quo antiqui cum Magistro in 2. Sent. dist. 17. & 18.

3. Dubium ergo Catholicè in utranque partem disputabile, traditur ab eodé S.P. Epist. laudata 157. per hæc verba : *Vtrum incorporeum semen animæ sua quadam occulta, & invisibili via, seorsum ex Patre currat in matrem, cùm fit conceptus in fœmina.* In dubio, sic proposito, utrique Patres Ecclesiæ divisi sunt, ut ostendemus ex Cardin. Norisio. Interim qualiter Augustinus se gesserit in eo, explicat ipse lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 21. dicens: *Ego adhuc inter utrosque ambigo, & moveor aliquando sic, aliquando autem sic.* Et cap. 23. *Admoneo sanè quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex Parentibus credant propagari, quantum possunt seipsos considerent, & interim sapiant, corpora non esse animas suas.* En ubi certus de spiritualitate animę, de reliquo dubius, monet quid sentire debent propagatores animarum.

Ob id consequenter, dubius de propagatione spirituali animarum, pro qua necessaria est materia spiritualis, cùm corporea solùm corporeis formis educendis deservire possit ; dubitat de materia spirituali, eam edisserens lib. 7. de Gen. ad litt. à cap. 6. & seqq. & cap. 7. disputivè dicit : *An verò illa spiritualis materies, si fuit ulla, unde anima fieret, vel si est ulla, unde animæ fiunt, quid ipsa est, quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? &c.*

4. At quoniam ex orto Pelagianorum errore, negante peccatum originale traduci in posteros, pro quo exaltabant nimis animarum creationem, ut à solo Deo venientes animæ, à quo non possunt maculari, dogmatizarent animas immunes à labe originali; ideò Augustinus inclinavit amplius in opinionem de propagatione animarum spirituali, ut propagaretur cum eis peccatum originale, & faciliùs explicaretur veritas Catholica de contractione originalis peccati. Audi S. Doct. lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 23. ubi post longissimam disputationem, concludit sic. *His igitur, quantum pro tempore potuimus, pertractatis, omnia paria, vel penè paria ex utroque latere rationum, testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia, qui animas ex Parentibus creari putant, de*

de Baptismo parvulorum præponderaret.

Hic observa, quantus fuerit ardor Magn. August. in persuadendis Catholicis veritatibus, cùm in quæstione pro utraque parte pari, & æquè probabili, ea sententia prævaluerit, qua melius hæretici confutabantur. Vides etiam, quòd data creatione animarum statim emergit difficultas explicandi, quomodo peccatum originale trahitur per originem, ut maculet animam, à solo Deo creatam. Audi Pelagiana verba apud M. P. August. Epist. 157. *Nam Pelagij de hac re argumentatio, ita se habet. Si anima, inquit, ex traduce non est, sed sola caro habet traducem peccati; sola ergo pœnam meretur. Injustum est enim, ut hæc nata anima ex massa Adæ, tam antiqui peccatum portet alienum: quia nullâ ratione conceditur, ut Deus, qui propria peccata dimittit, unum imputet alienum.*

Hoc argumentum ab Augustino solutum est, dimissa etiam nova, & quotidiana animarum creatione; sed latius recurrendo ad spiritualem animarum generationem. Nec mirum: Nam his sæculis à tempore Magistri sententiarum stabilita sententia creationis, adeò difficulter exponitur modus contrahendi originale, ut scholastici dissidentes in modo, ipsos oppugnent; nec adhuc adinventus est modus, aut ratio, sic evidens, ut à nemine negari possit; qualem desideravit Magn. Augustinus.

5. Restat ostendere, quòd hoc Augustini dubium alios etiam Ecclesiæ Patres tenuit, nec quam ab Ecclesia quidquam diffinitum, nisi contra duos errores num. 2. propositos. Ceterùm cùm Cardinalis Noster Norisius loco laudato Vindiciarum, eruditissimè ostenderit utrumque, testes adhibès omni exceptione majores per plura sæcula continuata; manum nostram levem cohiberemus, nisi oporteret hìc aliqua reponere pro eis, qui ejusdem scripta non valeant acquirere.

Et quidem ante Augustinum dubitavit de origine Animæ Rufinus in Epist. ad S. Anastasium. Impugnatur autem à S. Hieronymo in Apologia, & in Epist. ad Marcellinum, non quia dubitavit de hoc, cùm ibidem Doctor Maximus appellet hoc dubium *axiam Ecclesiasticam quæstionem*; sed quia origenis errorem insinuat, putans omnes animas ab initio mundi creatas, meruisse, vel demeruisse in eo statu solitudinis.

Pro hac quæstione disputatum est à Hieronymo, tenente cum orientalibus creationem animæ; & ab Augustino cum occidentalibus opinante traducem animarum; hinc inde ad utrumque Orosio peregrinante: sed nil diffinitum est, cùm Hieronymus ab Augustino consultus, respondeat tandem: *Unusquisque in suo sensu abundet.*

Quarto sæculo S. Eucherius Episc. Lugdunensis super cap. 3. Geneseos, hæret dubius, quia fatetur nil à SS. PP. diffinitum de originе Animæ. Sic et Pomerius Africanus octo libris conscriptis de Anima, in quorum 4. disputavit de hoc, ann. 480.

Sexto

Sexto sæculo rem dubiam testatur PP. Africani in Sardinia exules: quorum unus omnium lingua, & calamus N.S.Fulgentius lib. 3. de Veritate Prædestinationis, & Gratiæ cap. 18. Laudat M. Augustini dubitantis prudentiam, quam proponit in exemplũ, ne quis temerè audeat diffinire, quod à SS.PP. sub dubio relictum est. Coætaneus Fulgentij Cassiodorus lib. de Anima cap. 14. laudat Augustinum dubitantem addens, *melius est enim in tam occultis causis confiteri ignorantiã, quàm periculosam fortassis assumere audaciam.*

Audi septimo sæculo sapientissimùm, ac Sanctissimum Gregorium Papam lib. 7. Epist. 53. ad Secundinũ, ubi scribit: *Sed ... hac re, dulcissima tua charitas sciat, quia de origine Animæ inter Sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certè singulis detur, incertum remansit; eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim quæstio est, nec valet ab homine comprehendi.* Hinc vides, quantum fallitur quicumque, cum Card. Bellarmino asserit creationem animarum esse Ecclesiasticam traditionem. An ne eam ignoravit Summus Ecclesiæ Pontifex, ac sapientissimus? Latuit ea tot Sanctos Ecclesiæ Patres, apud quos, teste Gregorio Magno, res incerta remansit?

Sed nec in initio sæculi duodecimi quidquam diffinitum fuit, ut constat ex vita S. Anselmi Antistitis Cantuariensis, scripta ab ejus discipulo, & lib. 2. cap. 59. dicitur, quòd cùm quidam familiaris Anselmo, mortui proximo diceret: *Ad Paschalem Domini tui curiam, relicto sæculo, vadis:* Anselmus respondit: *Et quidem, si voluntas Dei est, voluntati ejus non contradico: verùm si mallet me adhuc inter vos sattem tandiu manere, donec quæstionem, quam de animæ origine mente revolvo, absolvere possem, gratiosum acciperem: eò quòd nescio, utrum aliquis eam, me defuncto, sit absoluturus.* Idem testatur Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. p. 7. cap. 30. quæstionem adhuc esse indefinitã. Floruit hìc ann. 1130.

Ex dictis habes quàm immeritò censores doctrinæ Augustinianæ reprehendant in Augustino dubium de origine Animæ, quod fuit in Ecclesia per duodecim sæcula continuata, nec aliquid diffinitum, nisi animam spiritualem, & immortalem esse, quod nunquam Augustinus dubitavit; inde Tertullianum reprehẽdens, quod animam dixerit traduci semine corporeo. Patet etiam quòd Magn. Augustinus, & alij PP. usque ad tempora Magistri sententiarum sub eo dubio permanserunt; nec Bellarminus num. 1. laudatus, benè ostendit M. P. N. dubium deposuisse; cùm ibi solùm detestetur errorem Tertulliani, de quo nunquam dubitavit. Tandem patet, quòd Scripturæ testimonia, & rationũ momenta paria sunt in quæst. ista pro utraque parte; nec in traducem Augustinus inclinavit affectu, sed necessitate, uti facilius defenderet Catholicã veritatem de traductione peccati. Si tamen non esset exorta hæresis Pela-

giana, potiùs inclinatus esset ad sententiam de creatione Animarum, ut §. sequenti patebit ex S. Parente.

§. II.

Propositis sententijs, vera proponitur, & probatur.

6. OMISSIS erroribus circa originem Animæ, explicatis num. 2. de quorum impugnatione vide Bellarminum lib. 4. de Amissione Gratiæ cap. 11. si quæ sententia opinabilis recenseri potest, ea solũ est, animã educi de potentia materiæ spiritualis spirituali semine, modo quo formæ corporales educuntur de materia corporea per semen corporale. Sententia sic posita, probatur 1. ex illo Genes. 46. n. 26. *Omnes animæ, quæ egressæ sunt de femore Iacob, fuere sexaginta sex.* En animæ generatæ: at non de materia corporea, ubi non continentur formæ spirituales; nec per semen corporeũ, quia hic fuit error Tertulliani damnatus: ergo genitæ sunt animæ de materia spirituali medio semine incorporeo.

Secundo, ex illo Pauli ad Hebræos 7. dicentis Christum, & Levi, fuisse in lumbis Abrahæ, quando ei occurrit Melchisedech, cui dedit omnium decimas; sed aliter, & aliter uterque fuit in lumbis Abrahæ, nam Levi sic fuit, ut fuerit decimatus, Christus autem decimatus non est: at Christus secundùm corpus fuit in lumbis Abrahæ, non minus ac Levi: ergo alietas stat in anima, taliter ut anima Christi fuerit creata, & sic non contenta seminaliter: anima autem Levi fuerit seminaliter contenta, & ideò educta, & generata.

3. Eis omnibus textibus, quibus probatur traductio peccati originalis, probatur traductio animæ. Nam peccatum non est in corpore, sed in nima: at peccatum traducitur per gen r tionem: e go & anim. Et getur. Si anima creatur, anima venit à solo Deo: sed à Deo nequit venire cum peccato, ut patet: ergo si venit maculata, venit ab Adamo per seminalem propagationem.

4. Si anima non generatur, creatur à Deo, animam inspiranti semper ac materia deposita est à generante: at hoc est absurdum: ergo non creatur, sed generatur. Probatur minor. Nam inde sequitur Deum cooperari adulteris, & fornicarijs, infundendo animas materiæ dispositæ per adulterium, incestum &c. At hoc dicere de Deo, absurdum est: ergo.

5. Omne generans producit simile sibi: hoc enim est generatio, *origo viventis à vivente in similitudinem naturæ*: at homo generans non producit materiam, cùm hæc sit ingenerabilis: ergo en t animam; aliòquin nihil denuò produceret.

Confirmatur. Causa univoca non petit excedere, sed æquare perfectionem sui effectus: at homo genetans est causa univoca geniti, & ejusdem speciei cum illo; aliunde anima generantis æquat perfectionem animæ, denuò productæ: ergo habet quidquid requiritur, ut animam generet.

Con-

Confirmatur 2. licèt anima ſpiritualis non poſsit generari de materia corporea, poteſt de materia ſpirituali, ſi detur: at probabile eſt dari materiam ſpiritualem: ergo probabile eſt animam ex illa materia educi, & generari. Minor patet ex dictis n. 1. in fine.

Confirmatur 3. Anima rationalis non fit per actionem diſtinctam ab actione productiva cõpoſiti, alioquin exiſteret ante compoſitum, quod falſum eſt, ut patet ex dictis contra Originem, & Originiſtas: ſed actio productiva compoſiti, eſt eductiva, pendens à materia, & materiam præſupponens: ergo anima fit per actionem eductivam.

Vrgetur. Per illam actionem fit anima noſtra, per quam producitur ejus exiſtentia: ſed exiſtentia animæ producitur per actionem eductivam: ergo & anima. Major patet: & minor probatur. Exiſtentia animę non eſt diſtincta ab exiſtentia compoſiti, nec anima propriè fit, ſed compoſitũ, ut dictum eſt in antecedentibus: ſed exiſtentia compoſiti fit per actionem generativam, & eductivam: cùm fiat ab homine generante: ergo &c.

8. Contraria ſententia omninò tenenda eſt, quam docent ex PP. cum Hieronymo omnes Orientales; ex ſcholaſticis omnes cum Magiſtro in 2. Sent. diſt. 17. & 18. ubi & N. B. Ægidius; & cum D. Thoma 1. p. q. 118. art. 2.

Habemus pro nobis Magn. P. Auguſtinum, nedum non vetantem, ſed faventem, & gratias agentẽ, quoniam hanc ſententiam defendimus. Audiatur lib. 1. de Origine Animæ c. 19. ubi numeratis quatuor erroribus circa originem Animæ dicit: *Nihil ergo iſtorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falſum, atque impium eſt; hanc ſententiam ſuam* (ſubaudi de creatione Animarum) *non ſolùm me non vetante, ſed etiam favente, & gratias agente, defendant.* At nos defendimus animas creari, nec admittimus, ſed deteſtamur illos quatuor errores: ergo favet nobis Auguſtinus. Minor probatur, numerãdo errores, quos deteſtamur. Primus eſt Stoicorum, Manichæorum, & Priſcilianiſtarum, dicentium animas nec creari, nec educi, ſed eſſe particulas ſubſtantiæ Dei. Secundus eſt Origenis docentis animas creatas ex nihilo, ſed ab initio cum Angelis, ubi demeruerunt ſeparatæ, & in pœnam peccati, incarceratæ ſunt, & clauſæ corporibus. Tertius Rabinorum docentium omnes animas productas à Deo ſexta die creationis, quoniam ſeptima requievit Deus ab omni opere. Quartus Tertulliani putantis animas corporales eſſe, & traduci ſemine corporeo. Hæc omnia negamus tenẽtes animas ex nihilo quotidie creari, dum corpori infunduntur.

Concluſio noſtra probatur ex Scriptura Pſalmo 32. *Qui finxit ſigillatim corda eorum.* Et Eccleſ. ultimo: *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et Iſaiæ 57. *Flatum omnem ego feci.* Hæc & alia probant Deum eſſe Authorem Animæ noſtræ; ceterùm ut obſervat M. P. Auguſtin. Epiſt. 28. ad

Hierò non indicant modum, quo à Deo sunt conditæ, an ex nihilo, & per creationem, an per propagationem ex anima primi hominis. Possunt tamen urgeri hæc testimonia ex doctrina data in quæst. 12. num. 8. & 9. ubi ex M.P. Augustino probatum est, quòd quidquid fit à solo Deo, creatur, & non educitur: sed in his textibus traditur animas esse à solo Deo: ergo ex principijs Augustinianis probatur animas esse per creationem.

9. Ratione probatur communiter conclusio ex eo quòd anima est purè spiritualis, non pendens à materia in esse & conservari; tum quia existit separata à corpore; tum quia præcipuæ operationes ejus sunt intellectio, & volitio, quæ non pendent à materia: ergo nec anima continetur in potentia materiæ, nec est educibilis de potentia illius, sed creatur non minus, quàm Angelus, qui est forma completa per se subsistens. Hanc rationem multis exponit Bellarminus, tenens creationem a imæ esse dogma Catholicum saltem mediatè; quia de fide est animam rationalem esse immortalem; immortalitas reddit animã independentem à materia; & hæc independentia facit animam purè creabilem, & non esse educibilem.

Ceterùm licèt hęc ratio ex illo principio probet sufficienter animam non educi de corpore, aut materia corporea, nec per semen corporeum, nil probat de materia spirituali. Maximè cùm apud Theologos allegatos num. 1. talis materia sit possibilis, & de facto detur in Angelis apud illam sententiam docentem eos esse compositos ex materia spirituali & forma, cùm tamen sint immortales: ergo quantumcumque de fide sit animam nostram spiritualem, & immortalem esse, inde nec leviter probatur non esse educibilem de materia spirituali, & per semen animæ incorporeum.

10. Probatur ergo efficaciter conclusio sic. Anima rationalis, cùm spiritualis, & immortalis sit, nequit educi de materia corporali, sed vel purè creari, vel educi de materia spirituali: at non potest educi de materia spirituali: ergo purè creatur. Minor probatur. 1. Quia talis materia spiritualis impossibilis est, ut satis indicat M.P. August. num. 3. allegatus, ignorans quid sit, quod nomen ejus, quem usum, an vivat, an non? &c. Præterea ex dictis q. 6. §. 5. constat non esse possibilem materiam diversæ speciei à materia, quæ de facto datur, differret tamen specificè, si daretur materia spiritualis. Vide N. B. Ægidium in 2. Sent. dist. 3 p. 1. q. 1. art. 1. §. *His visis*. Et in Examen. p. 1. c p. 4. ubi probatur impossibilitatẽ materiæ spiritualis. Et patet breviter, quia esset, & non esset pura potentia; esset, quia esset materia; non esset, quia esset spiritualis.

Sed demus sententiam de materia spirituali probabilem, & quòd Angeli sint compositi ex materia, & forma spirituali; adhuc hoc dato, anima nostra non est educibilis ex hac materia spirituali. Probatur ex Concilio

rium Lateran. sub Leone X. sess. 8. & in Clement. unica da Summa Trinit. ubi habetur, quòd anima nostra est forma hominis, & sic est substantia incompleta, & partialis, quæ cum corpore facit unicam substantiam completam, nempe hominem, ut dicitur etiam in Symbolo Athanasij, *Sicut anima rationalis, & caro unus est homo.* Sed si anima educeretur de materia spirituali, non esset substantia incompleta, & forma hominis: ergo non est educibilis de materia spirituali. Probatur minor. Si educeretur de materia spirituali, faceret cum materia spirituali unam substantiam spiritualem completam: sicut forma materialis educta de materia corporea, facit cum materia unam substantiam corpoream completam: sed substantia spiritualis completa nequit esse forma corporis: ut patet in Angelis, qui ideò non possunt uniri corpori ut forma, sed ut motor: ergo anima uniretur corpori, ut motor, sed non ut forma, quod est contra veritatem.

Probatur 2. conclusio nostra. Si anima educeretur à generante de materia spirituali, educeretur medio semine spirituali, & incorporeo: at hoc semen est impossibile: ergo & eductio animæ nostræ impossibilis est. Major patet ex titulo quæstionis propositio, verbis Augustinianis num 3. Minor probatur. Semen spirituale si daretur, esset pars substantiæ spiritualis decisa à generante; sicut semen corporeum nil est aliud, quàm pars substantiæ corporeæ decisa à generante: at impossibilis est pars substantiæ spiritualis decisa à generante: ergo impossibile est semen spirituale. Minor probatur. Substantia spiritualis est indivisibilis, quod est indivisibile nullas habet partes, & ubi nullæ partes sunt, impossibilis est pars decisa: ergo impossibilis est pars substantiæ spiritualis &c.

11. Ex his solvuntur fundamenta contraria, posita num. 6. Ad primum dic, quòd nomen animæ in Scriptura significat totum hominem, unde dicitur: *Anima quæ juraverit &c.* Item *Anima quæ tetigerit aliquid immundum &c.* ut habetur Levitici cap. 5. Hæc figura, qua pars sumitur pro toto, aut ex toto intelligitur pars, vocatur intellectio, & frequens est in Scriptura. Sic est in loco nobis objecto, ubi filij orti ex femore Jacob, vocantur animæ: sed inde nil contra nos, qui hic disputamus de anima, ut est pars hominis.

Ad 2. quod à M. P. Augustino propositum, & solutum est lib. 10. de Genes. ad litt. cap. 19. ex eodem dicimus discrimé Christi, & Levi quoad continentiam in lumbis Abrahæ non esse, quod in argumento assignatur; quia neuter eorum secundùm animã fuit contentus, sed secundùm corpus, quod solum generatur, & semine corporeo traducitur. Convenientes autẽ in cõtinentia corporis seminali, differunt, quia Christus, qui habuit Matrem, sed non Patrem, quia sine semine virili conceptus est, Sancti spiritus operante virtute, continebatur in Abrahamo secundùm materiam, quã ministrat Mater, aut secundùm corpulentam

lentam

lantam substantiam, ut dicunt Theologi: unde nec contraxit originale peccatum, nec decimatus est. At Levi, qui patrem habuit & matrem, & fuit seminaliter conceptus, continebatur secundùm corpulentam substantiam, & secundùm seminalem rationem: unde & peccatum originale contraxit, & decimatus est.

Dices: Quomodò contineri possunt filij secundùm corpus; si corpus dicit materiam, quæ non generatur, sed creatur? Respondeo quòd corpulenta substantia filij non dicit solam materiam, sed & formam embryonis, quæ primò formatur in sinu matris & crescit usque ad organizationes debitas pro infusione animæ. Dum autem anima infunditur, generans eam unire dicitur corpori per actionem, quæ licèt non sit productiva partium, est tamen unitiva earum, & satis productiva totius, resultantis ex unione partiũ.

Ad 3. respondemus cum P. August. lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi duas dat solutiones, unam in sententia de traduce animarum; aliam in sententia de creatione, dicens: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur* (en sententia de eductione animarum) *aut alterum in altero, tanquam in vase vitiato corrumpitur*. En solutio in nostra sententia. Creatur quidem anima à Deo, à quo pura venit, nec ab eo, qui summa puritas est, venire potest maculata. At quia infunditur corpori maculato, ex vase, cui infunditur, sordescit. Sicut enim, teste Apostolo, *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*; sic anima terreno corpori unita, ab eo maculatur. Traducitur peccatum cum carne, quæ vehiculum est peccati traducti ad animam, ubi revera obtinet rationem peccati, & maculę voluntariæ. Nec ut peccatum sic traducatur, oportet animam generari, sed sat est uniri corpori maculato, ut ex Augustino dictum est.

12. Ad 4. quod ab Apollinare excogitatum est, & à S. Gregorio Nisseno lib. 12. de Anima cap. 6. putatur difficile, respondemus cum Div. Hieronymo lib. 3. Apologiæ contra Rufinum, non magis absurdum esse, quòd Deus animas inspiret conceptibus adulterinis, quàm quòd terra gremio suo confoveat semina furata à latrone, vel immunda manu seminata. Hanc solutionem, & similitudinem approbat, & elegantissimam esse dicit P. August. Epist. 28. ad Hieron.

Respondemus 2. quòd in adulterio est actio naturalis, quæ materiã disponit ad fœtum; & est culpa, consistens in transgressione legis Divinæ. Primum est physicè bonũ, & ei cooperatur Deus infundendo animam materiæ, physicè dispositæ. Secundum est malum moraliter, cui Deus non cooperatur, nec potest.

13. Ad 5. dicimus, quòd generans nec producit materiam, nec animam rationalem, sed solam unionem utriusque in filio genito; quare actio illa non est productiva partiũ, sed totiùs, pro quo sufficit producere unionem, si hæc distincta est de quo infrà dum de unione disputemus.

Ad 1. confirmationem concedo quòd generans est causa univoca geniti;

niti; & quòd Anima patris æquat perfectionem animæ filij entitativè, sed non terminativè. Nam cùm anima nō sit terminus educibilis, sed creabilis, ut probatum est; solùm æquatur in ratione termini à principio activo, potente creare. Talis non est anima patris, imò nulla creatur; cùm nulla creare possit.

Ad 2. confirmationem, admissa probabilitate materiæ spiritualis, nego probabilem esse eductionem animæ ex materia spirituali; quia etiam materia data, eductio repugnat, ut à nobis probatum est.

Ad 3. confirmationem neg. maj. Nam anima fit per actionem creativam, compositum autem per eductivam: unde non fiunt per eandem actionem. Nec sequitur quòd præcedat anima separata, ut putavit Origenes; nam in eodem instanti, quo creatur à Deo, corpori infunditur, & ex unione resultat compositum.

Ad urgentiam dic, quòd existentia animæ potest dupliciter considerari, vel ut est absolutè existentia animæ, vel ut est communicata toti composito. Primo modo est à solo Deo, à quo anima creatur; secundo modo est à generante, à quo anima corpori unitur, & existentia absoluta ejus fit existentia totius. Hinc vides, quòd argumento probatur, quòd à Deo est anima absolutè, quia ejus existentia absolutè sumpta à solo Deo est. At à generante est anima ut unita reduplicativè; quod nil est aliud, nisi quòd unio animæ ad corpus fit à generante: & hoc verum est, sed non cōtra nos.

(§)

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Vtrum formæ cælorum, & elementorum in prima productione fuerint eductæ?

§. I.

Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. QVÆSTIO ista est de omni forma materiali; proponitur benè in formis cœlorum, & elementorum, quia sic comprehenduntur omnes formæ incorruptibiles, quales sunt cœlestes, & corruptibiles, ut sunt elementales, & sublunares. Prima sententia docet eas de facto fuisse eductas. Ita Molina, Vasquez, Rubio, & alij præcipuè Societatis. Probatur, quia Epist. 2. Petri cap. 3. dicitur: *Cæli erant prius, & terra de aquâ, & per aquam consistens.* En cœli & terra de aqua; ly *de*, signat eductionem. Rursus ibi dicitur cœlos corrumpendos, & elementa calore solvenda: sed quòd desinit esse per corruptionem, petit fieri per eductionem, &

& generationem; sicut à contrario, quod fit per creationem, solùm potest desinere esse per annihilationem; ergo formæ cœlorum, & elementorum eductæ sunt in prima sui productione.

Probatur 2. ex D. Thoma Opusc. 42. cap. 15. ubi ait: *Corpus cœleste consequutum est per eductionem suæ formæ de potentia materiæ, nullo modo præcedente alteratione, vel motu locali.* En ubi S.D. nedum dat conclusionem, sed rationem probativam. Nam ideò juxtà contrarios formæ cœlorum non essent eductæ, quia non præcessit alteratio, vel transmutatio, quæ ad eductionem requiritur: at hic docet S. D. non esse necessariam alterationem ad hoc ut forma educatur; cùm cœlestis sit educta sine precedente alteratione: ergo &c.

Tertiò: Quia forma quæ in fieri, & conservari pendet à materia, fit per eductionem: sed omnis forma materialis sic pendet à materia; cùm sine materia non possit existere, nec operari; ergo &c. Confirmatur. Formæ illæ pendent à materia in genere causæ materialis: sed Deus non potest supplere concursum causæ materialis: ergo non potest formas illas producere, nisi dependenter à materia, quod est eas educere. Confirmatur 2. Omnes formæ materiales ex natura sua pendent à materia; unde ex natura sua petunt fieri dependenter ab illa; quod est fieri per eductionem: sed Deus in prima productione non egit contra naturam rerum: ergo eas produxit per eductionem.

2. Secunda sententia docet cœlos esse creatos, sed formas sublunares, & elementales fuisse eductas. Ita Suarius in Metaphysica disp. 15. sect. 2: Fundamentum est discrimen cœlorum, & elementorum, quia cœli natura sua sunt incorruptibiles, sicut materia, quare facti sunt eadem actione, ac materia eorum: sed materia facta est per creationem: ergo & cœli. A contrario, cùm elementa sint corruptibilia, actio qua Deus ignem v. g. primò creavit, jam non est, cùm ignis ille terminans defecerit. Actio verò, qua materiam produxit, nunc perseverat, sicut & materia terminans: ergo. Ignis, & idem de alijs, factus est per duplicem actionem, unam terminatam ad materiam, alteram ad formam. Ergo hæc secunda est posterior, & pendens à prima. Sed actio, quæ supponit, & pendet à subjecto producto, est actio eductiva: ergo elementa educta sunt, licèt cœli sint creati.

3. Tertia sententia docet omnes illas formas de facto esse creatas. Ita omnes Thomistæ, & Ægidiani. Cetèrum discordant de possibili; [illegible] non potuisse duci, sic Palanco cum alijs. Docent tamen potuisse educi Lerma, Froylan, & alij. Quantum ad factum probatur hæc sententia ex 1. Genes. ubi dicitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Et Psalm. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* En dicuntur omnia creata. Quòd si dicas, etiã ibi dici creata quæ educta sunt. Contra est, nam si aliquando verbum *Creare* strictè sumendum est, hìc debet rigorosè accipi; maximè cùm

cùm ita exponatur à SS. PP. Basilio, Chrisostomo, Cyrillo, Augustino, & D. Thoma ut observat Prado in Metaphysica p. 2. Controv. 4. art. 3. §. 3. Et Montesinos 1. 2. q. 112. disp. 31. num. 34.

Rursus. Sicut proprium est agentis creati educere, & generare; ita Dei est creare: sed cœli, & sublunaria facta sunt à solo Deo in prima sui productione: ergo per creationem. Minor patet, tum quia id docent Scripturæ; tum quia damnatus est error asserentium, Deum creasse primam intelligentiam, & ab hac reliqua fuisse facta. Tandem factum probatur eis rationibus, quibus probatur non potuisse fieri per eductionem, de quibus sigillatim.

4. Probatur ergo impossibilitas eductionis in prima rerum productione. Ad eductionem formæ substantialis requiritur, quòd materia præsupponatur existens ante formam eductam: sed in prima mundi productione, materia non existit ante formas cœlorum, & elementorum: ergo non potuerunt educi. Minor patet, quia ante istas formas nulla fuit forma in materia, cùm istæ sint formæ primò productæ; materia autem nequit existere sine aliqua forma, ut dictum est q. 7. & 8. quare ante istas formas non existit materia. Major in qua est difficultas, multis probatur.

Et 1. sic. Non sufficit quòd materia præcedat formam, ut mera potentia ad illam; nec quòd præcedat sola præcedentia naturæ; nam de facto sic præcessit, nec tamen de facto

formæ fuerunt eductæ, ut omnes Thomistæ concedunt: ergo quia ad eductionem non sufficit hoc, sed requiritur quòd materia præexistat.

Secundò: Id docetur à D. Thoma in Compendio Theologiæ cap. 95. per hæc verba. *Manifestum est autem quòd corpora cœlestia non possunt produci in esse, nisi per creationem; non enim potest dici quòd ex materia aliqua præjacente sint facta.* En conclusio & ratio probativa, nempe quòd eductio petit materiam præjacentem, aut præexistentem, quod implicat ante primã formarum productionem. Vide alia in Palanco lib. 1. Physic. q. 13.

5. Per oppositum alij probant, quòd potuerunt educi. 1. Quia ad eductionem non requiritur quòd materia præcedat tempore formam, sed sufficit quòd præcedat natura, & causalitate: at sic potuit præcedere formam: ergo & hæc potuit educi de materia. Major probatur. Tum in accidentibus, quæ possunt educi de subjecto, quin subjectũ tempore præcedat formas accidentales eductas. Tum in forma vermis educta ex speciebus Eucharisticis, nam ibi materia denuò creata, non existit ante formã vermis eductam sed sola materia præcedit. Tum, quia in eodem instanti, quo Deus Angelos produxit, elicuerunt suos actus vitales intelligendi, & volendi, qui educti fuerunt, non creati. Tum tandem, quia ideò requireretur præcedentia temporis, quia ad eductionem requiritur transmutatio, quæ nequit fieri in instanti. At hoc esse falsum constat in exemplis datis,

cognitionis,& amoris Angelorum,qui educitur,& sine transmutatione. Item in forma vermis educta in instanti, quæ vel educitur sine trãsmutatione, vel cum sola transmutatione instantanea: ergo sufficit ad eductionem, quòd materia sit prior priorıtate naturæ &c.

§. I J.

Nostra sententia probatur,& fundamenta contr ria expenduntur.

6. DIcimus 1. formas omnes cœlestes,& sublunares de facto fuisse creatas. Ita DD. tertię sententię est que expressa B. Ægidij sententia in Examer.p.1.cap. 1. & in 2. Sent.dist.18.q.2.art.2.dub. 4. lat. & lib.de Esse & Essentia q.12. §. *Prima via.* Habetur hæc sententia in D.Thoma,tum verbis datis num.4.tum 1. p. q.65.art.5.& q.63.art.4.& 2.contra Gent. cap. 43. Traditur in Clement. unica de Summa Trin. ubi dicitur Deum condidisse utramque creaturã spiritualem,& corporalem, & de nihilo feciſſe. Quæ verba desumi potuere ex varijs libris Magn.P.August.

Probatur nostra sententia ex P. Augustino lib.13.Confess.cap.33.ubi dicit: *Laudent te opera tua,quæ habent initium, & finem. De nihilo enim à te, non de te facta sunt: non de te aliqua, non de tua* (ut Manichæi dicebant) *vel quæ antè fuerit, sed de concreata, ideſt simul à te creata materia, qui ejus informitatem sine ulla temporis interpositione formasti. Nam cùm aliud sit cœli,& terræ materies,aliud cœli, & terræ species; materies quidem de omnino nihilo,mundi autem species de informi materia, simul tamen utrumque feciſti &c.* Idem habet lib.1.de Gen. ad litt.cap.4.& 5.ubi docet esse *simul utrumque concreatum & unde factum est, & quod inde factum est.* Vocans materiam *unde fit*, & formam *inde fit*. Vide pœnè omnes libros de Genes.ad litt.lib.Confess.& omnia loca P. Augustini,semper,& ubique docet formam cœli,& terræ, concreatam esse materiæ,&quòd materia sola origine, non tempore prior est formis, inde factis.

Ex his habemus rationem probativam. Nam formæ cœlorum fuerunt factę eadem actione, qua facta est materia à Deo; ob idque vocatur materia à P.Augustino, concreata:sed actio factiva materiæ est creatio;cùm materia sit ingenerabilis: ergo formæ cœlorum, & elementorum factę sunt per creationem.

Rursus.Formæ illæ factæ sunt à soloDeo,ut testatur P.Augustinus:sed quod fit à soloDeo,fit per creationem: ergo formæ illæ,dum primò productæ sunt,factæ sunt per creationem. Minor probatur ex doctrina P. Aug. data q.12. num. 8. & 9.

Tandem. Ea solùm educuntur de potentia materiæ, quæ fiunt cum transmutatione,ut probatum est q.12 num.6.sed formæ cœlorum,& elemẽtorum in prima productione factæ sunt sine transmutatione materiæ: ergo eductæ non sunt,sed creatę.Minor probatur. Primò,quia quod fit à solo

Deo,

Deo, fit sine transmutatione. Tum quia ad transmutationem requiritur quòd materia præexistat tempore ante formam, ut probatum est num. 7. q. 12. At materia in prima mundi productione non præcessit tempore formas, ut expressè testatur P. Augustin. ubi suprà: ergo formæ non sunt factæ cum transmutatione materiæ.

7. Dices P. Augustin. in allegata authoritate dicit materiam factam *de omnino nihilo*, mundi autem speciem id est formam *de nfo i materia*. Hic S. Doctor insinuat materiam, & formam factas per diversos actus; alioq in sic tm ter , etia forma facta ellet *de omni nihilo*. Quar ruit p ma i r b iv . Rus non dicit formas factas de omnino nihilo, sed de a eria: at q iod creatur, fit de omnino nihilo, ut patet in materia, quę de omnino nihilo facta est: ergo formæ non sunt creatæ, sed eductæ. Tandem, si tam formæ, quàm materia creatæ sunt: ut quid P. Augustinus distinguit factionem formæ à materiæ productione? Ergo si distinguit, & materia cr ata est, docemur à S.P. formas non sse creatas, sed eductas.

Hoc fundamento probat Henriquus formas illas eductas; & eum sequitur Suarius, contendens eas factas per diversam actionem, ac materia. Cetcrùm cùm Suarius solùm de formis elementorum teneat esse eductas, non de cœlestibus; debet solvere authoritatem Augustini objectam; quia de cœlestibus æquè dicit factas de materi informi, & sic diversa actione, ac materia facta est.

Respondemus cum M. P. Augustino, seipsum exponente lib. 1. contra Adversar. Legis, & Proph. cap. 9. ubi ait: *Sicut in loquente fiunt verba sonantia, ubi non priùs vox informis, post accipit formam, sed formata profertur; ita intelligendus est Deus; de materia quidem informi fecisse mundum, sed simul eam concreasse mu do. Non tamen inutiliter priùs narratur unde aliquid fit, & postea quod inde fit: quia etsi potest utrumque simul fieri, non potest simul utrumque narrari.* En Deus fecit materiam formatam, sicut nos loquimur per v ces fo m as. A os simul, & per eandem actionem, producimus vocem, & formam, qua vox formatur: erg & Deus simul, & per eandem actionem, produxit materiam, & formam. Ista simul facta, & eadem actione, dicuntur tamen à nobis cum Augustino, ordine prioris, & posterioris; quia licèt simul, & eadem actione facta sint, non possunt simul, & eadem voce n rrari.

Hinc ad r licas t solutio. Ad 1. dic materiam & formam factas esse eadem actione; & revera formā eti m factam de nihilo. Cetcrùm, quia juxta Augustinum materia præcedit origine formam; ideò forma non dicitur de omnino nihilo, sed de materia: at non de materia *ex qua*, sed de materia *in qua*, quæ origine præsupponitur ad formam. Hæc applica secundæ replicæ, notando quòd quicquid creatur fit de omnino nihilo, ly *omnino* excludente subjectum *ex quo*; sed non subjectum *in quo*. Alioquin anim rationalis non esset creata, cùm

supponat materiam subjectum *in quo*. Ad 3. dic, S. P. distingere utriusque factionem terminativè, non subjectivè; quia termini sunt tales, ut materia nec origine supponat aliquid, nisi solùm nihil; forma aut m origin supponit materiam.

8. Dicimus secundò formas illas sic esse creatas, ut non potuerin educi de potentia materiæ. Ita DD. nostri, quos sequ ntur novissimè M. N. Villanova, & Gavardi. Traditur hæc sententia à N B. Ægidio, ubi suprà, cùm rationes ejus non solùm probent de facto, sed de possibili. Habetur expressè in D. Thoma, cujus verba dedimus hic num. 4. ubi, & rationes dedimus ex Palanco, & alijs ejusdem sententiæ, quas non minus probamus, quàm sententiam. Eas vide loco citato, & repone hìc.

Confirmatur hæc sententia ex dict s q. 12. circa eductionem, nam ibi num. 6. probatum est quòd eductio petit transmutationem materiæ; & num. 7. ostensum est, quòd transmutatio petit materiam tempore præcedentem: sed ante formas cœlorum, & elementorum, quas supponimus primas in materia, non potuit mater a præcedere temporaliter existens; alioquin præcederet existés sine ulla forma, quod est naturaliter impossibile: ergo nec formæ illæ potuerunt naturaliter educi.

Si tamen ponatur materia divinitus existens sine ulla forma, poterit pro sequenti duratione educi forma, stando huic confirmationi. Cetetùm aliunde repugnaret tunc eductio; nempe, quia ante formas cœlorum, & elementorum, nullum est agens naturale creatum; cùm cœlum sit primum alterans, & post Deum est causa universalior; quare formæ illę à solo Deo possent produci. At Deus nequit umquam operari per eductionem, ut probatum est q. 12. num. 8. & 9. ex P. Augustt. & B. Ægidio: ergo adhuc in isto casu formæ cœlorum, & elementum, non potuerunt educi. Vide dicta q. 12. §. 1. Nam to a controversia præsens deciditur ex principijs ibi datis pro creatione, & eductione.

9. Contra primam conclusionem nostram habemus fundamenta posita num. 1. Respondemus ad authoritatem D. Petri, nomine cœli intelligendos esse non cœlos proprios, sed aeris regionem, & elementalem; quo sensu *Aves cæli* dicuntur, quæ volitant per aerem. Istam expositione tenuit P. Augustinus lib. 10. de Civitate Dei: & plura diximus q. 6. circa incorruptibilitatem cœlorum; quam ista authoritas videtur evertere. Vide etiam D. Thom. 4. Sent. dist. 47. q. 2. art. 2. Dicuntur *de aqua*, non quoniam ex aqua educti sint; alioquin & terra facta esset de aqua, ut ibidem dicitur, cùm id non constet: sed quia per aquam diluvij perierunt; & potuerunt ante perire, nisi Deus aquas ab initio separasset, & intra terminos à Deo constitutos, continuisset. Ad aliud dic eosdem cœlos aereos calore solvendos, non cœlos stellatos. Nec obest desinere per corruptionē, quod fit per creationem: nam non petitur creatio talibus formis ex-

na-

natura sua, quia sint per se subsistentes; sed ex vi solùm quòd in prima productione non possunt fieri per eductionem.

Si tamen teneas verba Petri de cœlis stellatis, dic cum D. Thoma destruendos esse quoad motum, quia motus eorum cessabit post diem judicij, non tamen destruendos, quoad esse. Sic D. Thomas loco laudato. Vide dicta à nobis q. 6. Ad authoritatem D. Thomæ, dic illud Opusculum non esse S. Doctoris, ut testantur ejus discipuli; & patet, quoniam plura continet contra principia D. Thomæ; ob idque jussu Pij V. excussum est minoribus characteribus.

Ad rationes ibidem positas, respondemus primam non convincere, quia non sufficit ut forma educatur quòd pendeat à materia, ut subjecto *in quo*, sed requiritur pendeat ut à subjecto *ex quo*; forma materialis in prima productione non pendet à materia, ut subjecto *ex quo*, quia nec fit per transmutationem, nec fit ex materia præjacente; nec fit nisi à Deo solo, qui non indiget materia, ut subjecto *ex quo*. Vide dicta q. 12. §. 1. Hinc ad confirmationem dic formas illas pendere à materia causa materiali receptiva: & hunc defectum Deus non potest supplere. Sed non pendent à materia ut subjecto *ex quo*; quia tale solùm petitur ab agente naturali creato, non à Deo: nec etiam à forma, quæ indifferens est, ut fiat vel à Deo per creationem, vel à generante per eductionem. Ex his ad 2. confirmationem dic naturam formæ materialis pendere à materia, ut subjecto *in quo*; & hoc non inverti à Deo. At non pendet ut à subjecto *ex quo*, nisi dum fit ab agente creato. Forma autem per suam naturam non petit fieri determinatè ab agente creato, sed indifferenter à Divino.

1o. Ad fundamentum Suarij positum num. 2. dicimus, quòd actio, qua Deus ignem primò produxit, potest sumi dupliciter, nempe subjectivè, & terminativè. Subjectivè sumpta, est ipse Deus, quia cum Deo identificatur; quare eadem nunc perseverat, adhuc primo igne destructo, cùm actio illa non pendeat à termino, sicut nec Deus à creatura. Actio illa terminativè cessavit, quia sic sumpta, est indistincta à termino; & terminus jam defecit. In hoc sensu concedo, quòd actio illa jam non est. Ceterùm in eodem sensu nego, quòd actio productiva materiæ nunc perseveret. Nam cũ actio illa juxta M. P. August. ubi suprà nõ fuerit creativa solius materiæ, quia materia non est creata, sed concreata; ideò actio illa terminativè fuit materia & forma ignis. At hic terminus jam non est: ergo actio primò productiva materiæ, jam non est. Hoc dato, cessat plenè fundamentum Suarij.

2. Nec obest, quòd pro conservatione materiæ Deus mutare teneatur actiones; nam mutatio ista non est subjectiva, ut dictum est, sed terminativa. Termini autem necessariò mutãdi sunt pro conservatione materiæ: nam cùm formæ sublunares sint corruptibiles; eis mutatis, mutatur esse formale materiæ; ergo mutatur, & toties

tories variatur actio ejusdem conservativa.

11. Contra secundam conclus. habemus fundamenta posita num. 5. Respondemus neg. maj. nam q. 12. num. 7. probatū est, quòd ad eductionem non sufficit materiam præcedere naturā formam, sed requiritur præcedentia temporis. Vide etiam hic dicta num. 4. Ad 1. probationem in contrarium, omissa solutione Magistri Palanco, nego quòd accidentia non petant educi ex subjecto tempore præsupposito. Nam licèt in eodem instanti quo fit ignis v. g. fiat calor, & aliæ ignis proprietates, quæ fiunt per eductionem. At sicut forma ignis educta supponit materiam præexistentem sub alia forma; sic accidentia ignis præsupponunt materiam eandem, eodem modo præexistentem. Et cùm materia sit subjectum immediatum formæ substantialis, & mediatum accidentium; semper est verum adhuc in formis accidentalibus quòd petunt subjectum præexistens ad sui eductionem: licèt non petant hoc in subjecto immediato. Inde nil contra nos, cùm pro formis cœlorum non sit designabile subjectum præexistens mediatum, aut immediatum.

Ad 2. probationem dic, quòd in casu formæ vermis generatæ ex speciebus Eucharisticis, illa educitur ex subjecto præexistente; nam licèt non præexistat materia, præexistit quantitas Eucharistica, quæ est materia æquivalenter quoad munus sustentandi alias qualitates, & quoad munus suscipiendi alterationes ab agente circumstante, & disponente ad corruptionem specierum, & formationem vermis. Quare fit forma ex subjecto æquivalenter tali, & formaliter præexistente.

Ad 3. probationem dic actus amoris, & cognitionis Angelicæ non esse eductos, nec creatos, nec propriè esse formas factas; nam actio non fit, sed est ipsum fieri. Rursus in omni eductione agens realiter distinguitur à subjecto unde educit formam; quod in Angelis repugnat cùm agens sit voluntas elicitiva amoris, & subjectum sit eadem voluntas receptiva ejusdem: quod contingit in omni potentia vitali, quæ simul est activa, & receptiva sui actus. Ergo fieri horum actuum eductio non est, nec mirum quòd subjectū non præexistat. Adde, quòd istæ operationes incipientes cum esse rei, sunt veluti passiones rei, & sequuntur naturam subjecti, quasi dimanativè. At Angelus fit à Deo per creationē: ergo & tales actus, ut à Deo, creantur. Ut autem elicitivè sunt ab Angelo vivente per eos, quasi creantur, quia fiūt sine transmutatione, & motu, & sine temporali præsuppositione subjecti. Sic creare vel quasi creare, non repugnat agenti finito, ut dictum est, q. 12. num. 15. in fine.

Ad ultimam probationem neg. min. quam non convincunt duæ paritates. Non prima de actibus Angelorum, quia isti non educuntur propriè; formæ autem cœlorum propriè fiunt, & propriè educerentur, si fierent per eductionem. Non etiam secunda; quia in eductione formæ ver-

vermis datur vera alteratio, & transmutatio, recepta in quantitate præexistente; ut æquivalenter subjectum est eductionis novæ formæ, & corruptionis accidentium, ut dictum est.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

An plures formæ subordinatæ possint informare eandem numero materiam?

§. I.

Aliqui errores, & aliquæ sententiæ antiquatæ referuntur, & refelluntur.

1. SICVT diversa prædicata essentialia ejusdem rei, quæ integrant unicam essentiam, sunt inter se subordinata ordine prioris, & posterioris; ob idque vocantur gradus metaphysici, ut in Logica lib. 3. dictum est: ita formæ, si quæ sunt, deservientes unico composito substantiali, vocantur subordinatæ, ad differentiam earum formarum, quæ natæ sunt diversa constituere composita, & ideò in unico ente substantiali non possunt naturaliter inveniri. De subordinatis quærimus, an de facto informet eandem materiam; posteà de possibili examinandum. Quam difficultatem egregiè discussit B. Ægidius in eximio tractatu de Gradibus Formarum, & locis infrà assignandis. Post eum N. Ariminensis 2. Sent. dist. 17. q. 2. ubi ingeniosissimè pro communi, & vera sententia decertat. Ex utroque quæ dicenda sunt desumpsimus cum N. M. Villanova 1. Physic. disp. 5. dubio 5.

Primus error fuit Manichæorũ tenentium duo esse rerum principia; unum bonum, à quo res bonæ; aliud malum, à quo res malæ procedebant: inde ponentes in quolibet homine duas animas, unam bonam, & spiritualem, alteram malam, & corpoream, ab illo duplici principio productam. Fundamentum hujus erroris desumebatur ex illis Apostoli verbis. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* Sed motus contrarij non possunt provenire ab eodem principio; ergo cùm anima sit principium horum motuum, in homine dantur duæ animæ diversæ, carnalis una, spiritualis altera. Hoc argumentum suadebant etiam ex 1. Apost. ad Thessalonicenses 5. *Deus pacis sanctificet vos, ut integer spiritus vester &c.* Et ex Daniel. 3. *Benedicite spiritus, & animæ justorum Domino.*

Hunc errorem impugnavit P. Augustt. toto libro de duabus Animabus contra Manichæos; lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 13. lib. de Vera Relig. cap. 9. Nec non B. Ægid. in 2. Sent. dist. 1. q. 2. art. 3. ex eo quòd malum non est ens nec substantia, sed potius est carentia entis boni; unde malum nõ oritur à principio positivo, nec habet cau-

causam efficientem, sed deficientem. Illi motus carnis, & spiritus, in homine repugnantes, proveniunt ab eadem anima; sicut ab eodem intellectu proveniunt assensus, & dissensus.

2. Secundus error fuit Apollinaris, dogmatizantis in quocumque homine duas animas, unam purè sensitivam, aliam spiritualem, utrãque tamen à Deo esse. Pro qua sententia citatur Ochamus Quodlib. 2. q. 10. & 11. & teste Hieronymo Epist. 150. plures Catholici in eadem fuere sententia. Hanc sententiam explosit P. August. lib. 83. qq. quæst. 8. arguens contra Apollinarem docentem, Verbũ Divinum in Christo assumpsisse animam sensitivam sine rationali; inde sequi, quod Verbum non naturam humanam, sed quamdam belluam assumpserit. Probatur sequela ex illo principio Augustiniano: implicat quòd aliquid sit, & non sit in specie determinata; ut enim ait S. P. Epist. 168. *implicat quòd aliquid sit, & non hoc, vel illud sit.* Ergo implicat, quòd forma sensitiva det gradum sentiendi, & non det esse completum in aliqua specie: at hæc per vos non est species rationalis: ergo irrationalis, & belluina.

Tertius error docetur ab Avicena, qui tenens unicum rerum principium, putat in quolibet mixto esse quinque formas, nempe quatuor elementales, & alteram speciei mixtæ. Error est philosophicus, quia jam omnes ferè cum Philosopho docent elementa non manere in mixto formaliter, sed virtualiter, quatenus retinet qualitates elementorum cum unica substantiali forma mixti. Errorem istum latè impugnat N. Gerardus Senensis 1. Sent. dist. 8. q. 3. art. 1. N. Argentinas 2. Sent. dist. 15. q. unica. Breviter ex lib. de Generat. impugnatur, tum quia plures formæ substantiales naturaliter non possunt esse in eadem materia, ut dicemus. Tum quia ignis formaliter nequit esse sine calore in summo gradu: at in lapide non est calor in summo: ergo nec ignis est formaliter in eo. Idem dic de alijs elementis, quorum quodlibet suam petit qualitatem.

3. Fuit etiam aliquorum sententia tot esse in composito formas, quot sunt prædicata essentialia illius. Pro hac sententia Suarius citat N. Venetum; at alia est ejus sententia, ut patebit. Impugnatur sententia ista à N. B. Ægidio ubi suprà. Primo, quia eodem teste in Defens. D. Thomæ ad primam partem art 31. & 48. hæc positio numeratur inter errores à P. Augustino. 2. Quia formę dantes speciẽ, sunt sicut numeri; quare sicut ternarius continet binarium, & binarius unitatem; sic forma superior continet inferiorem, ut rationalis sensitivã, sensitiva vegetativam, vegetativa corpoream: ergo ab eadem anima rationali præstantur effectus vegetãdi, sentiendi, & intelligendi.

Præterea. Gradus sentiendi, vegetandi, & intelligendi, in homine nõ differunt realiter; alioquin hæc esset falsa, *Rationale est animal*: & hæc, *animal est vivens*: ergo non proveniunt à formis realiter distinctis, sed ab uni-

ca realiter f_rma, quæ vi_tualiter pe- nes gradus eſt mu'tiplex. Patet con- ſequentia. Quia rationalitas in homi- ne conſtituitur per formam rationa- lem, ſicut animalitas per formam ani- mális, materiæ communicatam: ergo ſi animal, & rationale on differunt realiter, ſed virtualiter; forma con- ſtituens animalitatem, nõ differt rea- liter à forma dante rationalitatẽ. Ad- de, quòd in Angelo dantur plura ꝓdicata: ergo ſi veniunt à formis di- verſis, A gelus non rit f rma ſim- plex, ſed ſubſtan ialit r c_mpoſitus, quod falſiſsimum eſt.

4. Noſtri Venetus, & Bur- læus ponunt in quocumque compo- ſito duas formas ſubſtantiales, unam univerſalem, communem omnibus in- dividuis, quam v_can_ f_rmam _oti_s; alteram particularem, propriam cu- juſcumque individui, & ideò in e_s mu'tiplicatam. De hac ſententia egi- mus lib. 3. Log cæ q. 3. §. 2. ubi ſatis impugnata eſt; eò quòd non poſſet De s annihil re unum hominẽ, quin formam totius deſtrueret, & ſic totam naturam humanam annihilaret. Vide plura contra iſtam ſententiam in N.B. Ægidio tractatu de Gradib. Formar. cap. 5.

5. Alij ponunt in compo- ſi ſubſtan iali nedum formam to- tius, ſed tot formas ſubſtantiales, quot ſunt partes diſsimiles: unde in homi- ne prẽter animam ponunt formam oſ- ſi ;c nis, nervi, ſanguinis &c. N. Lu- ſitanus 1. de Gener. cap. 5. q. 1. citat pro hac ſententia Scotum, & Anto- nium And eam. Fundatur hæc opi- nio 1. Quia tales partes diſsimilares differunt pec : diſtinctio ſpecifica provenit à fo m : _rgo tales partes habent diverſas formas. 2. Tales par- tes habent operationes diverſas; nam cor calefacit, & exſiccat; cerebrum humetat, & r gefacit: operationes autem diverſæ judicant diverſas for- mas, à quibus proveniunt. 3. Nam c ro abciſſa, reunitur, ſi ſtatim con- jungatur: ergo quia habet propriam formam, diſtinctam à forma totius: Alioquin ſemel per ab ciſsionem ſe- parata forma o ius, non p ſſ i erũ vivificare carnem abſciſſam, cùm non detur regreſſus à pr vatione ad for- m_m. 4. S nguis in homine habet for- mam diſtinctam ab anima: ergo idem de alijs partibus.

Contra iſtam ſententiam arguit N. B. Ægi ius oco laud to de Gr - dibus Formarum, oſtendens t l par- tes differre penes quantitatem, & qua- l tates varias, vi quarum oſsibus con- venit durities, mollities carni, ſangui- ni rubedo, ° fluxus &c. Ceterùm ab eadem anima informantur, quæ prin- cipium eſt radicale omnium operatio- num; cauſat tamen anima diverſas actiones juxta diverſitatem qualita- tum, quibus operatur, & organorum, p r quæ ſu x rcet operationes. Quapropter ex diverſitate partiũ diſ- ſimilium perperam probatur in vivẽ- tibus pluralitas formarum.

Ad 1. dic tales partes differre ſpecie ſecundùm conſiderationem me dicam, ſecundùm quam diver s if- finitionibus explicatur eſſentia cordis, jecoris, ſplenis &c. Ceterùm à Ph-

losopho naturali attendente solam & unicam substantiale n form n, non differunt specificè partes illæ, sed accidentaliter. Ad 2. patet ex dictis, nam tales operationes, licèt diversæ, veni nt b ndem a ma, cum sola diversitate qualitatum,& organorum. Ad 3. dic cum N.Lusitano, quòd in parte abscissa manen spiritus vitales, aliquo tempo e durantes,intra quod, si fi t eu io,i e u p rs il anima tu ; qui a tu c non datu egressus adæquatus,sed inadæquatus formæ,& hic o inco ve it.Suarius ubi suprà, sequutus Sonzinatem 8.Metaphysicæ q.10.ad 7.negat iterum fieri perfectã unionem partis, sed apparentem. Ad 4. si n es san uinem informari anima,negabis consequentiam;disparitas est,quòd sanguis non cõtineatur alijs partibus corporis,ideòque non informatur forma rotius. Si te e s guinem informari nima, nega ans. sed de hoc ad libros de An ma.

§. IJ.

Quid dicendum de formâ corporeitatis.

6. AFfirmant aliqui in comp sto substantiali duas esse formas, unam specifi m, alteram commun, & materialem, quam vocant for m corporeitatis.Sic Avicembron,Av c na,Henri uus,Scotu , qu f runt, & seq tur Kon nch.& Arri ga.Dif ferunt,quia Avicena possu t hanc formam in omni composito substantiali, & m dixit coævam mater æ, & sic ing n rab lem, & incorruptibilem. Scotus verò,& Henriquus,docent form il am denuò generari,&corrumpi: nec illam admittunt nisi in solis viventi us, t Scotus,& in sol homine.ut Henriqu s,q i n gans quòd ab n m sp i tu li veni t corporeitas materiæ,dicit eam corpoream per formam distinctam, uam putat in solo homine necessariam.

Hæc sententia,quantum ad cõpositum humanum pr batu sic à Merine o insigni Scotista lib. .de Ortu, & interitu disp.2.q. 4. Anima rationalis non ribui composito humano esse corporeum,sed solùm esse vegetativum,sensitivum,& rationale: ergo præter ani a po enda st in homine alia forma dans gradum corporeitatis.Consequentia tenet: antecedens probatur.Nemo dat quod non habet: sed nim rationalis non est corporea: ergo. Si autem cum DD. nostris dicas, imam non esse corpoream for aliter,sed em ne ter; quod sufficit ad dandum formaliter materiæ gradũ corporeitatis. In contrarium arguit sic.

Primò: Quia nulla forma continet eminenter eff ctum, sibi repugnantem: sed esse corporeum repugnat animabus, præcipuè rationalibus: ergo illud non con inen minẽter. 2.Licèt pro causa efficient sufficient a virtual effectus,non pro causa orma i; nullus enim dixit sufficer ,quòd causa formalis sit talis virtualiter,aut emine te , sed omnes requirunt. quòd sit alis formaliter,& in actu. Discrimen est,quòd causa efficiens causat effectum, à se distinctũ,

&

& ad hunc ſufficit continentia virtualis. Ceterùm caula formalis caulat e communicando; & ejus effectu eſt ipſa forma communicata ſubjecto capaci; quare ſi forma non ſit formaliter talis, nullum formaliter dabit effectum.

7. Secundum fundamentum eſt pro omni vivente, & ſumitur ex diffinitione animæ tradita ab Ariſt. dicente: Anima eſt *actus corporis, phyſici, organici, in potentia vitam habentis.* En anima eſt actus corporis phyſici: ergo a qu anima nfori et corpus, jam corpus eſt conſtitutum per aliam formam ſubſtantialem. Patet conſequentia. Quia alias Philoſophus non bene diffiniſſet animam, ſed debebat dicere, quò anima eſt, quæ facit corpus phyſicum, organicum &c.

Confirmatur ex alia diffinitione, data à Philoſopho per effectus animæ, nempe Anima eſt, *qua primò nutrimur, ſentimus, & intelligimus.* At hìc on xplic tur corporeitas, ſed ſolùm vegetabilitas, ſenſatio, & rationalitas: ergo quia m o tribuit gradum corporeitatis, ſed roveni b alia forma, neceſſariò aſtruenda in viventibus.

Confirmatur 2. Operatio rguit formam: ſed in ivențib s eſt aliqua operatio, quæ non poteſt naſci ab anima: rgo debet aſtru al a forma, nempe corporeitatis, à qua proveniat. Minor probatur. Homo elapſus è turri præter intentionem, movetur naturaliter deorſum, & à ſeipſo non minus, quàm lapis moveret r: ſed motus iſte nec mediatè, nec immediatè eſt ab anima, ſed eſt à gravitate naturali, quæ repugnat animæ: ergo &c.

8. Tertium fundamentum ad idem eſt. Quando vivens moritur, nulla forma introducitur in corpore, qu denominetur cadaver poſt ſeparationem animæ: rg qui anet tunc mater a cum forma corporeitatis, quam antea habebat ſimul cum anima. P t t conſequ ntia. Nam eſſe eo p e m cad veris ab aliqua forma præſtari debet; & non ab anima, quæ ſepar ta eſt: reſtat quòd ſit à forma præexiſtente ſimul cum anima, ſi denuò forma alia non introducatur. Antecedens probatur. Si ab agente corrumpente animam, nova forma introduceretur, hæc non ſemper eſſet ejuſdem ſp i, cùm viv ns aliquando corrumpatur ferro, aliquando funè, aqua, igne, fumo &c. Quis credat tam diverſas cauſas poſſe introducere in materia formam ejuſdem ſpeciei? At conſtat ocularitèr, quòd à quibuſvis cauſis corrumpatur vivens, ſemper inducitur in materia eadem forma cadaverica, eſtque idem in ſpecie cadver rgo.

9. Quartum fundamentum Theologicè ſumitur ab cõv nt. Nam ex contraria ſent tia ſequitur, quòd corpus Chriſti in ſepulchro non fuit idem num o, & ſpecie corpus, quod fuit dum vivebat: quod eſt contra fidem. Probatur ſequela. Nam unitas ſpecifica, & numerica corporis ſumitur à forma: ſed a ſen entia contraria, corporei as in vivente ſumitur ab nim , in cad v r utem ſumitur

à nova forma cadaverica, quæ introducitur: ergo variatur forma corporis Christi vivi,& mortui; & sic non erit idem corpus. Ex hoc plura absurda sequuntur. 1. quòd tale corpus mortuum non esset adoratione dignum. 2. Non haberet sibi unitã Deitatem. 3. Dato Deitatem unitam esse illi formę novæ cadavericæ,postea reliquisset eam formam in resurrectione,quod est contra Damascenum dicentem de Deitate *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit*.

Hoc argumentum variè urgetur. 1. sic. Quia si quis consecrasset hostiam in triduo mortis Christi, verè confecisset Sacramentum dicens: *Hoc est corpus meum*: at tunc solùm possuisset materiam sub forma cadaverica Christi:ergo hæc est verum Christi corpus. At si per mortem Christi inducta esset nova,& distincta forma in materia; hæc non fuisset corpus Christi,quod fuit vivens; nec quoad formam,quia hæc novà est;nec quoad materiam,quia mutata forma,mutatur unitas materiæ: ergo &c.

2. Urgetur.In Reliquijs Sanctorum,quæ veneratione dignæ sũt, quoniam sunt aliquid, quod fuit in Sanctis dum viverent: at si non manet forma corporis,quæ fuit, sed nova inducitur, nil manet ejus quod fuit; cùm non maneat in reliquijs anima, nec materia quæ fuit,sed alia,quæ mutata est per adventum novæ formæ: ergo nil manet veneratione dignum.

Noster Nicolaus à S. Joanne Baptista Augustinianus Discalciatus in sua Augustiniana Philosophia tom. 3. q. 5. cap. 3. acriter pugnat pro forma corporeitatis, contendens eam esse de mente P. Augustini, cujus authoritates adducit. At eodem jure posset omnes SS. PP. allegare, cùm omnes distinguant corpus ab anima, omnes dicant animam infusam corpori tradu-cto per generationem; omnes dicant corpus Christi jacuisse in sepulchro, & Romę servari, & honorari corpora,quæ fuerunt Petri,Pauli, & aliorũ Sanctorum. Quo autem sensu hæc vera sint sine forma corporeitatis,patebit; indeque sensus P.Augustini, & locutiones Sanctorum patefient.

§. III.

Vera sententia negans formam corporeitatis probatur.

10. VERA sententia negat formã corporeitatis distinctam à forma specifica compositi substantialis,tam in viventibus, quàm in non viventibus.Ita omnes Thomistæ, omnes Ægidiani, nec non communiter DD. eis exceptis, qui §. præcedenti allegati sunt. Est expressa Arist. sententia, qui nec in homine admittit formam distinctã ab anima. Sic enim habet 7. Metaphysicæ textu 39. *Manifestum est, quòd anima quidem substantia prima,corpus verò materia: homo verò vel animal,quod ex ambobus.*

Probatur ergo conclusio nostra de omni vivente,constante ex corpore,& anima,de quo P.Augustinus lib. de Immortalitate Animę,cap. 15. dicit,quòd corpus est corpus per animam,

mam. Verba S. P. sunt hæc: *Hoc autem ordine intelligitur à summa essentia* (intellige Deum, qui summa essentia est) *speciem corpori per animam tribui, qua est in quantumcumque est.* Inde arguit quòd anima nequit fieri corpus, u converti in cor us; quia hoc deberet fieri per a imam, dante esse corporeum, & speciem corpori. Vnde ait. *Quapropter consequens erat, ut ... ima per animam corpus fieret, nec omninò aliter posset.*

Observa quòd S. P. lib. 1. Retractationum cap. 5. dicit duas propositiones libr allegati esse temerè dictas; non quòd falsæ sint, sed quòd non benè explicatæ. Ob d etiam dolet de publ catione hujus libri, eò quòd obscurus est ratiotinationū contorsione, & brevitate. Nullam tamē ex rationibus illis retr ctat: & quæ à nobis nunc al egatur, talis est. Si a- n m fieret corpus, hoc fieret pe animam, non per corpus, ui unitur; *nec omninò alit r posset*: sed anim nequit fieri co pus p nim m: go anima unita corpori, non fit corpus. Hęc ratio supponit illud principium nempe, quòd corpus est corpus per animam. Ergo juxta S. P. vivens constans ex cor ore, & anima, non est corporeum per formam corporeitatis, distinctam ab anima, sed per animam, dantē gradum corporeitatis.

11. Probatur 2. ex D. Thoma multis locis, sed præcipuè 1. de Generat. lect. 10. ubi ait: *Patet falsam esse opinionem, quam tradidit Avicembron in lib. Fontis vitæ, quòd in materia est ordo formarum, ita quòd primò advenit materiæ forma, secundùm quam est substanti, & posteà alia secundùm quam est corpus, & posteà alia secundùm quam est animatum corpus, & sic de alijs.* Vide S. Doct. 1. p. q. 76. art. 4. ubi Cajet. & alij interpretes. Ad idem N. B. Ægidius toto tractatu de Gradibus Formarum, p æcipuè in 2. parte cap. 1. & 2. ubi corpus, quod cum anima componit vivens, dicit esse materiam cum modo quantitativo, semper negans formam corporeitatis. Corpus autem quod est genus ad viv nt , & nani ta est m t ria cum esse corporeo præstito à forma specifica secundùm gradum universalissimum substantiæ corporeæ. Vide etiā N. B. D. Theorem. 31. & 34. de Sacram. Altaris. & Opusc. 47. quod est de plura itate formarum, & habetur inter op ra . Thomę. Item in Defensorio ad 1. p. art. 31. & 48.

Probatur à ratione conclusio nostra ex B. Ægidio tractatu laudato 3. p. cap. 5. & omissis rationibus Theologicis, quæ ab eo ddu untur c pit b s 1. 2. 3. & 4. de Corpore Christi in sepulchro, & in Sacramento, ubi d gmata F de nostræ non plenè salvantur, si ponitur corpus Christi tale per formam corporeitatis: eis omissis, clariùs, & philosophicè arguentes, probatur sic assertio nostra.

12. Primo sic. Omnis prædicatio fit, vel quia unum est essentialiter aliud; & tunc est prædicatio essential s; vel quia est in eodem subjecto; vel quia est ad illud; quorum utrumque causat prædicationem denominativam. Exemplum primi: *Homo est*

est animal. Secundi *Album est musicum*. Tertij *discurrere est opus humanum*. Sed hæc prædicatio *vivens est corpus*; & hæc *lapis est corpus*, non est prædicatio accidentalis, & denominativa, sed essentialis; cùm sit prædicatio generis de specie, quod prædicatur essentialiter, ut ex Logica constat: ergo in eis vivens, & corpus, lapis & corpus sunt unum essentialiter. Patet consequentia, alioquin falsò prædicaretur essentialiter. Sed si corpus diceret formam corporeitatis distinctam à forma viventis, & à forma lapidis, non essent unum essentialiter, ut patet: ergo si unum sunt, ut probatū est; ab unica forma venit esse corpus, & vivens; esse lapidem, & substantiam corpoream: quare nec in viventibus, nec in non viventibus datur forma corporeitatis.

Secundo sic. Implicat quòd aliqua sint unum numero, quæ non sunt unum in specie: sed admissa forma corporeitatis sequitur quòd aliqua differentia in specie, sint unum numericè: ergo talis forma admittenda nō est. Probatur minor. Admissa forma corporeitatis, dum ex aqua fit ignis, corporeitas aquæ manet sub nova forma ignis, unde in igne & aqua specie differentibus, manet eadem numero forma corporeitatis: sed à forma habetur unitas substantiæ positiva: ergo admissa &c.

13. Tertio sic. In rebus inanimatis non datur forma corporeitatis, distincta à forma specifica totius: ergo nec in viventibus, & animatis. Antecedens conceditur à Scotistis contra Avicembron, & alios tenentes sententiam num. 3. impugnatā. Et ultra dicta ibi, probatur ex N. B. Ægidio sic. Inanimata solùm constant ex materia, & forma; sicut è contra, animata constant ex corpore, & anima; & ob id animata moventur per se, & à se; secùs inanimata, quæ moventur à generante: sed si inanimata haberent formam corporeitatis, cōstarent ex corpore, & forma, & non ex sola materia, & forma: ergo &c.

Consequentia autem probatur contra Scotistas. Supponamus ex lapide generari vermem, & arguo sic. Si lapis per eandem formam est corpus, & lapis, cedente forma lapidis, cedit & corporeitas proveniens à forma lapidis: ergo vel vermis denuò genitus non erit corporeus, vel ejus corporeitas venit à forma vermis, & sic nec in viventibus datur forma corporeitatis, distincta ab anima viventis. Probatur consequentia. Corporeitas vermis non venit à forma lapidis corrupta, ut patet; nec venit à forma corporeitatis, denuò genita; quia hoc est contra suppositum, quo supponimus ex lapide generari vermem; si enim denuò generaretur forma corporeitatis, tunc ex lapide generaretur corpus, & ex corpore vermis. Imò implicatoriè generaretur ex lapide corpus, cùm lapis corpus sit; nec natura unum corrumpit, ut idem denuò generet, sed ut generet aliud. Vide alias rationes in B. Ægidio, & N. M. Villanovano locis laudatis.

14. Eas confirmo efficaciter sic. Implicat compositum substantiale

tfale unu_ numero,& duplex in ſpecie completa: ſed ſi compoſitum, ſive vivens, ſive non vivens, habuerit duplicem formam; unam corporeitatis,aliam ſpecifi-am & totalem, eſſet idem numero,& eſſet in duplici ſpecie completa: ergo &c. Probatur minor,&de unitate numerica patet,tum, quia hæc ſumitu_ à materia, & materia illius compoſiti eſſet una. Tum, quia dato ſumi ab hæceitate,hæceitas illius compoſiti,v. g. Petri, aut hujus lapidis,eſſet una. R ſtat probare duplicem unitatem ſpecificam completam in illo compoſito.

Probatur ſic. Forma illius compoſiti per te eſt duplex,& realiter diſtinc_a: at quæ_ibet dat eſſe comp etum,& unitat_m ſ_e_ifi_ c_mpl_tam: ergo illud compoſitum eſſet in duplici ſ ecie completa. Probatur minor. Quælibet forma ſubſtantialis dat eſſe completum,& ſpecificum,nec eſt dabilis forma dans eſſe genericum, & non tribuens ſpecificum: ergo. Probatur antecedens. Ex P. Auguſt. allegato num. 2. ubi negat aliquid eſſe, & non eſſe hujus vel illius ſpeciei: ſed ſi daretur forma tribuens eſſe genericū ſine ſpecifico, per illam eſſet aliquid, non tamen hoc, vel illud, hujus, vel illius ſpeciei: ergo &c. Confirmatur. Forma mnis ſubſtātial's ita eſt actus materiæ,ut dat ei ſpeciem completā: ergo implicat forma d_ns eſſe generi-cum,& non ſpecificum. Probatur antecedens, quia ex p_oſito ſequeretur,quòd materia cum forma incompleta, eſſet ſuſceptiva alterius formæ ſubſtantialis dantis ſpeciem completam: ſed hoc implicat: ergo. Probatur minor. Implicat quòd forma ſubſtantialis ſit receptiva alterius formæ ſubſtantialis; quia hoc eſſet ponere formam priorem eſſe materiam,&primum ſubjectum receptivum formæ ſubſtantialis. Rurſus ſecunda forma adveniens materiæ, habenti alteram, vel non eſſet actus primus materiæ, & ſic non eſſ-. ſubſtantialis, ſed accidentalis; vel prima forma ſuppoſita in materia non eſſet actus materię, & ſic non eſſet forma: ergo implicat &c.

Confirmatur 2. Forma ſenſitiva in homine, ſi diſtincta ponitur à forma rationali,eſt forma belluina,& irrationa_s jux a P. Auguſtinum agentem contra Apollinarem loco laudato num. 2. Ergo forma corporeitatis in vivente, ſi ponitur diſtincta ab anima, eſt forma inanimata. Patet conſequentia, tum à paritate, tum à ratione,quæ ex P. Auguſtino data eſt num. 2. Sed ex primo ſequitur quòd homo ſit ſimul rationalis, & irrationalis,homo,& bellua: ergo ex ſecundo ſequitur, quòd vivens ſimul ſit animatum,& inanimatum, quod æquè repugnat ac primum.

Confirmatur 3. Eis rationibus, quibus num. 3. impugnata eſt ſententia Avicembron, nam æquè militant contra formam corporeitatis, tum quia perfectio hujus formę continetur i anima, quæ eſt forma ſuperior; unde ab anima eſſe corporeum dari poteſt. Tum, quia hæc prædicatio *vivens eſt corpus*, eſt eſſentialis; nec eſſet, niſi ab unica forma utrumque

eſſe

esse proveniret. Tum, quia cùm nulla necessitas cogat ponere in viventibus formam corporeitatis distinctam, ut patebit ex solutione argumentorum; vel pro numero prædicatorũ rei multiplicandæ sunt formæ, vel non est ponenda distincta ab anima pro gradu corporis. At primum non admittunt Scotistæ, & Gandavistæ: ergo nec secundum propugnant consequẽter. Vide quæstionem sequentem §. 1.

§. IIIJ.

Solvuntur fundamenta contraria.

15. AD primum fundam. sententiæ contrariæ, positum n. 6. respondemus instando in eorum sententia, docente quòd anima rationalis dat materiæ esse vegetativum, sensitivum, & rationale: at anima nostra non est formaliter vegetativa, & sensitiva, sed solùm eminenter: ergo licèt non sit formaliter corporea, dabit esse corporeũ, semel quod sit eminenter corporea. Nec benè solutio ista impugnatur à Merinero; nam si spiritualitati animæ repugnat corporeitas eminentialis, repugnabit eminentialis vegetabilitas, & sensibilitas, unde ab anima non poterunt hi effectus dari formaliter; quod si concedat, incidit in sententiam Avicembron, quã ipse impugnat. Ergo restat, quòd sicut Deo repugnat esse creaturam formaliter, continet tamen eminenter; sic animæ repugnat corporeitas formalis; illam tamen eminenter continet.

Nec valet secunda impugnatio, quæ destruit meliorem partem Philosophiæ. Certè anima rationalis est causa formalis dans esse vegetativum, & sensitivum; & tamen hoc non continet formaliter, sed eminenter. Ergo nedum pro cau. efficient., sed pro formali sufficit continentia eminentialis effectus. Si quid autem impugnatio Merineri probat, hoc est cõtra ipsum, sed in favorem N. B. Ægidij docentis quòd effectus formalis formæ realiter distinguitur à forma, communicatæ subjecto. Patet hoc, nam effectus formalis animæ nostræ in materia est esse formale corporeum, vegetativum, & sensitivum: at anima nostr communicata materiæ, non est formaliter corporea, vegetativa, aut sensitiva: ergo esse formale ab ea præstitum, est realiter distinctum à forma communicata subjecto. Sed de hoc libro sequenti.

16. Ad secundum fundam. positum num. 7. respondemus, quòd mens Philosophi in a diffinitio. e cõstat ex authoritate ejusdem à nobis allegata num. 10, ubi dicit quòd *corpus est materia*. Illa ergo diffinitio dupliciter explicatur. 1, intelligendo *corpus*, ut ar st com o cum anima; & tunc non dicit solam materiam, sed materiam organizatam per modum quantitativum, vi cujus habet partes distincta, & organ necessaria viventibus ad suas operationes. Hæc corpore non constant inanimata, sed sola materia; quia cùm inanimata nõ habeant vitales motus, non digerit organis, & partibus dissimilaribus. Hìc

jam

jam vides nullam dari formam corporeitatis ante animam, sed solùm modum illum quantitativum.

Secundò sumitur *corpus* pro genere substantiæ corporeæ;& tunc non dicit solam materiam, sed materiam cum gradu corporeitatis completæ, qui datur ab anima, quæ suos habet gradus,vide dicta quæst.9.§. 3. ex D. Thoma, & B.Ægidio. Quare sicut anima juxta Scotistas priùs dat esse vegetativum,posteà sensitivum, tandem rationale;sic ante omnes dat esse substantiam completam, posteà esse corpus. Hinc fit quòd anima reduplicativè talis,non est actus solius materiæ, sed materiæ habentis gradum corporeitatis completæ: in quo sensu est etiam actus corporis. Nec pro hoc necessaria est forma distincta realiter, sed gradualiter,ut dictum est.

Ad 1. confirmationem dic,quòd anima,ut anima solùm dat illos effectus vegetandi,sentiendi &c. ceterùm anima,ut forma est substantialis, dat esse corpore m; nec debet hoc explicari in diffinitione animæ, ut anima est;unde à Philosopho ho omnitur prudentissimè. Ad 2. confirm.dic, quòd motus ille venit à gravitate; gravitas major, vel minor,venit à majore, vel minore quantitate; quantitas major, vel minor venit in materia à forma substantiali; nam juxta diversitatem formarum petit materia diversas quãtitates, ut patet in elephante, & formica. Ergo motu hominis cadentis deorsum,venit ab anima;cui licèt repugnet gravitas,sicut & quantitas mollis,non tamen materiæ habenti animam rationalem,qua redditur corpore ,gravis,quanta &c.

17. Ad 3. fundam. positum num. 8. respondemus 1. negando antecedens,quia contra illum communem Philosophæ, in qua negatur corruptio sine generatione: sed dum moriuntur animal, corrumpitur anima: ergo stante nulla inducitur forma cadaveris, denuò genita, datur corruptio naturaliter sine generatione.Nec valet probatio antecedentis. Tum, quia, ut benè demonstrat Suarius in Metaphysica, non est eadem forma cadaverica,quæ inducitur fe o,igne, fune &c. sed diversa; & ejus diversitatem satis indicant varia cadaverũ accidentia. Sed demus esse eandem formam: non repugnat esse à diversis causis. Omnes enim illæ causæ,quantumcumque diversæ, sufficiunt seorsim ad eandem expulsionem animæ juxtà contrarios: ergo sufficient ad inductionem ejusdem effectus.Rursus idem calor potest esse ab igne,Sole,aut dissolutione: ergo à diversis causis idem cadaver: maximè cùm ferrum,ignis, funis &c. non sint causæ principales formę cadavericæ, quam non producunt, sed instrumentales deservientes separationi animæ, cui subvenit agens naturale circunstans, à quo forma cadaveris principaliter generatur.

18. Ad quartum fundam. positum num. 9. dicimus cum Div. Thoma 3. p. q. 50. art. 5. quòd corpus Christi mortuum & corpus Christi vivum, fuit idem numero. Verba S. D. sunt hęc: *Simpliciter*

idem est, quod absolutè; sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, ut Philosophus dicit: & hoc modo corpus Christi mortuum, & vivum fuit idem numero: dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est suppositò idem: corpus autem Christi vivum & mortuum fuit supposito idem, quia non habuit aliam hypostasim vivum, & mortuum præter hypostasim Verbi Dei. En identitas numerica corporis Christi mortui, & vivi sumitur ab unitate existentiæ, & subsistentiæ. Et cùm in morte manserit Deitas unita corpori, quod nunquam dimisit; ab ea dicitur idem numero corpus mortuum, ac fuit vivum. Sicut enim, qui gladium in vagina tenet, dum illum evaginat, gladium simul, & vaginam manu tenet; ita Deitas unita humanitati, dum per mortem animam è corpore quasi evaginavit, corpus, & animam manu tenuit sibi unita. Hinc corpus illud mansit idē, unitate sumpta à supposito Verbi; fuit vi ejusdem digna adoratione: ac tandem Deitas in triduo illo univit sibi formam cadavericam, per mortem inductam, quam dimisit in instāti resurrectionis, quia non fuit de permanenter assumptis, de quibus intelligendus est Damascenus.

Adverte, quòd licèt attēta unitate suppositi corpus Christi fuerit idem numero, non fuit omnibus modis idē, quia substantialiter mutatum est. Cōstat enim quòd de corpore Christi vivo prædicatur substantialiter *vivens*, quod de mortuo non potest affirmari: ergo attenta forma substantiali materiæ Christi, fuit substantialiter diversum. Ob id in Summulis p. 2. q. 4. diximus ex D. Thoma, quòd hæc propositio *Christus est Homo*, fuit falsa in triduo mortis, quia falsa fuit hæc *Christus est vivens*, quoniam contradicit huic *Christus est mortuus*, quæ in triduo fuit vera, ut docet fides. Ergo locutiones SS. PP. & Symboli fidei inuentes unitatem, & identitatem corporis Christi vivi, & mortui, exponendæ sunt, & conciliandæ cum veritate mortis Christi. Hæc expositio clara, & solida est, ut datur à D. Thoma, recurrente ad unitatem suppositi Divini, quod mansit unitum corpori in triduo mortis.

19. N. B. Ægidius approbans doctrinam istam, aliter etiam ostendit identitatem corporis Christi, ut salvet etiam identitatem in corporibus mortuis Sanctorum, quæ veneratione digna sunt, nec tamen de illis mortuis dici potest, subsistere subsistētia, quam habuerunt in vita ante animæ separationem. Corpus ergo dicit materiam organizatam per modum quantitativum, ut num. 16. explicatū est. At eadem materia, quę in Christo, & Sanctis, dum viverent, fuit, māsit post mortem, & mansit organizata: ergo mansit idem corpus, sumpto corpore, ut pars est componens cum anima substantiam completam viventis. Ob id S. P. Augustin. lib. 5. contra Faustum cap. 10. dicit: *Laudetur in sepulchro cinis informis, quia jam nec formam cadaveris tenet.* Sed quam formam? Eam certè, quam Lazarus quatriduanus tenebat, etsi fætentem in sepulchro. De illa idem S. P. dicit tractatu

tractatu 49. in Joann. *In cadavere putente Lazari adhuc fuisse formam membrorum.* Eu corpus mortuum idem cum vivo, quoniam retinet formam membrorum, idest materiam organizatam. Hanc deperdit dum incineratur; sed cinis adhuc laudandus, quoniam ibi materia est, quæ fuit in corpore laudabili dum vixit laudabiliter.

Ex dictis cessant motiva, quibus urgetur fundamentum. Dicimus ad 1. quòd si quis in triduo mortis Christi consecraret, poneret sub speciebus corpus Christi mortuum. Sic juxta Venerabilem Mariam de Agreda in Historia Beatissimæ Virginis MARIÆ, corpus Christi sub speciebus Sacramentalibus mansit in pectore Virginis à Cœna Dominica, usque ad primam Missam, & consecrationem factam à D. Petro. Hoc totum triduo stillavit in Eucharistia vivum sui, vivens e Christo; mortuum in triduo mortis; iterùm vivum, Domino resurgente. Semper tamen idem corpus, vel identitate sumpta à supposito juxta solutionem D. Thomæ; vel ut patet à materia organizata per modum quantitativum juxta B. Ægidium: cui identitati non obest variatio formæ substantialis, ut dictum est. Per quod patet ad secundam argentiam.

2o. Posset quis arguere pro forma corporeitatis ratione sumpta ab hominis generatione. Nam generans homo aliquid producit: non materiam, quia hæc est ingenerabilis; nõ animam rationalem, quia hęc solùm fit per creationem à solo Deo: ergo generat formam corporeitatis, nec restat aliud generabile. Et confirmatur ex Apostolo dicente, *Seminatur corpus animale*, intellig. per generationem; *Surgit corpus spirituale*, subaudi per resurrectionem à mortuis futuram. Ergo quia caro traducitur, & generatur, quatenus generatur in homine forma corporeitatis.

Ceterùm de hoc erit sermo infrà quæst. de Vnione materiæ cum forma. Interim dic, quòd ab homine priùs generatur embryo, quod primò vivit vita plantæ, hoc est vegetativa; secundò vita animalis, hoc est sensitiva; tertiò vita hominis, hoc est rationali. Prima habetur per formam vegetativam; qua cedente venit forma sensitiva; & hæc cedit dum anima rationalis à Deo infunditur. Duæ primæ formæ generantur: tertia autem à solo Deo creatur, sed homo disponit ad unionem ejus cum corpore. Hinc Exodi 21. Percussio mulieris prægnantis diversa pœna multatur, nempe pecuniâ, si fuerit ante formationem fœtus; morte autem percussoris, si fuerit post formationem, ait enim Scriptura: *Reddat animam pro anima.* Sed percussor morte sua reddit animam rationalem: ergo post formationem (intellige infusionem animæ rationalis) sublatulit percussione animam rationalem, non antea, si antea percussit. Fatetur M. P. Augustinus in Enchiridio cap. 86. difficilè inter doctissimos quæri, & disputari: *Quando incipiat homo vivere in utero?* Nam tunc incipit vivere ut homo, quando infunditur anima rationa-

lis : sed hoc quando designare, difficile est.

Procedit tamen conceptio humana juxta communiorem Philosophorum sententiam, quam per hæc verba refert S. P. August. lib. 83. q. q. 56. *Dicitur autem conceptio humana sic procedere, & perfici, ut primis sex diebus quasi lactis habeat similitudinem; sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem; deinde duodecim diebus solidetur; reliquis decem & octo diebus formatur usque ad perfecta lineamenta membrorum.* Post hos dies, qui quadraginta quinque sunt, infunditur anima rationalis, cùm corpus efformatum incipit moveri. At computus dubius est, quia pendet ex complexione vel calida, qua citius animatur, vel frigida qua tardiùs; sed de his ad Animasticos.

QVÆSTIO DECIMA SEXTA.

An duæ formæ substantiales possint divinitus informare eandem numero materiam?

§. I.

Ostenditur hoc esse naturaliter impossibile.

1. QVOD naturaliter non possint duæ formæ esse in eadem numero materia, ostenditur ab ipsa natura, in qua videmus ocularitèr, quòd generatio unius formæ est corruptio alterius; sicque formæ ipsæ succedunt vè e expellunt vi saltem naturalis incompatibilitatis. Patet etiam ex dictis q. præcedente; nam si duæ formæ subordinatæ non possunt esse in eadem materia, minùs cõpatientur formæ non subordinatæ.

Adsunt rationes, ne naturaliter possibilis sit duplex forma in materia. Primò, quia per unicam formam sufficienter actuatur materia, & satis terminatur dependentia materiæ: ergo alia forma superfluit, & ob id respuitur à natura. 2. Quia formæ diversæ requirũt dispositiones naturaliter incompatibiles, v. g. ignis calorem in summo, nix frigiditatem summam: ergo signum est, quòd formæ ipsæ ex natura sua incompatibiles sunt. 3. Cùm materia deserviat formis ad suos motus, & operationes; & inqueat deservire simul motibus contrarijs, non potest simul suscipere tales formas. 4. Cùm eadem ratio sit de duabus, ac de pluribus, si materia posset naturaliter habere duas, posset plures, & plures. Hoc absurdum concedi non potest: ergo nec antecedens unde sequitur. Hæc Suarius ex communi doctrina, pro qua citat D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. & N. B. Ægid. 2. de Anima q. 6.

Probatur etiam ex B. Ægidio philosophicè sic. Materia naturaliter recipit formam media quantitate: at materia una numero nequit habere du-

duplicem quantitatem; nec vi unius quantitatis duplicem recipere formã: ergo naturaliter non potest informari duplici forma. Major est certa, quia materia recipit formam ab agente naturali; agens tangit formam tangendo materiã, quia *in tantum agit, in quantum tangit*; nequit autem tangere materiam, nisi ratione quantitatis. Minor autem probatur. Materia per unicam quantitatem solùm est tangibili ab unico agente; & sic solùm est receptiva unius formæ. Quòd autem naturaliter non possit habere duas quantitates, patet ex eo, quòd duo accidentia solo numero differentia, non possunt recipi in eodem subjecto. Quantitates illæ solo numero differrent.

2. Hinc probatur etiam quòd una forma, nequit naturaliter informare duplicem materiam. Nam forma unica inducitur ab agẽte per unicam actionem: sed agens non potest unica actione tangere duplicem materiam: ergo nec forma informare duplicem materiam.

Rursus. Forma individuatur à materia, vel per ordinem ad materiam: sed si unica forma informaret duplicem materiam, esset una forma, & esset duplex, quod implicatorium est: ergo implicat, quòd naturaliter una forma sit in duplici materia. Probatur minor. Nam primò esset una forma, ut supponitur. Aliunde cùm diceret ordinem ad diversas materias, ab illis sumeret distinctas unitates numericas, & induceretur multiplex numero forma.

Hac ratione suadetur repugnare quòd duo accidentia solo numero distincta, recipiantur in eodem subjecto. Nam ea accidentia differrent numericè, ut supponitur; aliunde non differrent, quia cùm à subjecto sumatur unitas numerica accidentium, nõ possent ab eodem subjecto sumere diversas unitates numericas, sed eandẽ; unde non differrent numericè.

Præterea, sicut materia indifferens ad hanc vel illam speciem, determinatur per formam, & limitatur ad hanc speciem determinatam; ita forma ex se indifferens ad hanc, vel illã materiam, determinatur & limitatur à materia, in qua recipitur, ne in alia sit: ergo nequit naturaliter esse in duplici materia. Probatur consequentia à paritate. Nam quia Angelus per quantitatem virtutis, aut per suam operationem determinatur, & diffinitur ad essendum in loco, nequit Angelus naturaliter esse in loco duplici: ergo quia forma per informationem determinatur ad hanc materiam, nequit esse in duplici materia naturaliter.

Adde: quòd sicut capacitas naturalis materiæ repletur per unã formam, sic vis informativa materię expletur in unica materia: sed ex primò ostenditur naturalis impotentia materiæ ad duplicem formam: ergo ex secundo colligitur impotentia formæ ad informandam simul duplicem materiam. Et urgetur. Nam unica formã nequit naturaliter præstare nisi unicum formalem effectum: ergo nequit naturaliter informare duplicem materiam; quam si informaret, duplicem effectum formalem præstaret.

3. Dices.

3. Dices. Divus Dionysius abscisso capite, ambulabat portans illud manibus,& prędicabat : ergo anima ejusdem simul informabat corpus truncatum,& caput abscissum. Respõdemus ex B. Ægidio Quodlib. 4. q. 17. hoc factum miraculosè, non naturaliter ; & conclusio nostra est de potentia naturali. Dicimus 2. Non animã, sed Angelum movisse corpus, & linguam Dionysij. Respondemus 3. Quòd anima separata Dionysij movebat corpus,& linguam ejus,non ut forma informans, sed motor extrinsecè movens,qualiter Angelus cœlos, & dæmones corporalia movent sine informatione.

§. II.

Proponuntur sententiæ circa potentiam absolutam Dei.

4. NEgant communiter Thomistæ unicam materiam, adhuc divinitus,posse recipere duplicem formam substantialem : licèt Prado in Metaphysica p. 2. controv. 16. art. 5. oppositum reputet probabile. Ex nostris ferè omnes eidem adhærent, uno excepto Ægidio Lusitano ; licèt Villanova putet oppositum probabile in via Ægidiana. Ex PP. Societatis negativam tenet Vazquius, & alij, etsi pro affirmativa militent ferè omnes. Citantur pro negativa Scotistæ à Merinero : & multis probatur hæc sentẽtia à PP. Complutensibus, à Joanne à S. Thoma, Palanco,& alijs.

Probatur 1. ex D. Thoma 1. p. q. 76. art. 3. & 4. Item opusculo 33. & Quodlib. 1. art. 6. ubi ait : *Impossibile est in uno,& eodem, esse plures formas substantiales.* At potentia absoluta Dei non extenditur ad impossibile,sicut nec ad repugnans: ergo nec divinitus duplex forma potest recipi in eadem numero materia.

Confirmatur ex N. B. Ægidio tum in Defensorio Div. Thomæ art. 31. & 48. ad 1. p. D. Thomæ,& art. 2. ad Quodlib. ejusdem: ubi plenè adhæret sententiæ sui Præceptoris,quam ibi vindicat ab impostoris Corruptorij. In qua sententia persistit dum ex propria mente scribit, præcipuè in Examer. p. 1. cap. 4. ubi ait : *Nullius agentis est facere illud, quod contradictionem implicat : quia tunc simul esset,& non esset. Cùm ergo omnes formæ substantiales habeant aliquam oppositionem ad invicem,impossibile est unã, & eandem materiam esse sub diversis formis,quòd simul sit ignis,& aqua,vel sub quibuscumque duabus formis.*

5. Probatur à ratione 1. Sicut materia est essentialiter primum subjectum,ita forma est primus actus formalis : sed si in materia habente formam substantialem,alia induceretur, hæc non esset primus actus formalis : ergo non esset forma substantialis ; & sic simul esset, & non esset, quod implicat, nec à Deo divinitus fieri potest. Minor probatur. Primus actus est,qui nullum supponit ; forma autem in eo casu supponeret actum alterius; & sic non esset primus actus. Tum etiam,quia primus actus formalis est, qui dat primum esse materiæ;

forma

forma autem denuò adveniens, non daret primum esse materiæ, cùm supponeret aliam formam, dantem esse materiæ. Tum tandem, quia primus actus formalis facit unum per se cum subjecto receptivo ejusdem: at subjectum receptivum secundæ formæ, non esset materia sola, & pura potentia, sed materia habens priorem formam, per quam fit ens in actu: & ex forma, & ente in actu, nequit fieri unum per se: ergo secunda forma non esset actus primus formalis.

Confirmatur. Implicat quòd forma substantialis fiat accidentalis: sed ita fieret, si in materia duplex forma poneretur: ergo implicat hoc taliter, ut nec divinitus fieri possit. Probatur minor juxta Arist. & Comment. 2. de Anima com. 6. discrimen formæ substantialis, & accidentalis e, quòd substantialis advenit enti in potentia, cum quo constituit unum per se, & unicam essentiam; accidentalis advenit enti completo, & est extra essentiam illius, cum quo componit unum per accidens: sed in casu quæstionis forma secunda adveniret materiæ habenti alterum, per quam est ens completum: ergo secunda substantialis forma redderetur accidentalis.

Confirmatur 2. Materia duplici forma informat, non esset unicum compositu substantiale, nec duplex: at hoc implicat cùm omne quod est, unum, vel plura sit; ergo &c. Probatur minor quoad 1. partem. Materia habens duplicem formam, habet duplex esse formale, duplex subsistere, vel duo subsistentia, cùm quælibet forma sit substantia actualis subsistens: sed ex duobus subsistentibus diversis nequit fieri unum per se, & substantialiter, quale est compositum substantiale; & idò Philosophus quærebat à ponentibus in homine plures animas, quis continebat eas? Hoc est juxta Commentatorem 1. de Anima comm. 8. quis uniebat eas; cùm alia *non possint fieri unum, nisi per contactum, vel ligamentum*: ergo materia habés duplicem formam, non esset unicum compositum substantiale.

Jam verò quòd in casu esset duplex probatur. Nam unica materia non sufficit pro duplici composito: sed in casu materia esset unica: ergo compositum non esset duplex. Major probatur. Non possunt multiplicari composita, nisi multiplicent partes ejus constitutivas: at non sola forma, sed materia concurrit ad constituendum compositum: ergo nisi materia sit duplex, compositum duplex non est; & sic unica materia non sufficit &c.

6. Probatur 2. argumento, quod ex Complutentibus desumpserunt Cardin. Aguirre, & Palanco. Posita una forma in materia, implicat aliam non expelli: ergo implicat duas simul informare eandem numero materiam. Probatur minus. Posita causa, & ejus causalitate in actu secundo, implica non sequi effectum illius: sed forma informans primo actu, est causa, & causalitas expulsiva alterius formæ: ergo implicat, &c. Major patet, quia ponere causam, & causalitatem in actu secundo, est causam causare effectum; implicat causam causare effectum,

ctum, & non sequi effectum causæ. Minor probatur: Quia forma non causat efficienter expulsionem alterius, sed formaliter, & per informationem: ergo &c.

Confirmatur 1. Forma substantialis essentialiter affert secum privationem alterius formæ in materia: ergo implicat quòd non expellat illam. Patet consequentia, aliàs simul coexisterent, materiæ forma, & ejus privatio, quod est implicatorium. Antecedens probatur ex D. Thoma lib. 11. Metaphysicę lect. 12. ubi ait: *Secundùm autem quod una forma habet sibi intellectam privationem alterius formæ, diversæ formæ sunt contrariarum differentiarum principia: nam privatio quodammodo contrarium est; & per hūc modum opponuntur animatum, & inanimatum, rationale, & irrationale &c.*

Confirmatur 2. Forma reddens compositum irrationale, negat essentialiter rationalitatem in composito, & sic nec divinitus potest adunari cū forma dante rationalitatem; alioquin idem simul esset rationale, & irrationale, quod est esse, & non esse. Sed forma equina v. g. reddit materiam, cui unitur, compositum irrationale: ergo nec divinitus relinquit materiam capacem animæ rationalis, qua compositum redderetur rationale. Idem argumentum fit in formis animatis relatè ad inanimatas; inter animatas invicem; inter elementales mutuò se expellentes, ut ignea, & aquea: & universaliter in quibuscumque; nam quælibet dat unitatem materiæ; & unitas est *indivisio in se, & divisio à quolibet alio*; ratione primi est quid positivum; per secundum est quid negativum, & habet adjunctam privationem omnis, quod non est ipsa.

Hinc confirmatur 3. Licèt Deus divinitus possit impedire effectum formalé negativum aliquando, v.g. dum corpora penetrantur, & non se expellunt à loco invicem, Deo impediente effectum negativum quantitatis, quo expelleret aliam ab eodem loco, nisi à Deo impediretur; at non sic de effectu negativo, vel privativo formæ, essentialiter connexo cum effectu primario ejusdem: sed quòd forma informans expellat aliam à materia, est effectus formalis secundarius, essentialiter connexus cum primario: ergo nec divinitus impediri potest. Probatur minor multis à Complutensibus. Sed ex dictis patet, nam si forma essentialiter affert secum privationem alterius formæ, essentialiter habet aliam expellere; unde effectus hic essentialiter cōnectitur cum primario formæ, qui est dare esse suum formale materiæ.

Confirmatur 4. Quòd forma nova expellat aliam præcedentem, est facere materiam dependere unicè, totaliter, & adæquatè à forma nova: sed forma nova habet essentialiter facere materiam à se dependentem totaliter, & adæquatè: ergo essentialiter habet aliam expellere. Major patet, nam cùm materia pendeat à forma, quam habet, ut existat; si nova non expelleret præcedentē, haberet materia duas formas, & ab eis dependeret simul, à neutra autem unicè, & totaliter. Minor probatur. Dependentia materiæ à

forma

forma ſt ſſ ntialis : ſed non eſſet eſſentialis, ſi foret à duobus : ergo forma nova &c.

7. Probatur 3. eadem ſententia ab abſurdo, & inconvenienti. Implicat quòd idem compoſitum ſubſtantiale ſit ſimul rationale, & irrationale ; animatum, & inanimatum ; vivum, & mortuum : ſed ſi materia ſimul haberet formam hominis, & equi, foret rationale, & irrationale ; ſi haberet formam lapidis, & canis, eſſet inanimatum, & animatum ; ſi tandem haberet formam viventis, & cadavericam, eſſet vivens & mortuũ: ergo cùm hæc ſint impoſsibilia, implicat adhuc divinitus tales formas adunari in materia.

Hinc ſequitur aliud abſurdum. Nam cùm à forma oriatur operatio, formæ contrariæ contrarias habent operationes ; unde in caſu formæ humanæ, & equinæ in eadem materi, gredretur ab humana operatio rationalis, ab equina autem operatio brutalis ; at iſtæ operationes repugnãt eidem compoſito : ergo & formæ tales eidem materię.

Vrgetur à Cardin. Aguirre, inde inferente poſsibiles eſſe Faunos, Satyros, & alia monſtra conficta à Poetis, adunantibus in eodem compoſito naturam humanam, & caprinam, equinã etiam & humanam in Centauris. Imò hircocervus, qui figmentum ab omnibus reputatur, & adducitur in exemplum pro ente rationis chimærico, non eſſet chimæra, ſed verum ens poſſibile ſaltem divinitus, ſemel quòd in eadem materia duplex forma hirci & cervi poſsint adunari.

Nec minus repugnat eidem materiæ duplex forma ejuſdem ſpeciei, v.g. duæ animæ rationales. Nam eis poſitis in eadem materia, poſſet vi unius in re Deum, & vi alterius ipſum offẽdere ; cù quælibet ni a foret ſui juris, & propriam haberet libertatem. Vel ergo eſſent in continua pugna aliter, u neutra operaretu. ; vel pacifico una Deum offẽderet, & altera amaret ; & licèt attentis meritis una damnaretur, & alia glorificaretur ; at in reſurrectione universali non eſſet ratio cur Deus potiùs damnaret corpus illud, quàm glorificaret : quod certè abſurdiſsimum eſt, & contra leges providentiæ, & juſtitiæ Dei. Simili argumento utitur P. Auguſt. contra Manichæos lib. de duabus animabus, ut ſimilem poſitionẽ eradicet in duarum animarum in eodem homine expugnat, & impugnet.

Præterea : Illæ duæ animæ repugnarent etiam quoad unitatem. Nã differrent numero, & non differrent, quod implicatorium eſt. Differrent, ut ſupponitur. Non differrent, quia cùm diſtinctio numerica animarum ſumatur per ordinem ad diverſas materias, in caſu quæſtionis utraque anima reſpiceret eandem materiam : ergo non differret numero.

8. Quartò probatur ratione, quam fundamentalem vocant Cõplutenſes hìc. Virtus, quæ ex natura ſua eſt impotens ad aliquem effectum, niſi ei aliquid addideris, impoſsibile eſt quòd illum præſtet ; patet hoc, quia ſi nil additur virtuti, manet ſicut antea ;

tea;& sic manet æquè impotens. Sed virtus receptiva materię est naturaliter impotens recipere duplicem formam, ut patet ex dictis §. precedenti : aliunde nil potest addi materiæ, quo reddatur potens recipere duplicem formam : ergo nec divinitus potest duplicem simul formam recipere. Omnia constant, si probetur minor quoad secundam partem.

Probatur sic. Quidquid additur materiæ, vel est ejusd sp i i u materia, vel dive æ. Si jusdem ? ergo sicut prima v rtus materiæ non poterat ad duas formas simul, sic nec virtus cum addito ; alioquin non essent ejusdem sp ci i. Si diversæ ? ergo jam non st e dem numero materia ; sed duplex, & diver æ spec i. Rursus, m vi m æ sic ps entias ejus, nequit addi virtus dive sæ speci à virtute nativ , & entit va materiæ ; alioquin mater a recipiens formam per illam virtu em additam, non causare, nec per suam n i a m r cip re formam : quod alienum est causalitate materiæ, & formæ. Ob id hoc argumentum æquè probat mutatis terminis, quòd unica forma nequit informare duplicem materiam ; & ad hoc adducitur à PP. Complutensibus.

9. Quintò probatur eadem conclusio à N.M. Villanova sic. Ex illo princ pio Ægidiano *Plura, ut plura, non possunt in unum convenire*; hoc est plura, ut plura sunt, non possunt esse unum; alioquin foten un m ex vi ejusdem rationis, qua sint plura, & diversa ; quod sanè implicatorium est. Sed duæ formæ ubstantiales sunt plura, ut plura : ergo nequeunt convenire in eodem ubjecto, & ad m materia. P t onsequentia, quia convenirent, fierent unum ; & cum materia constituerent unicum compositum, quod sanè implicatorium est.

Et confirmatur. Nam vel illæ formæ immediatè ambæ unirętur materiæ ; vel una post aliam, & in alia. Si secundum ? Hoc mplicat, qu a una forma non est ceptiva alterius; alioquin forma prima esset materia relatè ad formam secundam: quod implic to iu est. Si primum? Vtraque forma confunderetur, & fieret una; vel una de altera prædicaretur formalit , & in recto : quod totum implicat.

Confirmatur 2. ex B. Ægidio 3. Sentent. dist 1. q. 1. art. 5. ubi dicit solùm da i q atuo uniones. Prima, qua cibum unitur cibato. Secunda, qua elementa miuntur in mixto. Tertia, qua an ma unitur corpori. Quarta, q n r humana uni ur Verbo Divino : sed in duabus primis confunditur substantia; in duabus ultimis unum prædicatur de alio formaliter: dicitur enim *Deus est homo*, & è contra ; insuper homo dicitur *Substantia spiritualis, & corporalis* : ergo si in materia darentur duæ formę, vel utraque confunderetur ; vel una prædicaretur de alia formaliter, v.g. diceretur *H mo est equus*, si in materia esset simul forma humana, & equina.

10. Contrariam sent ntiam docet Suarius in Metaphysica disp. 15 sect. 10. num. 60. quem sequuntur ferè omnes DD. Societatis. Ex N. Ægid. Lusitanus lib. 10. de Beatitud. q. 2. art. 9.

9. §. 6. & probabilis rep tatur à N. Ariminensi in 2. dist. 17. q. 3. art. 2. Videtur expressa in N. B. Ægid. Quodl. 5. q. 10. ubi ait: *Ex hoc patere potest, quomodo Deus diversas formas reales solo numero differentes, possit inducere in eadem parte materiæ.* Ob id N. M. Villanova defendit sententiam istam, ut probabilem hic disp. 5. dub. 7. licèt dubio sequenti contrariam defendat ut probabiliorem.

Hæc sententia suadetur. 1. Quia ubicumq e agitur de potentia Dei absoluta, dicendũ est quòd Deus possit, nisi manifest sequatur contradictio. Vt enim ait P. Augustin. Epist. 3. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Nec enim ad asserendum quòd Deus possit, necessaria est ratio probativa, sed sufficit solvere opposita fundamenta, & dare prorsus tione Omnipotentiam Dei facientis. Sed nulla ex rationibus sententiæ negativæ probat implicationem manifestam, ut patebit ex solutione earum: ergo divinitus possunt duæ formæ esse in eadem materia.

Confirmatur ex sacra Scriptu Matth. 19. ubi postquam dixit Christus Dñus *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare regnum Cœlorum.* Posteà dicit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Hoc exemplo M. P. August. Epist. 89. & de Spiritu, & lit. cap. 1. & 5. probat plura esse Deo possibilia, quæ naturæ superant, & contra naturã sunt. Vnde lib. de cura agenda pro mortuis cap. 16. & 17. dicit: *Alij sunt humanarum limites rerum, alia Divinarum signa virtutum: alia sunt, quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt.* Et ut Nazianzenus Oratione 36. dicit: *Illud impossibile dicitur, quod naturæ quidem est impossibile; Deo autem volenti possibile.* Imò Augustinus ipse, qui illos hicè theologizans, posuit in materia rationes seminales ad effectus naturaliter possibiles, posuit in eadem rationes obediétiales ad effectus naturaliter impossibiles, Deo tamen si volente, possibiles. Vide dicta à nobis hic q. 2. de mente P. Augustini.

Atqui rationes omnes, quibus probatur sententia negativa, solùm probant esse naturaliter impossibile duas formas recipi in eadem materia: ergo divinitus potest hoc evenire. Probatur minor. 1. Quia omnes rationes sumptæ sunt ex doctrina Aristotelis, qui non agnovit potentiam Dei absolutam, & erravit putans rem universi non potuisse aliter fieri, ac sunt; quare non distinxit, sicut Evãgelium, & P. distinguunt, impossibile naturaliter, & impossibil repugnans, quod est etiam Deo impossibile: ergo rationes illæ solùm probant impossibilitatem naturalem, non absolutam, & essentialem. Patet consequentia, tum à ratione, quia talis est conclusio, qualia sunt principia: ergo si principia Aristotelica procedunt de impossibilitate naturali, cùm aliam non agnoverit, conclusio erit sola impossibilitas naturalis. Tum à pari. Quia ex principijs

cipijs Ariſtotelicis probatur etiam impoſsibilis penetratio duorum corporũ in loco, ſubitanea co v rſio aquæ in vinum, naturalis partus Virginis, & alia miracula, quæ fide facta credimus. Sed i his il probatur contra abſolutam potentiam Dei; ergo nec in caſu noſtro.

Probatur 2. minor. Quia talibus rationibus utitur D. Thomas locis allegatis pro prima ſententia: at ex illis non infert S. Doctor quid uam pro potentia abſoluta Dei; nec ullibi Præceptor Angelicus d ſputav t quæſtionem m.ni i natu l t r, & o n- er o i quo ' ev nit ' facto in cr atis: erg &c. Probatu minor. Nam opuſc. 33. dicit: *Dubium apud multos eſſe ſolet, quomodo elementa ſunt in mixto.* En d f cto, non 'e poſsibili quærit. Item 1.p.q.76. art.3. quærit *Vtrum in homine præter animam rationalem ſint plures animæ?* Quærit an ſint, on autem an poſsint eſſe. Quodlib.1. .6. quærit, an adveniente anima rationali, dum corpori infunditur, corrumpantur formæ, quæ erãt in mbryone? Quod totum eſt quæſtio facti. Accedit quòd ubique n gat duas formas in eadẽ materia; & opuſc. 33 id probat 1. quia multa corpora nõ poſſunt ſimul eſ e in eodem loco: quod na u l ter v rum eſt, ſed divinitus falſum. Ru ſus, quia ignis, & aqua p tunt div rſ s diſpoſitiones, nempe calorem, & frig s, quæ no poſſunt compati in eodem ſubjecto. Hæc ratio nil prob d p en ia D i, u pa er, ſed ſo ùm d ege ordinaria. Ex hoc.

11. Probatur 2. ſententia affirmativa. Licèt naturaliter duo corpora o poſsi t eſſe in eodem locó, poſſunt eſſe d vinitus: ergo licèt naturaliter duæ formæ non poſsint eſſe in adem materia, poſſu eſſ div i- us. A t c dens patet in p e ratione miraculoſa duorum corporum, de qua agemus lib.4. interim audi P. Auguſtinum ſerm.4. de Chriſto reſuſcitato, & recenter nato dicens: *Ille enim vivens per clauſas januas intravit, qui naſcendo integritatem Matris non violavit.* En unum miraculum per aliud probatum; nec, teſte Magno Gregorio, alius eſt mod s p obandi mirabilia opera Dei, niſi ex alijs ejuſdem mirabilibus.

Conſequentia probatur, tum, quia D. Thomas hanc paritatem mpoſsibilita is 'uorum corporum in eodem loco, putavit opportunã ad ſuadendam impoſsibilitatem naturalem duarum formarum in materia, ut dictum eſt: ergo o portunè probatur poſsibilitas abſoluta coëxiſtentiæ duplicis formę in mat ria, x compatibilitate miraculoſa duplicis corporis in eodem loco.

2. Quia ſicut corpu l c tũ d os dat effectus, unum & primarium, replere locum; alterum ſecundarium, nempe expel ere aliud cor us ab eodem loco; ſic forma primariò da materiæ actualitatem ſuam, ſecundariò ut m xpellit aliam formam à ate- ria; at effectus ſecundarius corporis ſt à Deo divinitus impedibil s, & tũc duo corpora ſunt in eodem loco: ergo & effectus ſecundarius formæ impedibilis div nitus eſt, & eo impedito, erit

erit duplex forma in materia.

12. Dices cum Palanco, quòd non valet consequentia 1. Quia corpus expellit aliud efficienter, & sic dependenter à Deo, potente gare concursum ad expellendum. At forma nō expellit alteram efficienter, sed formaliter; nec potest hoc Deus impedire cùm talis effectus sit ipsa forma co municata subjecto. 2. Quia forma non est substantialis, nisi materia indigeat illa: materia autem non indiget duplici forma. At corpus, ut sit in loco, non est necessarium, quòd locus indigeat corpore. Hæc solutio, quæ etiā adducitur à Palanc nt r rationes probativas, x Vazquio d sump st.

Fat or e d brum in hac quæstione ut infrà videbis; ceterùm debilitas hujus solutionis sufficeret trahere me in sententiam oppositā. Contra primam solutionem, & disparitatem adest. 1. Quòd corporalia non sunt in loco efficienter, sed formaliter, ad differentiam Angelorum, qui efficienter, & per operationem sunt in loco: & ob id Angelus est in loco, non contentus à loco, sed continendo locum; corporalia verò continentur à loco, & non continent lo um. At eo modo corpus expe'lit ali d à 'oco, quo est in loco: erg non efficien e, sed formaliter, corp s exp llit liud à loco.

A contrario forma expell t al am efficienter, non formaliter: nam aliam expellit medijs dispositionibus a t rantibus; v. g. ignis qu m medio calore: sed juxt Th mist s f rm est causa efficiens suarum dispositionum: ergo efficienter una forma expellit aliam. Ergo si expulsio formalis, & effect va discr m nand sunt quoad potentiam Dei, sequitur quòd duo corpo a se expellentia formaliter, non poterunt divinitus esse in eodem loco; benè verò duæ formæ in eadem materia, à qua solùm se expellunt mutuò efficienter.

Accedit falsum esse, quòd Deus non possit im edire effectum formalē formæ, vel quod forma causat formaliter. Nam quantitas extendit corpus in ordine ad locum, & dat formaliter istum effect m: & amen in Eucharistia corpus C ristī habet s am quā it m sine extensione locali, quam Deus imp dit n s q at: rgo Deus impedire potest id, quod forma causat formaliter.

13. Contra secundam dispari atem adsunt plura. 1. Quanti as est forma talis, ut materia indigeat ea, u si in erum natura; idem dic e ubicatione, & alijs accidentibus, sine quibus mat r n n pot st existere: & tamen non sunt formæ substantiales, s d accidentales: ergo quòd m eria indigeat, vel non ind geat forma ad u conservat onem, non re di ormā substan ialē, ve' cidentalem. 2. Q ia cu ma eria ne for a no potest c nser ari, sic nec vivens si l m n: s d quò alimentu sit superfl ū aliquando, & non rec piatur ab alito cum i digentia, no tollit quòd ali entum non sit a imentum: rgo c tollitur à secunda forma ratio formæ substantialis per hoc quòd recipiatur in materia n n indigent, sed præhabente

ſbente aliam formam. 3. Quòd in materia habente formam, non detur indigentia ſecundæ, ſuadet tantùm ſecundam eſſe ſuperfluam, non autem impoſsibilem: at ſuperfluitas obſtat receptioni naturali, eò quòd *natura abhorret ſuperflua*; non autem obeſt receptioni miraculoſæ: ergo &c.

4. Si indigentia materiæ conſtituit formam ſubſtantialem, nulla forma particularis erit determinatè ſubſtantialis: at hoc eſt abſurdum: ergo &c. Probatur ſequela. Materia licèt indigeat ad ſui exiſtentiam aliqua forma vagè,& in generali,non indiget aliqua forma in particulari: ergo ſi &c. 5. Anima rationalis, ut ſpiritualis eſt,eſt forma ſubſtantialis: & tamen non recipitur in materia ex indigentia; quia materia non indiget anima, ut ſpiritualis eſt: ergo idem. Tandē. Talis eſt indigentia matériæ,qualis eſt ejuſdem appetitus;cùm appetitus fundetur ſupra indigentiam, & potentiā naturalem materiæ:ſed appetitus materiæ non eſt ad formas in particulari, ut ſuprà vidimus: ergo nec indigentia. Ex quo ſequitur, vel quòd forma in particulari non erit ſubſtantialis; vel quòd ut forma ſit ſubſtantialis nō pendet ab indigentia materiæ. Horum primum eſt falſum; ſecundum reddit falſam diſparitatem datam.

14. Probatur 3. ſententia affirmativa. Poteſt eadem ſubſiſtentia Divina terminare duplicem naturam adæquatè diverſam,quales ſunt natura Divina,& humana in Chriſto D.ergo poterit eadem materia recipere divinitus duplicem formam ſubſtātialem adæquatè diverſam. Antecedens eſt de fide. Conſequentia probatur. Ideò antecedēs eſt verum, quia in Divina ſubſiſtentia virtus terminandi eſt infinita,& continet omnem latitudinem virtutis terminativæ creatę, & creabilis: at etiam virtus receptiva materiæ eſt infinita,& ad omnes formas creatas,& creabiles: ergo &c.

Explicatur. Ideò ſubſiſtentia Divina eſt virtus infinita terminandi, & continet ſubſiſtentiam creatam, quia eſt prima cauſa formalis extrinſeca in linea terminandi: at etiam materia eſt prima cauſa materialis in linea recipiendi: ergo in eo genere eſt infinita, & continet potentiam receptivam cujuſcumque formæ. Sed ratione primi ſubſiſtentia Divina terminat in Chriſto ſimul duplicem naturam adæquatè diverſam: ergo rátione ſecundi poterit divinitus materia recipere ſimul duplicem formam &c.

Explicatur 2. Ideò natura Divina,& humana,quamtumvis primò diverſæ,& mutuò ſe invicem negantes ſicut creatum negat increatum, non contrariantur relatè ad Divinam ſubſiſtentiam; quia licèt in ſe dicant mutuò negationem alterius, non tamen reſpectu Divinæ ſubſiſtentiæ: at hoc accidit etiam in duplici forma reſpectu materiæ: ergo ſi &c. Probatur minor. Ideò utraque natura non contrariatur relatè ad Divinam ſubſiſtentiam,quia ex eo quòd una natura terminetur non exhauritur in ſubſiſtentia virtus terminandi aliam naturam: at etiam forma equi in materia non exhaurit virtutem receptivam materiæ,

riæ, quæ infinita est, & ad formas in infinitum, ut probatum est: ergo &c.

15. Respondebis, potentiam materiæ esse infinitã syncategorematicè ad formas in infinitum; at non ad formas simul habendas, sed successivè & in sensu diviso. Virtus autem Divinæ subsistentiæ est infinita ad terminãdas quascumque naturas i sensu composito naturæ Divinæ. Vnde ex subsistentia ad materiam nulla paritas est.

Sed contra. Nam argumentum probat in materi virtute infinitã ad form s etiam in sensu composito: ergo disparitas nul'a est. Probatur antecedens. Argumẽtum probat eo modo in materia virtu em receptivam infinitam, quo infinita est virtus termin tiva in Divina subsistentia; probat enim ex quo materia est prima causa materialis receptiva, sicut subsiste t D v na est pr ma caus form lis term n tiv : at Divin subsistentia est infinita n terminando quamcumque natur m nedum in sensu diviso, & successivè, sed in sensu composito, t m'na ræ Div næ um qua idẽtificatur; tum cujuscũque naturæ creatæ um qu lis ql li n n t r re tam e minare potest: ergo.

Secundò. Si formæ in e. se non co ti riarentur, posset materia ua simul, aut plures recipere formas, nec deficeret materiæ potentia rec ptiva earum; nec opus esset illi addere potentiam receptivam: ergo quidquid sit de contrarietate for arum, potentia materiæ est ad omnes tam divisivè, quàm copulativè, nec simultas tollitur per effectum potentiæ, sed per naturalem contrarietatem formarum. At hęc contrarietas formarum in se, non est contrarietas relatè ad materiã prima, & ejus virtutem receptivam, semel quòd hæc sit infinita, ut probatum est in secunda explicatione: ergo potentia materiæ secundùm se, & ex parte sui est ad omnes formas nedum divisivè, sed copulativè.

Tertiò. Dicere subsistentiam Divinam esse virtutem ad omnes naturas copulativè, materiam verò ad formas divisivè, est dicere quòd subsistẽtia potest simul terminar duplicem naturam, m t ri autem non potest simul recipere duplicem formam: at hoc est respondere cum conclusione, & dare conclusionem pro disparitate: ergo solutio inepta est.

Om t mu al'a proba ione, quæ desumuntur ex eo quòd potest eadem n tura creata terminari simul à t ip'ici subsistent'a relat'va Div'n, ut d ce t Th mistæ c tra Scotum. Potest tiam idem numero ff ctus procedere à dupl ci causa totali ejusem or in s &c. Hæc omittimus, m quia hæc sententia pro sui veritate n indiget pro tione, sed solutione argu entorum i c n rarium. Tum & m ximè, qui c sus da i de triplici subsistentia, & de duplic causa ejusdem effectus, negãtur posibiles à mul

tis, nec in re dubia oportet x

dubijs probare, sed ex in-

dubitatis, ut hucusque factum est,

(§) (§)

(§)

§. III.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

16. TEnui olim sententiam affirmativam ob authoritatem P. Augustini laudatam à N.B.Ægidio Quodlib. 4 q. 1. §. *Satisfacto.* Vbi ait: *Cùm de potentia Dei quæritur, semper dicendum est, quòd Deus possit plus quàm nos possimus ostendere, nisi enim manifestè appareat contradictio.* Quod ab August. Epist. 3. desumptum est, & ejus verba num. 10. data sunt. At in sententia affirmante, vel nulla est contradictio, vel ea non apparet manifestè, cùm nulla probatio ejus sit convincens: ergo pro affirmativa standū videtur: maxime, cùm e m . . . N.B.D. Quodlib. 5. q. 10.

At quia in D f nsr io D. T' omæ ad 1. p. art. 48. §. *Tandem e videat'.* Noster B atus Doct. suam sententiam suspendit, nec vu't solvere argumenta, quæ probant omnimodam impossibilitatem; ideò cum eo nostrū tale quale judicium suspendemus, & utramque sententiam probabiliter pro ug ab mus. Accedit motivum suspendendi judicium, desumptum ex M.P. Augustino lib. de duabus animabus, ubi impugnat errorē Manichęorum, ponentium in homine duas animas, unam bonam, & à Deo, liam ma lam, & à principio malo. In quo errore ex lodendo licèt utatur principijs Ph losoph is, & Theologic s ad suadendum, quò nedum de facto, sed nec de possibili dari potest anima, quæ à Deo non sit: at nullibi impugnat possibilitatem duplicis animæ in eodem corpore, dummodo utraque sit à Deo. Nec contra illum errorem relinqueret in actum hu lapide n, si eo propulsaretur positio duarum animarum. Quòd si teste B. Ægidio ubi suprà, ntent de multiplici anim in homine numeratu ab Augustino inter erroneas, id est juxta sensum, quo ipsum allegavimus quæst. 19. §. 1. Nec impugnat sen aciam d. polsili, sed ponentem multas animas de facto.

17. Dicimus 1. *Implicat duas formas simul informare eandem numero ateriam.* I a DD. pr mæ sententiæ, q am o r am s sic. Quod est terminus *à quo* per se talis alicujus ransm tatio is, nec divi us potest n eodem su jecto compati cum ermino *ad quem* trāsmuta ionis ejus de: sed in er formas subst nti l s datur transmutatio per se, taliter, ut una forma si terminus *à quo*, & altera terminus *ad quem*: ergo nec divinitus potest mater a simul habere utramque formam. Minor patet tum ex Phi'osopho 1. d' G ner. tex. 17. di en : *Generati unius st corruptio alterius.* Tum quia materia est subjectum transmutabile essentialiter, cùm essent al ter sit subjectum generationis, & corruption s; termini autem *à quo*, & *ad uem* h j s ans u tionis, sunt formæ substantiales sublunares. Tum tandem id patet exemplis, quibus videmus ex aqua in stipite fieri vinum, ex vino alimentum, ex alimento

méto sanguis, ex sanguine embryo ex embryone vivens, ex vivente cadaver, ex cadavere terra, ex terra planta, vel lapis &c. Major autem probatur, quia terminus *à quo* est terminus derelictus; nequit esse derelictus, & simul habitus cum termino *ad quem*. Rursus. In transitu de non esse a[d] esse formæ, nequit in eadem materia compati terminus *à quo*, & *ad quem*: ergo nec i transitu de uno esse ad aliud esse. Tandem si materia non derelinqueret terminum *à quo*, non trãsmutaretur per receptionem novæ formæ, sed se haberet veluti Verbũ Divinum in Humanitate Christi, quod transmutatũ non est, quia *quod non erat assumpsit, sed quod erat permansit*.

Confirmatur. Positis in eadem materi duabus formis, vel resultat ex eis & ex materia, unica natura, vel duplex: at totum repugnat: ergo & id, ex quo sequitur. Probatur minor. Nam cùm forma det speciem, & differẽtiam essentiale[m] naturæ, si formæ sunt diversæ speciei, dando suum esse, dabunt diversas species, quare constituent diversas naturas. Quòd si dicas hoc, obstat unitas materiæ. Natura, & essenti non est sola forma, sed materia simul cum forma; est enim essentia & natura compositi; compositum autem non est sola forma, sed resultans ex materia, & forma. At materia casu nostro st una: ergo natura, & essentia non potest esse duplex.

Vrgetur. Quia de ratione naturæ est forma; implicat quòd natura sit duplex, semel quòd forma sit unica, adhuc posita in duabus materijs: ergo quia de r tione turæ est etiam materia, implicat quòd natura sit duplex, semel quod materia una sit. Aliunde, cùm nec possit stare unitas naturæ cum pluralitate formarum, ut clariùs ostensum est; restat quòd in casu quæstionis materia cum duplici forma non esset unica, nec multiplex natura; vel si quid horum dicitur, incidit cum implicatione, quæ nec à Deo potest fieri.

18. Dicimus 2. *Potest divinitus duplex forma simul informare eandem materiam*. Ita DD. secũdæ sententiæ, quam confirmamus ex N. B. Ægidio Quodlib. 5. q. 10. sic. Possiunt aturaliter duæ species intentionales esse in eodem subje&o: ergo possunt divinitus duæ formæ reales esse simul in eadem materia. Ante ed ns constat ex dictis q. 12. num. 15. Si enim ex adverso ponantur album, & nigrũ, immittunt suas species visibiles per aër m int rm dium; quare in eadem parte aëris concurrunt simul species intentionalis albi, & nigri. Consequẽtia probatur. Ideò antecedens est verum, quia formæ intentionales non co..traria...u., nec fiunt cum transmutatione, & conservantur ab agentis præsentia: a etiam formæ reales substantiales ex se non sunt contraria, & si à solo Deo fiant, fiunt sine motu, & transmutatione; potestque Deus eas conservare in suo esse meliùs, quàm agentia naturalia suas species intentionales: ergo &c.

Minor, quoad primam partem constat, quia ignis, & aqua non con-

trariantur ex se, ut substantiæ sunt, cùm teste Philosopho cap. 1. de Substantia *Substantiæ nihil est contrarium.* Quare si tales formæ contrariantur, hoc est ratione suarum qualitatum, nempe caloris, & frigoris, quæ contraria sunt. At Deus potest tollere ab igne, & aqua suas qualitates, quo facto, nulla in substantijs erit contrarietas: ergo formæ substantiales ex se non sunt contrariæ. Quoad reliquas partes patet minor ex dictis q. 12. & ex verbis B. Ægidij loco laudato, ubi ait: *Quia ipse Deus potest agere sine præcedente transmutatione, & motu, & quia potest formas quantumcumque reales inductas magis conservare in suo esse numerali, quàm quæcumque alia agentia possint conservare in hujusmodi esse intentionales formas.*

Hinc constat mirabilem effectū istum à solo Deo posse divinitus fieri. Tum, quia solus Deus potest ab igne, aqua, & alijs formis, tollere qualitates sibi connaturales. Tum, quia solus ipse potest agere sine præcedente transmutatione, & motu; agentia autem creata, sicut dependent à materia in operando, sic à præcedente alteratione qualitatum. Tum tandem, quia nullius agentis præsentia, aut virtus sufficit conservare formas in suo esse numerali, nisi dependenter à materia, & principio numericæ multiplicationis, & unitatis; Deus autem plenè independens est à materia tum in operando, tum in conservando, ut q. 12. §. 1. dictum est ex P. August. Ergo ratio Ægidiana rectè probat hoc posse fieri divinitus, & à solo Deo.

19. Probatur 2. eadem sententia. De facto & naturaliter ponit Deus in eadem materia effectum formalem vegetandi, sentiendi, & intelligendi, vi ejusdem formæ, ut patet ex tota quæst. 15. Ergo divinitus potest hos effectus ponere in materia vi triplicis formę, quarum una sit vegetativa, altera sensitiva, altera rationalis. Probatur consequentia. Si hoc repugnaret vi triplicis formæ, esset vel quia talis triplex forma est impossibilis; vel quia data possibilitate earum, forent incompatibiles in eadem materia: at totum est falsum: ergo si vi ejusdem formæ habetur naturaliter ille triplex effectus, potest haberi divinitus vi triplicis formæ.

Minor quoad 1. partem patet, tum, quia rationes, quibus impugnantur formæ subordinatæ, solùm probant quòd non dentur de facto, non autem quòd non sint possibiles, ut patet ex dictis q. 15. Tum quia data doctrina Aristotelis, Comment. & omnium ferè DD. docentium, quòd embryo priùs vivit vita plātæ, posteà vita animalis, tandem vita hominis, in embryone datur forma vegetativa, quæ cedit adveniente sensitiva, & hæc deficit dum infunditur rationalis anima. At hoc est dare de facto formas subordinatas, licèt successivè, & non simul; ergo tales formæ possibiles sunt.

Quoad 2. partem probatur minor. Formæ, quarum effectus formales non sunt incompatibiles in eadem materia, possunt compati in eodem subjecto: sed effectus formales formæ ve-

vegetativæ, sensitivæ, & rationalis, sunt compatibiles in eadem materia, ut patet nunc de facto præstiti ab eadem anima rationali: ergo tales formæ compatibiles sunt, & divinitus possunt coexistere in eodem subjecto.

20. Dices hoc argumentum probare de facto, quia de facto ille triplex effectus præstatur ab anima rationali. Sed contra, nam ut hoc de facto non eveniat, sufficit ratio communis dicentium, quòd *Natura abhorret superflua*; superfluè ponitur triplex forma, pro effect, qui præstari potest ab unica anima rationali. At potest à Deo fieri ad ostensionem suæ Omnipotentiæ, nec est unde probetur hujusmodi repugnantia.

Dices 2. Argumentum nil probare, quia quæstio est de formis adæquatis dantibus speciem adæquatam. Argumentum adducit formas inadæquatas, quæ omnes ordinantur ad unicè speciem adæquatam. Sed contra. Nam quæstio non solùm est de formis diversæ speciei, quæ solæ dant diversas species, sed de formis ejusdem speciei, & DD. 1. sententiæ æquè negant in materia duas animas rationales adhuc divinitus: at istæ animæ nõ impugnantur, quia darent diversas species adæquatas, sed quia secunda non daret primum esse simpliciter, quia illud supponeret datum à prima; ergo cùm eadem sit ratio de secunda, & tertia forma subordinatis, quæ supponunt in materia formam vegetativam dantem primum esse simpliciter, si ratio nostra probat hoc possibile, probat de duabus animabus rationalibus.

21. Rursus. Da nobis quod probat argumentum de formis subordinatis, & eccè probatur idem de non subordinatis. Probatur sic. Potest divinitus dari materiæ esse triplex vegetandi, sentiendi, & intelligendi, vi triplicis formæ distinctæ subordinatæ: ergo potest Deus dare illud triplex esse, vi triplicis formæ non subordinatæ. Antecedens constat ex solutione tua. Consequentiam probo. Potest Deus ponere in materia triplicem animam rationalem, quarum prima solùm det esse vegetativum, secunda solùm esse sensitivum, tertia solùm esse rationale: at hæc triplex anima non est triplex forma subordinata: ergo potest vi triplicis formæ non subordinatæ &c. Probatur ans; si hoc repugnaret, sic vel quia illa triplex effectus non potest dari à formis realiter distinctis; & hoc non: quia jam admisisti dari à triplici forma subordinata, quæ multiplex & distincta est. Vel quia implicat, quòd anima rationalis prima, potens dare se sola triplicem effectum, de solum esse vegetativum: at hoc non implicat divinitus: ergo tenet antecedens.

Probatur minor. Vt forma sit divinitus in subjecto, non requiritur, quòd det ei omnem effectum formalem, adhuc primarium suum, sed aliquem. Patet hoc in intellectione, quæ potest à Deo poni in lapide, nec ipsi daret omnem suum effectum primarium, & specificum, qualis est reddere intelligentem, sed daret solum esse-

ctum genericum, nempe reddere lapidem qualificatum : ergo poterit divinitus prima anima rationalis informare materiam, dando illi solum effectum genericum vegetandi, non reliquos quasi specificos. Secunda autem anima, non daret effectum vegetandi, quia jam supponeret præstitum; daret tamen effectum genericum sentiendi. Tertia anima daret effectum intelligendi, non autem vegetandi, & sentiendi, quos supponeret datos ab alijs animabus.

Si dicas exemplum de intellectione nil probare, quia ponitur in subjecto incapaci ulterioris effectus: at anima prima ponitur in corpore capaci omnium effectuum; unde non potest à Deo cohiberi, ne plenè illum præstet. Contra est: nam capacitas materiæ ad omnem effectum primæ animæ, suadet, quòd naturaliter omnem effectum recipere debet, non autem quòd impossibile sit recipere solum genericum. Probatur. Nam si ex parte formæ esset impossibilis communicatio effectus generici sine effectu specifico, nil conduceret capacitas subjecti ad effectum genericum solum ut forma reciperetur in subjecto : ergo capacitas subjecti ad utrumque effectum, nil conducit ad suadendum ex parte formæ impossibilitatem divisionis effectus generici à specifico. Rursus. Materia est capax effectus formæ, modo quo à forma communicabilis est : sed divinitus forma potest communicare genericum sine specifico : ergo capacitas materiæ, quæ naturaliter est ad omnem effectum formæ, obedientialiter & divinitus est ad solum effectum genericum.

§. III J.

Expenduntur fundamẽta primæ sententiæ.

22. SI teneas sententiam affirmativam, debes solvere fundamenta sententiæ negantis posita à num. 4. Ad authoritatem D. Thomæ dic cũ Magistro Sancto Thoma hìc q. 10. quòd nunquam D, Thomas disputavit de potentia absolutà Dei in hac materia. Quare locis objectis, dum dicit hoc esse impossibile, intelligendus est de impossibilitate naturali, nõ de absoluta. Quod confirma ex dictis num. 10. Eodem modo exponitur mẽs N. B. Ægidij. Imò dum in Defensorio ad 1 p. art. 48 inquirit de potẽtia absoluta, suum suspendit judicium, ut dictum est num. 16.

Pro solutione fundamenti positi num. 5. quod præcipuum est, notá quæ diximus q. 9. §. 3. & 4. Vbi explicavimus quænam forma substantialis diffinitur *actus primus materiæ*. Ibi dictum est diffinitionem istam debere intelligi de actu primo *exactivè*, non *exercitè*. Sicut accidens diffinitur *ens in alio*, at non est tale *exercitè*; alioquin in Eucharistia non haberet suam essentiam, quam habet, quia ibi exigit esse in alio; unde *exactivè* est ens in alio. Sic essentia formæ est exigere esse primum actum materiæ, & exigere dare primum esse. Quòd si aliquando Deus operetur contra istam exigentiam, ut operatur contra exigen-

exigentiam accidentis in Eucharistia, non ideò everti Deus utriusque essentiam, cùm non tollat ab accidente exigentiam subjecti, & à forma exigentiam dandi primum esse materiæ, sed impediat, ut potest, exercitium utriusque. Hoc notato.

Ad fundamentum concessa maj. dist. min. S. in materia habente unam formam, secunda induceretur, hæc nõ esset primus actus, non esset *exercitè*, concedo min. *exactivè*, nego min. Nam tunc secunda forma exigeret dare primum esse, & expellere priorem dantem esse. Ceterùm contra istam exigentiam faceret Deus, impediendo expulsionem prioris formę. Vnde secũda forma non esset *exercitè* primus actus, bene tamẽ *exactivè* primus, quod sufficit, ut substantialis sit, tum quia diffinitio formæ debet intelligi de primo actu *exactivè*, non *exercitè*. Tum quia forma accidentalis nec exercitè est primus actus materiæ, nec exactivè. Per hoc patet ad duas probationes minoris, & constat, quomodo secunda forma dat primum esse, quod est *exactivè* primum, licèt non *exercitè*.

Ad tertiam probationem min. dic, quòd secunda forma, licèt supponat in materia aliã, nõ reciperetur in materia reduplicativè, ut informata, sed in materia secundùm se, tum quia forma prima non dat materię potentiam ad secundam, sed eam habet materia secundùm se: tum quia prima forma de materiali est in materia, ut recipiat secundam, & perinde ac si nõ esset. Ergo materia non recipit secundam, vi primæ; nec ut est ens in actu per primam, sc. ut est in potentia a secundam; quare cum illa facit unũ per se, non minus quàm cum prima. Explicatur in penetratione corporum in loco, ubi secundum corpus non recipitur in primo, nec in loco reduplicativè, ut repleto per primum; sed in loco specificativè habente aliud corpus, nec expellente secundum.

23. Ad 1. confirmationem dic, quòd secunda forma non redderetur accidentalis, sed maneret substantialis; tum quia non adveniret enti completo reduplicativè, sed specificativè, ut dictum est. Tum & maxim., quia sic advenit enti completo, ut exigeret naturaliter advenire materiæ potentia: omnim Deus tolleret à secunda forma hanc exigẽtiam. Hæc sufficit, ne sit forma accidentalis, quia accidentia potiùs exigunt advenire enti completo. Quòd si Arist. & Comment. intelligunt diffinitionem formæ de primo actu exercito, corrigendi sunt, quia procedunt juxta eorum notum numero. Possunt autem trahi in nostram sententiam, cùm uterque dixerit quòd *verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem*; aptitudo ferè idem est ac exigentia.

Ad 2. confirm. dic, quòd in casu duplicis formæ in materia, compositum resultans non esset adæquatè unum; sed duplex inadęquatè. Vel dic quòd esset unicum unitate subjecti; sicut duplex natura in Christo D. constituit unum unitate suppositi. Ad interrogationem Philosophi, dic nos nõ de-

debere respõdere, quia negamus quòd ex duplici forma fiat unum, cùm se habeãt disparatè, modo quo in sacharo dulcedo, & albedo, ex quibus nõ fit unum, licèt conveniãt in informando idem subjectum. Si enim ex utraque forma fieret unum, tunc benè quæreretur à nobis ligamentum utriusque. Sunt unum unitate subjecti, Deo sic formas uniente, aut faciente compatibiles in eodem subjecto. Pro hoc non est necessarius nexus utriusque, sed sólùm impedire, ne mutuò se expellant à subjecto.

24. Ad 2. fundamentum positum num. 6. dic, quòd posita causa & ejus causalitate, implicat non sequi effectum primarium; at potest nõ sequi effectus secundarius, ut contingit exemplis datis de corporibus penetratis, & de extensione locali impedita in corpore Christi Eucharistico, ubi suam habet quãtitatem, quæ est causa extensionis, & suam informationem, quæ est causalitas talis effectus. Expellere aliam formam à materia, non est effectus primarius, sed secundarius formæ advenientis: unde à Deo impediri potest.

Ad 1. confirm. nego quòd una forma afferat essentialiter privationé alterius: & concedo afferre connaturaliter, quare impediri potest à Deo agente supra, vel contra naturam. Ad probationem antecedentis, dic D. Thomam in ea authoritate astruere quòd diversæ formæ dant differentias diversas, & contrarias. At loquitur de contrarietate naturali, non de essentiali. Tum quia id sufficit ad intentum, ubi semper disputat de his, quæ eveniunt de facto, ut dictum est. Tum quia contrarietas formarum solùm colligitur ex contrarietate qualitatũ, quas exigunt; hæc exigentia est naturalis, non essentialis, cùm Deus quamcumque formam privare possit suis qualitatibus. Nec moveat quod exemplificat in rationali, & irrationali, quæ videntur differentiæ privativæ, & cõtrariæ. Sunt tales quoad nomen, quia ignoramus perfectionem differentialem brutorum, & eam explicamus per nomen negativum rationalitatis. Sed revera differentia brutorum quid positivum est, nobis ignotum, quod non est contrarium essentialiter rationalitati, sed *exactivè*, quatenus petit qualitates & organa diversa ab homine. Vide dicta num. 18. & applica hic.

Ex his ad 2. confirm. nega quòd forma equina neget essentialiter rationalitatem, quia licèt explicetur per nomen *irrationale*, hoc ideò est, quia ignoramus proprium nomen, ut dictum est. Hinc est, quòd in casu formæ humanæ, & equinæ in eadem materia, idem compositum esset rationale, & irrationale; at ly *irrationale* non esset negativum, aut privativum in re, sed in nomine: quare in re non verificaretur esse, & non esse, sed penes voces impropias, quibus utimur, quia proprias non habemus. Quare sicut sine implicatione penes diversas formas illud compositum esset homo, & equus, sic esset rationale, & irrationale, ly *irrationale* dicente in re differentiam positivam equi, quam ignoramus.

Si

25. Si quæ formæ forsan invicem se negant, sunt forma viventis, & cadaverica, quia cadaver dicitur corpus privatum vita. De his dic, quòd habent privationem ad invicem essentialiter annexam, nec divinitus tunc poterunt compati in eadem materia. De reliquis non est eadem ratio, ut patet ex dictis. Nec diffinitio unitatis quidquam probat, quia licèt unum sit *divisum à quolibet alio*, ly *divisum* ostendit distinctionem unius à quolibet alio, non incompatibilitatem in subjecto. Et patet, nam albedo vi unitatis suæ negat quamcumque formam, sed non dicit incompatibilitatem alterius formæ, v.g. dulcedinis in eodem subjecto.

Ad 3.c fir .c c ssa aj. ga min.n pe quòd xpulsio alter us formæ sit effectus essentialiter connexus cum primario formę venientis. Hoc debet probari à DD. primæ sententiæ, sed non probatur; nec ex diffinitione formæ substantialis colligitur, semel quòd forma solùm *exactivè* sit primus actus, non *exercitè*.

Ad 4. confirm. dic 1. quòd dependentia materiæ à forma non est essentialis, sed connaturalis, quia divini us pote existere sine forma, ut quęst. 9. dictum est. Dato quòd sit essentialis, non est à forma determinata, quia nullam appetit, nec petit determinatè, ut existat, sed hanc vel illam. Hanc dependentiam servaret materia in casu duplicis formæ, quia à neutra determinatè penderet, sed ab utraque indeterminatè.

26. Ad tertium fundamentum, positum num. 7. observa quæ diximus num. 24. de differentijs rationali, & irrationali; & hæc applica ad animatum, & inanimatum. Nam inanimatum explicatur negativè per carentiam vitæ, quia ignoramus differentias positivas insensibilium. Sola forma viventis, & cadaverica sem tuò ga ,r liquę sic. Nec inconvenit quòd penes diversas formas idem corpus sit animatum, & inanimatum; quia non sunt affirmato, & negato secundùm idem, sed secundùm diversa. Sic ergo lib. 3 Logicæ q. 7. & 8. diximus cum communiori sententia, quòd vi solius distinctionis virtualis formalitatum, salvantur de eadem entitate contradictoria; ergo melius contraria de eodem composito vi distinctionis realis formarum.

Nec deterrent absurda, quæ vel talia non sunt, vel non sequuntur ex sententia affirmativa. Ad primum dic illud non esse absurdum; nam de facto ab homine oriuntur operationes rationales, & humanæ, & operationes purè animales, ut sunt omnes sensitivæ, & purè vegetativę, ut sunt crescere, & ali. Si ergo ab eadem anima virtualiter multiplici, sine inconvenienti dimanant operationes tales diversæ, etsi subordinatæ; cur à distinctis animabus non orientur diversæ, & contrariæ operationes? Repugnarent si vi ejusdem formę provenirent; sed in casu non sic, quia à diversis formis sunt.

Ad 2. absurdum dic Faunos, Satyros, & Hircocervos, sicut & montes aureos non esse impossibiles, ut expresse

prisè docet N.B.Ægidius, & vid mus lib.2.Logicæ. Vocantur entia chimærica, quia concipitur natura hirci, & cervi identificata; & hoc implicatorium est. At quòd in una materia sit duplex forma aliter distincta, duplexque natura cervi, & hirci, implicatorium non est, nec impossibile. Quod si à Poetis fictum est; vel fictio stat in identitate naturæ; vel in eo quòd posuerunt de facto id quòd nos tantùm dicimus divinitus possibile. Sic ponere in concavo Lunæ nemora, & animalia, fictio est, sed non alicujus impossibilis.

Ad 3. absurdum sic, quòd aliquo Deus in eadem materia poneret duas animas, speciali er provideret, una regeret alteram; modo quo in Persona Christi est duplex natura, sed Divina regit humanum. Tum posito hoc regimine, utraque benè, vel malè simul operaretur; & sic cessat absurdum illatum. Si tamen neges hanc providentiam, quia possibilis est oppositia; tunc quælibet anima pro libito operaretur, & Deus provideret præmium, & pœnam corporis, sociantis animam benè, & animam malè operantem. Nec ex providentia nunc revelata licet discurrere pro casu possibili, quia revelationes factæ sunt circa solam præsentem providentiam. P. Augustinus impugnat hoc argumento Manichæos, ponentes de facto in homine duplicem animam; & unam naturaliter malam, & à principio malo, quod alienum valdè est à casu possibili quæstionis nostræ.

Ad ultimum dic, quòd in casu duplicis animæ in eadem materia, illæ differrent numero, qui naturaliter exigerent diversas materias, & sumerent distinctionem per ordinem ad illas materias, quas exigerunt: unde nunquam probatur tales animas non esse numericè distinctas.

27. Ad quartum fundamentum positum num.8. dic minorem esse falsam; nam quòd de facto, & naturaliter, materia non possit recipere simul duplicem formam, non oritur ex defect potentiæ, & virtutis materiæ; cùm hæc sit infinita, & ad formas in infinitum, ut probatum est n. 14. sed oritur ex incompatibilitate naturali duarum formarum in eadem materia. Quapropter, si divinitus sit in materia duplex forma, non requiritur quòd Deus ad aut materiæ virtutem, sed quòd impediat, & suspendat suum concursum, ne forma adveniens expellat præcedentem. Quare plenè cessat quartum fundamentum, quod fundatur in falso principio. Idem dic de forma, quæ cùm sit prima causa formalis intrinseca, ejus vis informativa infinita est, sed limitatur à materia, ne aliam potentiam informet. Vide ut Deus faceret formam informare duplicem materiam, non deberet addere virtuti informativæ, sed purè impedire, ne virtus formæ limitaretur à materia.

28. Ad 5. fundam. positum n.9. dicimus illud principium B. Ægidij, si non rectè explicetur, plures pati instantias. Eas vide in ipso Villanova, quas ut solvat, adducit ibi quatuor expositiones illius principij, descriptas

ex

ex eodem B. Ægidio de Cognitione Angelorum q.7.& 2.Sent.dist. 3.p.2. q.2 art.2.eis adde sequentem,nempe quòd plura ut plura possunt in unum convenire per attributionem ad tertium, licèt non per unionem inter se. Sic ex natura Divina, & humana nequit per unionem fieri una natura; bene tamen unum suppositum per attributionem ad eandem subsistentiã. Hoc modo ex duplici forma nequit una fieri per unionem inter se; possunt tamen fieri unum compositum per attributionem ad idem subjectum & materiam in qua recipiuntur. Sic explicato principio,cessat fundamentum Villanovani,applicando sub distinctione data expositionem principij, nobis objecti.

Ad 1.confirm. dic quòd formæ simul,vel successivè uniantur, fiet sine implicatione. Dicimus simul uniri: nego tunc formas confundi; quia nõ unirentur inter se, ut resultaret una forma,sed per attributionem ad eum subjectum, ut resultaret unum compositum unitate subjecti, quod esset duplex inadæquatè ratione duplicis formæ impermixtæ, & distinctæ, ut dictum est suprà de duplici natura Christi in eodẽ supposito, ubi nec cõfunditur, nec per mixtionem fit una, sed per attributionem fit unum suppositum. Si autem velis unam formam uniri materiæ post aliam, nego quòd una recipiatur in alia; reciperetur quidem in materia informata specificativè, sed non reduplicativè ut informata. Vide dicta num. 22. in fine.

Ad 2. confirm. admissa doctrina B.Ægidij circa illas quatuor uniones,dic quòd unio duplicis formæ ũ eadem materia, assimilatur unioni hypostaticæ duplicis naturæ in eodem supposito; quare num. 14. unam ex alia probavimus.Ad id quod additur in contrarium de mutua prædicatione,dic quòd sicut in Christo D. datur mutua communicatio idiomatum, & prædicatio mutua, qua Deus dicitur homo,& homo dicitur Deus; ita in casu formæ equinæ,& humanæ in eadem materia,daretur mutua prædicatio identica, & ratione substrati, & verè sic diceretur *Homo est equus,equus est homo.* Sensus utriusque est,subjectum habens formam equinam, est subjectum habẽs formam humanam; & è contra.Quorum utrumque verũ est.

Observa quæ diximus in Logica lib.4.q.4.§. 1. ubi vidimus quòd hæc propositio est vera *species prædicabilis est subjicibilis.* Diximus in sensu formali tali m, quia secunda intentio subjicibilis distincta est à secunda intentione prædicabilis. At in sensu identico est vera, quia eadem natura, quæ substratum est intentionis prædicabilitatis,est substratum intentionis subjicibilitatis. Sic in casu nostro, dum dicis *homo est equus*, in sensu identico est vera, quia idem est subjectum utriusque formæ; sed in sensu formali est falsa,quia formæ distinctæ sunt, nec potest una de altera prædicari, nisi falsò.

29. Ad nostrum fundamentum,positum num. 17. quod desum-

ptum est ex B. Ægidio in Defensorio ad 1. partem rt. 48. Respondetur ex doctrina B. Ægidij data num. 18. certum est quòd dum materia transmutatur, nequit simul esse in termino *à quo, & ad quem* transmutationis. At nos in quæstione ista dicimus materiam non transmutari, dum duas formas simul recipit; quia hoc an ùm potest à Deo fieri; Deus autem non agit transmutando materiam, sed sine transmutatione ejusdem. Quia ergo agentia naturalia solùm agun transmutando, nec m t ria subditur agẽti nàturali, nisi per transmutationem, ideò de materia sic relata ad agens naturale, benè probatur argumento, non posse simul esse *in termino à quo, & ad quem* transmutationis. Cetertùm relatè ad Deum agentem sine transmutatione, nil probatur, quia nec materia sic est subjectum transmutationis, nec formæ ipsæ sunt termini ejusdem.

Contra hoc nil valent probationes majoris. Non prima, quia terminus *à quo* est quidem derelictus, quãdo est erminus ransmuta ionis; secus quando non est. Non secunda, quia esse, & o esse opponuntur privativè, & sic nec cum transmutatione, nec si a ossunt compati. At num esse, & aliud, ex se non sunt opposita, sed solùm ratione transmua ionis; ob dque ossnt com ati dum actio non est transmutat va. Tertia probatio est ipsa solutio nostra: unde no est contra n s.

Ad 1. confirm. dic, quòd positis duabus formis in eadem materia, resultaret duplex na a ut & duplex species. Nec obest unitas m teriæ, quia cùm natura sit principium activum, ut dicem s libro sequenti, per se primò dicitu. e forma, quæ est actus; & secundariò solùm, & ratione formæ, dicitur de materia, quæ est principium purè asivum ratione sui. Vbi nota discrimen inter compositum, & naturam: nam compositum dicit nionem extremorum; materia autem extremum est unibile non minus quàm forma; unde unitas materiæ obstat ne in casu quæstionis sint duo composita, ut dictum est num. 13. at non obstat, ut sit duplex natur., quia hæc attenditur ene forma præcipuè, & de materiali se habe ma t a. Hinc ad 2. concesso antecedenti, nega consequentiam ob rationem datam.

§. V.

Expenduntur fundamenta sententiæ affirmantis.

30. SI teneas cum DD. primæ sententiæ materiam non posse adhuc divinitus duplici forma actuari, debes solvere fundamenta contraria posita à num. 10. Ad authoritatem N. B. Ægi ij ic contrariã sententiã propter rationes m gn ũ defensãtiũ fuisse ut probabilem reputatam à Doct nostro in Defe s. ad 1. p. art. 48. §. *Tamen ne videar*: eam t men dimisit.

Ad 1. fundam. admissis authoritatibus Scripturæ & P. Augustini, ut jacent, nego mintempe quòd rationes sententiæ negantis, solùm probẽt impossibilitatem naturalem; probant enim absolutam, & essentialem. Ad

1.

1. probationem minoris, dic quòd licèt probationes sumptæ sint ex doctrina Aristotelis, qui ignoravit potentiam absolutam Dei, probant tamen de potentia absoluta, quia eis utitur D. Thomas & alij Doctores Catholici, agnoscentes potentiam absolutam Dei, & negantes hoc esse possibile adhuc divinitus. Sic Aristoteles scribens de Anima, ignoravit possibilem visionem claram intuitivam Dei: & tamen ejus doctrina Aristotelis de Anima, plura desumuntur à Theologis pro specie impressa, & expressa, pro lumine elevante, & alijs concurrentibus ad visionem. Nec obstat paritas de alijs materijs, ubi principia Aristotelica non cohærent fidei, am tunc corriguntur à fide Catholica. In præsenti nil decrevit Ecclesia; unde non est cur principia Aristotelis explodenda sint, aut limitanda.

Ad 2. probationem minoris fatemur cum Joanne à S. Thoma 1. Physic. q. 10. quòd Doctor Angelicus nunquam disputavit hanc quæstionem de potentia absoluta. At aliquæ rationes ejus probant etiam divinitus, ut patet ex positis pro prima sententia; & ob id adducitur D. Thomas in favorem sententiæ negantis.

31. Ad secundum fundamentum, positum num. 11. concessa possibilitate duorum corporum in eodem loco, neg. possibilitatem duarum formarum in eadem materia. Disparitas benè traditur à Complutensibus, quia corpora dum sunt in eodem loco, penetrantur; & vi penetrationis, licèt sint duo entitativè, sunt unum locativè, vel per ordinem ad locum. Formæ autem relatè ad materiam non possunt penetrari; quia quantumcumque sint materiales, & penetrentur, manent tamen entitativè distinctæ, nisi velis eas plenè confundere, quod implicatorium est. At semel distinctis entitativè, non possunt esse simul, nec dare seorsim primum esse materiæ, aut esse actûs primos ejusdé, quare sunt incompatibiles: ergo ex corporibus penetrati, nil probatur pro duplici forma.

Contra hanc disparitatem non urgent probationes consequétiæ: quia licèt D. Thomas hanc paritatem usus sit pro impossibilitate naturali, nunquam putavit eam opportunam pro possibilitate, aut impossibilitate absoluta. Rursus: effectus expellendi aliud corpus à loco, secundarius est in quantitate, sed non connexus cum primario; at expellere aliam formam à materia est effectus secundarius connexus cum primario essentialiter, ut probatum est à DD. primæ sententiæ. Ob id Deus primum impedire potest, & corpus penetrentur; secundus autem à Deo non est impedibilis, cùm nunquam Creator rerum essentias possit invertere.

32. Ad tertium, fundam. positum num. 14. neg. consequétiam. Ad probationem ejus duplex adest solutio. Prima data est inter arguendú, nempe quòd virtus materiæ est infinita ad formas successivè, non ad formas simul habendas. Quòd probatur ex ipso argumento. Nam ipse probat in materia virtutem infinitam, quia est

prima causa materialis, & primũ subjectum receptivum: at est prima causa & primum subjectum non solum generationis, sed etiam corruptionis: ergo non est virtus ad formas simul, sed successivè, ita ut post corruptionem unius sit generatio alterius. Vrgetur. Successio formarum probatur ex continua generatione & corruptione: ergo potentia ad formas successivè, probatur ex prima causa materiali generationis & corruptionis. Sic est materia prima causa: ergo solùm est infinita potentia ad formas successivè. Per hoc patet ad impugnationes solutionis.

Secunda solutio est, admittendo plenè in materia potentiam ad quascumque formas. Hæc non sufficit ad simultaneam duarum informationem, quia hæc repugnat ex parte formarũ, quarum quælibet dicit negationem alterius in eadem materia. Nec contra hoc urget paritas duplicis naturæ in eadem subsistentia. Quia una natura non dicit negationem alterius in eodem supposito maximè Divino. Forma autem, quæ est actus primus, & dat primum esse, dicit negationem alterius in eadem materia.

33. Restat solvere fundamenta nostra, posita num. 18. Ad primum admisso antecedenti nego consequentiam. Formæ autem intentionales nec exercitè, nec exactivè contrariantur: unde possunt esse in eodem subjecto. At formæ reales, ratione qualitatum contrariantur. Si tamẽ Deus, ut potest, tolleret à formis ignis, & aquæ suas qualitates contrarias, nõ tolleret exigentiam qualitatum contrariarum, sicut nec ab accidentibus Eucharisticis tollit exigentiam subjecti. Sed quòd maneant cum exigentia inhæsionis, sufficit, ut actu sint accidentia: ergo quòd formæ substantiales ignis, & aquę, tunc manerent cum exigentia qualitatum contrariarum, sufficit, ut actu essent formæ contrariæ. Adde quòd adhuc sine qualitatibus haberent differentias privativè oppositas, ut num. 6. dictum est ex D. Thoma: ergo in nullo eventu possunt esse in eadem materia.

Ad secundum fundamentum nostrum, positum num. 19. dic primam partem ejus non esse ad rem, quia hìc quærimus de formis dantibus speciẽ completam, non de subordinatis, dantibus incompletam, ut inter arguendum dictum est. Quia autem ex hoc deducitur possibilis casus, quo in eadem materia sit triplex anima rationalis, dãs diversos gradus. Respondeo primò hoc non esse contra nos, quia licèt entitativè formæ illæ essent adæquatæ, & non subordinatæ, at formaliter, & quoad effectum præstitum essent subordinatæ; quare nil nobis probatur, sicut nec probatur ex subordinatis entitativè.

Respondeo secundò, negando quòd prima anima rationalis possit esse in materia, & dare esse vegetabile sine specifico. Quia exemplum de lapide habente intellectionem non valet, cùm sit incapax effectus specifici intellectionis. At materia est capax omnis effectus primæ animæ: ergo à Deo non potest cohiberi, ne il-

lum

lum recipiat. Nec in contra id quâ probatur, quia falsò supponitur quòd forma communicari possit secundùm gradum genericum sine specifico, si subjectum sit capax utriusque.

34. Hìc quæritur: An eadem forma possit informare duplicè materiam? Hæc quęstio communiter decidìtur ex principijs, datis pro antecedenti; & communiter qui negant unum, negant aliud. Nos autem non sic putamus, sed ex alijs principijs, nempe corporis relatè ad locum; nam N.B. Ægidius tenet 4. Physicorum, quòd duo corpora possunt esse in eodem loco divinitus, secùs unum corpus in diversis locis. Quia licèt corpus limitetur à loco, ne sit in alio; at locus non limitatur à corpore essentialiter, ne recipiat aliud. Sic forma recepta in materia limitatur, ne sit in alia materia; at materia, quæ est quasi locus, & commune diversorium formarum, non limitatur essentialiter à forma, ne illa recipiat. Quo fit, ut licèt in eadē materia possint divinitus esse duæ formæ simul, non potest tamen eadem forma esse in duabus materijs. Adde quòd sicut corpus bilocatum distaret à seipso, quod implicat: sic forma in duabus materijs, distaret à seipsa. Si quæ rationes urgeri possunt contra hoc, solvuntur ex discrimine dato limitationis formę à materia, quæ à forma nullatenus limitatur.

QVÆSTIO DECIMA SEPTIMA.

Per quid constituatur privatio?

§. Vnicus.

Ostenditur ex M. P. Augustino privationem esse nihil, & distingui ab omni ente positivo.

1. QVÆSTIO hæc implexa, & ferè inutilis, primò excitata à Platonicis, exaltata à Manichæis, depressa & consopita à M. P. Augustino, denuò suscitata est à RR. præcipuè Complutensibus in gratiam sententiæ Aristotelicę, quæ privationem ponit tertium principium entis naturalis. De illa decreveram nihil dicere, ut nihil dicerem de nihilo: at placuit breviter quid senserit P. Augustinus exponere, ut nihili inutilitatem doctrinis Augustinianis utilem redderemus.

Citatur Plato docens privationem non distingui à materia prima. Vnde sequitur quòd materia, & privatio sint nihil; vel si materia est quid positivum, privatio constituitur per aliquid positivum. Probatur assertum ex illo principio certo apud antiquos Philosophos *Inter ens & nihil nullum est medium.* Ergo cùm materia non sit ens simpliciter, materia est nihil, & sic indi-

indistincta à privatione. Hanc sententiam rejicit Arist. Ex eo quòd privatio destruitur per adventum formæ, cujus est privatio : ergo si materia esset privatio, & formam appeteret, appeteret sui destrutionem, quod implicat. Rursus, materia recipit formam, & illi coexistit : sed privatio nequit formam recipere, aut illi coexistere: ergo materia nequit esse privatio.

Ad fundamentum Platonicum respondet Philosophus illud principium esse falsum, quia inter ens simpliciter, & nihil, datur materia, quę est ens in potentia, & medium ; ut suprà aliunde dictum est. Melius pro Platone urgeres authoritatem P. Augustin sæpiùs vocantis materiam informitatem sine ulla specie : at informitas est privatio speciei, & formæ dantis speciem : ergo materia juxta P. Augustinum est ipsa privatio.

Respondemus ex S.P. locis datis hìc q. 2. & 3. quòd privatiò est carentia formę in subjecto apto, ad differentiam negationis, quæ est carentia in subjecto inepto. Hinc fit, quòd privatio in recto, dicit nihil, sed in obliquo quid positivum, nempe subjectū, & aptitudinem subjecti ad formam. Materia autem, quæ est subjectum aptum ad omnem formam, ex se dicit in recto positivum subjecti, & aptitudinis, in obliquo autem dicit carentiam formæ, auferibilem per formæ adventum. Dum ergo P. Augustinus dicit quòd materia *erat quædam informitas sine ulla specie*. Sensus est, quòd erat subjectum plenè informe, & sic in recto dicitur quid positivum : non attem contendit S.P. quòd in recto materia est ipsa informitas. Et patet: quia materia juxta S.P. non est nihil, sed *prope nihil* : at privatio juxta eumdem est nihil, ut videbimus : ergo eo laudato non docet quòd materia in recto sit ipsa informitas, & privatio, sed quòd in recto est subjectum informe.

2. Sententia hæc de indistinctione privationis à materia, ex parte docetur ab eis, qui tenent privationem non distingui ab omni ente positivo. Sic Sfortia, Palavicinus, Quiros, Linze, Ribadeneira, & aliqui Complutenses. Hi docent privationes esse aliquid positivum. Probatur ex illo Genes. 1. *Et tenebræ erant super faciem abyssi* : sed quod erat, extitit; & quod existit, est ens positivum: ergo privatio lucis quid positivum est. Rursus in Hymno trium puerorum invitantur ad laudem Dei, ibi : *Benedicite lux, & tenebræ Domino*. Frustrà invitarentur, si tenebræ nihil essent.

3. Peccatum vel originale, vel actuale est carentia gratiæ, & justitiæ originalis : sed de peccato originali docet tridentinum sess. 5. illud fuisse transfusum in posteros per generationem ; quod non staret, si peccatum foret nihil, cùm nihilo non possit convenire transfusio per generationé: ergo privatio justitiæ quid positivum est. Et confirmatur. Nam ex peccato movetur Deus ad infligendam pœnā peccatoribus : at non movetur ex nihilo: ergo privatio gratiæ, in qua stat peccatum, est quid positivum.

4. Privatio dicitur à Philosopho malefica : ergo quia habet vim nocédi:

dis: sed quod est nihil, non habet aliquid: ergo privatio non est nihil, sed quid positivum. Et confirmatur ex Philosopho 3. de Anima cap. 2. ubi ait: *Etenim quando non videmus, tenebras & lumen visu discernimus.* Ex quo sic: Nequit visu discerni, quod non cadit sub objecto visus: sed quod est nihil, non cadit sub objecto visus: ergo tenebræ non sunt nihil. Confirmatur 2. ex Philosopho sæpè docente quòd privatio est causa appetitus: ergo dat existentiã appetitui. Sed quod est nihil, nequit dare alteri existentiã, quam non habet: ergo privatio non est nihil, sed aliquid.

3. A ratione probatur eadem sententia sic. Carentia identitatis Petri cum Paulo, non distinguitur ab entitate positiva Petri: at idem dicendum de alijs carentijs: ergo privationes non distinguũtur ab ente positivo, & sic sunt quid positivum. Probatur major. Petrus sicut per suam entitatem constituitur unus in se, sic per eandem constituitur distinctus à quolibet alio: sed distinctio est carentia identitatis: ergo carentia illa est ipsa Petri entitas. Et urgetur. Posita in Petro rationalitate, & secluso quovis alio positivo, aut negativo, repugnat Petro identificari cum equo: ergo rationalitas ipsa positiva est carentia identitatis Petri cum equo? Urgetur 2. Carentias per se ipsam, & sine addito differt à surditate, & alijs carentijs: ergo ens quodlibet positivum sine addito ullo differt per se ab alio ente positivo. Urgetur 3. Si carentia identitatis esset quid distinctum ab ente positivo, sequeretur quòd in quovis ente positivo darentur infinitæ carentiæ, cùm quodlibet differat ab infinitis alijs entibus: sed ponere in quolibet ente infinitas carentias, est incõveniens: ergo &c.

Probatur 2. à ratione. Tenebræ habent proprietates entis positivi: ergo privatio lucis, & idem de alijs, est quid positivum. Consequentia patet, quia proprietas solùm convenit habenti essentiam. Ans probatur. 1. Quia tenebræ differunt à carentia frigoris, caloris &c. quare tenebræ habent unitatem, & distinctionem: sed unitas, & distinctio sunt passiones entis: ergo.

2. Quia tenebris convenit vis expulsiva lucis, non minus quàm luci vis expellendi tenebras: sed vis expulsiva est quid positivum, & proprietas entis positivi: ergo idem. 3. Ideò lux est quid positivum, quia non pendet à fictione intellectus, ut existat, & tenebras expellat: at e contra tenebræ sine fictione intellectus existũt, & lucem depellunt: ergo. 4. Ideò lux est ens positivum, quia verè causatur, & causat: at tenebræ verè causantur ab absentia Solis, & verè causant lucis absentiam: ergo &c.

Confirmatur 1. Eadem lux, quæ post productionem est aliquid, ante productionem erat nihil: ergo eadem carentia lucis, quæ ante productionẽ erat nihil, post productionem erit aliquid.

Confirmatur 2. Præsente luce, non sunt tenebræ; alioqnin lux & carentia lucis essent simul, quod implicat:

plicat : ergo præsente luce, tenebræ sunt nihil. Patet consequentia, quia quod non est, nihil est. Nunc sic. Ergo illa tenebra, quæ præsente luce nihil erat, transit absente luce ad esse aliquid. Patet consequentia, quia tenebra illa per absentiam lucis mutat statum : sed quod est nihil, nequit mutare statum, nisi fiat aliquid : ergo tenebra est quid positivum & aliquid. Omittimus alia, quæ videbis apud Cardin. Aguirre in Philosophia.

4. Contraria sententia docens privationes esse nihil & distingui ab omni positivo, est omninò certa, & nobis tenenda cum P. Augustino, qui locis infrà allegandis eam docet, & in libris contra Manichæos, putantes tenebras esse quid positivum, & nescio quæ regna tenebrarum fingentes, eos irridens, opponit concedenda etiam esse regna silentiorum ; cùm silentium sit privatio soni, sicut tenebra lucis. Hæc sententia est omnium PP. quos allegat Cardin. Aguirre, & traditur sæpè à D. Thoma, & B. Ægidio, præcipuè in Examerone ad laudata Genesis verba, & 1. Physic. lect. 16. textu 66. ubi docet quomodo privatio formæ differat à materia, quia hæc est ens in potentia, & habet aliquam essentiam ; privatio autem est purum non esse formæ.

Probatur 1. ex P. Augustino, qui oppositum docentes vocat deliros. Sic libro de Natura Boni cap. 25. dicit: *Nec audienda sunt deliramenta hominum, qui nihil hoc loco, aliquid intelligendum putant &c.* Et infrà : *Quis autem velit loqui cum hominibus, qui hoc ipsum, quod dixi: Nihil interest, possunt dicere: ergo interest aliquid, quia ipsum nihil aliquid est.*

Et tractatu 1. in Joann. *Sine ipso factum est nihil. Videte* (ait S. P.) *ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent multi malè intelligentes, Sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est; & manifestum est, quia peccatum nihil est, & nihil fiunt homines, cùm peccant.* Vide mirabilia in Soliloquijs cap. 5. & 6. & quomodo peccator fit nihil, dum peccat. En peccatum nihil, de quo dicitur factum, sicut de tenebris dicitur quòd erant; nec ideò locutionibus his sic abutendum, ut nihil aliquid esse deliremus.

5. Probatur 2. ex eodem S. Parente lib. 1. de Genes. ad litt. cap. 4. ubi explicans quid sit privatio, ostendit nihil esse in omni prædicamento. Vnde dicit sic : *Vbi lux non est, tenebræ sunt; non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore, ubi tegumentum non est, nuditàs dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanitas dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur.*

Rursus lib. imperfecto de Genes. ad litt. explicans verba Genes. nobis objecta, quibus abutebantur Manichæi, ut tenebras dicerent quid positivum, dicit sic S. P. : *Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nihil aliud invenit, quàm absentiam lucis. Ita igitur dictum est, tenebræ erant*

super

ſuper abyſſum, ac ſi dictum eſſet, non erat lux ſuper abyſſum.

Tandem lib.ue Vita Beata, dat doctrinam, qua ſolvuntur argumenta nobis contraria, quæ fundantur in m d- loquendi. D-cit ſic: *Neſcio quomodo dicamus habet egeſtatem. Tale eſt enim, ac ſi locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras, quod nihil aliud eſt, quàm lumen non habere. Non enim tenebræ quaſi veniunt, & recedunt, ſed carere lumine, hoc ipſum eſt eſſe tenebroſum; ut care. - veſte -ſt -ſſe n..dum. Non enim veſte accedente, veluti aliqua res mobilis nuditas fugit. Quamobrem, ut quod volo explicem, ſicut poſſum, ita dicitur habet egeſtatem, quaſi dicatur habet non habere.*

6. A ratione robatur communis ſent. Privat.o ex ter..i.n.s eſt carentia, & non eſſe formæ: ſe non eſſe formæ non eſt aliquid, ſed purum nihil: ergo privatio nihil eſt, & diſtingu tu r ab omni eſſe poſitiv_. Obſerva, quòd privatio, ut diſtincta à negatione, dicit in ſubjecto aptitudinem ad formam, cujus eſt privatio. Hęc aptitudo eſt quid poſitivum, ut ent eſſe ſubjecti; at hoc poſitivum non importatur in recto privationis, ſed in obliquo & connotato, ut q. r.h jus libri dictum eſt. Nunc quæſtio eſt de privatione in recto ſumpta, de qu dicebamus eſſe purum nihil.

Confirm r. Si ca nti ex ſuo conceptu primario eſſet quid poſitivum, ſequeretur quòd ab æterno darentur infinita eintia poſitiva extra Deum; & quòd hæc entia infinita nõ eſſent facta à Deo: ſed primum eſt abſurdum, & ſecundum hæreticum: ergo privatio & carentia formæ non eſt quid poſitivum. Minor patet, quia ab æterno dantur infinitæ carentiæ rerum, quas potuit Deus ab ęterno producere, nec produx't, niſi in tempore. Major p- e. etiam, quia ſicut tales carentiæ ſunt diſtinctæ à Deo, ſic earum eſſe fo et d'ſtinctu, & ſic x-tra eum, quia u'dquid in Deo eſt, Deus eſt. Quòd verò eſſe illarum non foret à Deo, pate, quia *Sine ipſo factũ eſt nihil*; nec enim Deus facit tenebras, egeſtatem, cęcitatem, nuditatem, & alias carentias, ſed ſolas formas: imò cùm non habe t d m privati um, eas cognoſcit nõ in ſpecie, ſed in ſpeciei privatione, ut in Logica lib. 2. dictum eſt. Vide alias rationes in Carin. Aguirre.

7. Ex his ferè ſoluta ſunt fundamenta contra i poſit um. 2. Ad primum reſpond. quo dicitur Geneſ. 1. *Tenebræ erant*, ac ſi diceretur *Non erat lux*, ut ſuprà vidimus ex P. N. at dicendo *Non erat lux*, nulla importatur exiſtentia, ſed purum non eſſe: rgo &c. Ad aliud d.c..on tenebras, ſed nos nvitari d laudem De; nam cùm Deus onet, & removeat lucem, & totum cedat in bonum noſtrũ; debemus laudare Deum datorem lucis ad operandum, & ablatorem ejus, ut ceſſando ab opere requieſcamus. Sic Job Deum Datorem, & Ablatorẽ bonorum laudavit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit Nomen Domini benedictum.*

Ad 3. dic, quòd p ccatum origi-

nale est carentia voluntaria justitiæ originalis, sicut personale actuale est carentia voluntaria gratiæ habitualis, & sic est nihil, de quo Joannis 1. dicit : *sine ipso factum est nihil.* Idest *peccatum*, ut ibi exponit M.P. August. Hoc nihil maculat, & deturpat animam, quia est voluntaria carentia ornatus animæ, nempe justitiæ, & gratiæ quibus anima ornatur à Deo. Ob id autem in Parabola Cœnæ magnę, docet Christus D. de homine illo, qui intravit sine veste nuptiali, reum fuisse æternæ mortis, eique dictum : *Ligatis manibus, & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Non fuit hic miser damnatus ob aliquid positivum, sed ob nuditatem, & meram carentiam vestis nuptialis. Sic ille servus piger, qui habuit talentum repositum i sudari, damnatus est, non qui pecuniam dissipavit, sed quoniam usum ejus omisit in sui Domini, & aliorum utilitatem.

Ad 4. dic privationem dici maleficam, & habere vim nocendi non effectivè, sed formaliter ratione incompatibilitatis, quam habet cum forma, cujus est privatio. Eodem sensu dicitur causa appetitus, quia impediendo formam excitat formaliter desideriũ ejus juxta illud *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Vt ergo probaretur privationem esse quid positivum, oportebat probare esse veram causam appetitus : c terùm hoc est contra Philosophum, qui privationem dicit principium per accidens, eamque enumera on in er causas, sed inter principia. Ad aliud de tenebris, dic oculum percipientem lucem, discernere etiam tenebras, per speciei privationem ; sicut auris discernit silentium, non per speciem propriam, sed per defectum speciei propriæ. Hoc non facit tenebras cadere intra objectum visus, sed potiùs esse privationẽ, & carentiam objecti proprij visus. Sicut enim intellectus circa privationes nesciendo cond sc t, u ex P. August. diximus in 2. lib. Logicæ, ita visus nõ videndo discernit tenebras, & auris non audiendo discernit silentium. Est ergo in his discretio negativa, non positiva.

8. Ad rationem positam num. 3. Dicimus, quòd Petrus per suã entitatem est unus in se, & distinctus à quolibet alio. Cetertùm in hoc importantur duo. unum positivum, quod est passio entis ; aliud negativum, nẽpe distinctio, à quolibet alio. Clariùs. Vnitas Petri, quæ passio est entitatis Petri, habet identitatem cum Petro, & carentiam identitatis Petri cum reliquis entibus. Primum est positivum, secundum est negativum, & inseparabile a primo, quia cu eo essentialiter connectitur. Hoc negativum fundatur supra positivum, & sic fundamentaliter quid positivum est, sed nõ formaliter. Quo fit, ut Petrus per suã entitatem positivam sit formaliter idẽ cum seipso, & fundamentaliter distinctus à quolibet alio. Redditur autem ab eò formaliter distinctus per illud negativum, fundatum supra positivum.

Et dum insurgis, quòd posita entitate Petri, sec. uso omni alio, repugnat

pugna. Petro identificati cum equo; dicimus verum esse secluso omni alio positivo; at non est verum secluso omni alio negativo; tum quia hoc negativum, nempe carentia idétitatis cum alijs, non potest secludi, aut prescindi à positivo uni atis Petri, — dictu est. Tum quia data illa præcisione, semper maneret Petrus cum rep gnãtia fundamentali idétitatis cum equo, sed non cum formali, quæ habetur vi solius negativi fundati in positivo.

Nec urget paritas de duplici carentia, quia licèt surditas sine ullo addito differat formaliter à cæcitate, nõ valet ad entia positiva, quæ per solum positivum sine additione negativi possunt habere formaliter carentiam identitatis, quæ formaliter est quid negativum. Ex quo pate etiam ad tertiam urgentiam, cui dicimus, quòd Petrus per unicum negativum differt ab infinitis entibus, quia hoc fundatur supra entitatem Petri, quæ unica est. Dato autem current s identitatis esse infinitas, non inconvenit admittere infinita negativa in quocumque ente; nam licèt creatæ repugnet esse quid infinitum, ei non repugnat esse negationem infiniti.

9. Ad 2. rationem negamus quòd privationibus conveniant proprietates entis positivi. Ad 1 probationem dic tenebras differre negativè à surditate, & alijs carentijs, sicut formæ, quibus privant, differunt inter se positivè. Distinctio quæ est passio entis, est distinctio positiva, non negativa, quare nil contra nos.

Ad 2. dic tenebras expellere lucem formaliter, non effectivè, quare non habent vim expulsivam, alioquin effectivè expellerent lucem; sed formaliter eam rem vere, ut mors vitam, peccatum gratiam &c. Dicimus de his habere vim expellédi, sed abutimur terminis, & hic abusus corrigédus est dum loquimur in sensu formali. Ad 3. dic tenebras non existere, quia quod nihil est, non est. Dicimus existere abusivè, sed sensus locutionis nostræ est, lucem nõ existere. Vide suprà quomodo *Tenebræ erant super faciem abyssi.* Ad 4. constat ex dictis pro 2. Omnia hæc fundantur in abusione locutionis nostræ, & mirum quòd taliter abusus prævaluerit, ut DD. laudatos traxerit in sententiã nostræ contrarium.

Ad 1. contrarium nego suppositum consequentis. Supponitur quòd carentia lucis producitur, & hoc est falsum, quia potiùs datur absentia per carentia productionis, aut conservationis lucis. Ad 2. confirmationem, quæ est merum sophisma, dic quòd præsente luce, non sunt tenebræ; at in ly *non sunt*, non denotatur carentia alicujus esse, sed potiùs carentia alicujus non esse. Carentia non entis, non est nihil, sed aliquid. Quare dum hæc carentia per absentiam lucis mutat statum, transit ad esse nihil. Hoc sunt tenebræ, & quæcumque privatio. Sed de his nugis satis.

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

An in composito substantiali unio sit ab extremis distincta?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. ACTVM hucusque de principijs entis seorsim, nunc agendum est de eis ut unitis, qualiter solùm constituunt compositum substantiale, sed primò de unione ipsorum materiam, & formam, quam supponimus quid substantiale, sicut totum ex eis resultans, substantiale est. Vnio tripliciter sumitur, nempe pro actione unitiva, pro relatione uniti, & pro fundamento hujus relationis. De prima nullum est dubium, quia actio unitiva realiter differt à materia & forma in omnium sententia. De secunda si dubium est, decisum est in Logica lib. 6. ubi disputatur, an relatio differat à fundamento. De tertia unionis acceptione, quæ est unio formalis, & nexus materiæ & formæ, dubitatur, an & quomodo differat ab extremis unitis?

Prima sententia docet unionem esse modum realiter distinctum ab extremis. Sic plures Thomistæ, quos allegat Card. Aguirre: ex DD. Societatis Hurtado, Alphonsus, & alij, sequentes Suarium 1.p. disp. 8. sect. 2. & in Metaph. disp. 15. sect. 6. à num. 6. Ex nostris Toletanus, & Fræciscus à Christo; estque inter Thomistas hoc tempore probabilissima, ut in præsenti observat Palanco.

Probatur 1. authoritate D. Thom. 1.p.q.76.art.1.ad 6. ubi ait: *Secundùm se convenit animæ uniri corpori, sicut secundùm se convenit levi esse sursum &c.* En juxta S. Doctorem sic anima convenit esse in corpore, sicut corpori levi esse in loco sursum: at corpus nullum est in loco sine modo ubicationis realiter distincto, & addito corpori: ergo nec anima est in corpore, sine modo unionis, realiter ab utroque distincto.

Confirmatur. Ideò corpus, ut sit in loco, indiget modo ubicationis distincto, quia corpus indifferens est ad hunc, vel illum locum; quæ indifferentia tollitur per ubicationem distinctam, additam corpori: at etiam anima est indifferés ad hoc, vel illud corpus; & quæcumque forma est indifferens ad hanc, vel illam materiam: ergo ut determinatè sit in hac, indiget modo unionis distincto, & superaddito.

Confirmatur 2. Quidquid ex se est intrinsecè indifferens ad plura, si ei nil addideris, manebit indifferens ut antéa: sed forma est indifferens intrinsecè ad hanc, vel illam materiã: ergo nisi ei addideris modum unionis determinantem, non erit potiùs unita huic materiæ, quàm alteri.

2. Probatur 2. ratione, & est confirmatio præcedentis. Id, cùs

ju-

jus essentia non consistit in actuali exercitio, sed in aptitudine ad ipsum, nequit reduci ad exercitium sine aliquo superaddito: sed essentia materiæ & formæ, non consistit in actuali exercitio recipiendi, & informandi, sed in aptitudine ad recipiendum, & informandum: ergo nequit materia recipere formam, & illi unari sine unione superaddita, & ab eis distincta. Consequentia tenet, & minor patet, tum quia materia dicitur subjectum receptivum, non autem recipiens. Tum quia anima D. Petri, & quæcumque separata, est sine unione, nec posset, si unio esset ipsi essentialis.

Major probatur. 1. Quia id, cujus essentia consistit in sola aptitudine, sine actu, manet sicut antea; antea erat in potentia, & sic nunquam erit in exercitio. 2. Quia ideò causa efficiens creata non reducitur ad actum operandi sine exercitio superaddito, quia ejus essentia non consistit in actuali exercitio operandi, sed in aptitudine, & potentia ad operandum; alias nulla esset ratio probans in creaturis distinctionem operationis à virtute operandi: ergo idem de materia, & forma. 3. Ideò colligimus subsistentiam realiter distingui à natura creata, quia essentia creaturæ nō consistit in exercitio subsistendi, sed in aptitudine ad subsistendum. Similiter colligimus inhærentiam accidentium ab eis realiter distingui, quia eorum essentia non consistit in exercitio inhærendi, sed in aptitudine, & potentia ad inhærendum: ergo &c.

3. Tertium fundamentum & ceteris difficilius, sumitur ex ortu, & interitu hominis. Ex interitu sic. In morte hominis verè destruitur unio animæ & corporis, manentibus corpore, & anima in statu separationis: at quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: ergo unio realiter distinguitur à materia, & forma unitis.

Si dicas, quòd non deficit unio quoad entitatem, nam hæc est entitas animæ & formæ, quæ post mortem manent: deficit autem unio quoad denominationem, & quoad exercitium uniendi, quia sic unio est connotativa, connotans actionem extrinseci agentis, quæ deficit in morte hominis; unde deficit unio quoad connotatum, quoad exercitium, & denominationē uniendi, secùs quoad entitatem. Si hoc dicas, communem assignas solutionē, sed en contra illam communes etiam impugnationes.

4. Primò. Quia nequit unio deficere quoad connotatum actionis, quin deficiat quoad entitatem: ergo solutio data non tenet. Probatur ans. Nequit deficere actio agentis connotata, nisi deficiat terminus illius actionis: at terminus actionis unitivæ est ipsa unio formaliter quoad entitatē: ergo &c. Probatur major, quia actio agentis unitiv sæpè est actio Dei, ut quando Deus creavit Adamum, & in omni conservatione hominis adest actio Dei conservativa: at actio Dei, est ipse Deus, quia cum Deo identificatur, unde non est subjectivè defectibilis, sed solùm terminativè, nempe

defectu

defectu termini : ergo nequit &c.

Explicatur. Dicis quòd in morte hominis deficit unio quoad connotatum, quia deficit actio agentis conservativa : at actio conservativa nequit deficere, nisi deficiat entitas formalis unionis : ergo in morte hominis verè deficit unio quoad entitatem. Probatur minor. Actio conservativa est actio Dei, & sic subjectivè indefectibilis, & solùm defectibilis terminativè, ho est per defectum termini : ed terminus illius actionis est unio quoad entitatem : ergo. Probatur minor. Id est terminus actionis conservativæ, quod conservatur tali actione : sed unio quoad entitatem sumpta, conservatur per actionem Dei : ergo.

Contra secundò. Nequit deficere unio quoad exercitium uniendi, nisi d fici quoad entitatem : ergo si concedis primum, teneris concedere secundum. Probatur ans. Deficiente exercitio uniendi, deficit essentia unionis, quæ consistit in actuali exercitio uniendi ; sicut deficiente exercitio referendi, deficit essentia relationis, quæ consistit in exercitio referendi : sed deficiente essentia unionis, deficit entitas unionis, cùm hæc nõ possit esse sine sua essentia : ergo nequit deficere unio quoad exercitium, quin deficiat quoad entitatem.

Contra tertiò. Implicat quòd maneat unio quoad entitatem, & non maneat quoad exercitium, & denominationem uniendi : ergo idem. Probatur ans. Implicat quòd maneat forma in subjecto, & non det illi suam denominationem primariam, etsi possit esse quin det denominationem secundariam, sed denominatio uniti est primaria in unione : ergo implicat &c. Minor constat, & major est certa, quia denominatio primaria est effectus, vel signum effectus primarij formæ ; forma autem in subjecto non potest esse, cui non communicet suum effectum primarium. Quòd si dicas subjectum, nempe materia & forma, ratione separationis non est capax talis effectus. Contra, nam eadem ratione non erit capax formæ, nempe unionis quoad entitatem. Et observa quòd doctrina de connotatis valet pro effectibus secundarijs formæ, sed non pro primario, pro quo nullum contraria sententia adducit exemplum, ut benè observat Palanco hìc.

5. Ex generatione probatur etiam sic distinctio unionis ab extremis. In generatione humana, generans aliquid producit ; alioquin generans non esset generans, si nil produceret : at non producit materiam, aut animam rationalem, quia istæ fiũt per creationem à solo Deo : ergo restat quòd sola unio producitur, & generatur. Ergo quia unio est distincta ab extremis. Probatur hæc consequẽtia. Nam quod fit per generationem, distinguitur ab eo quod fit per creationem, tum quia unum, & idem nequit tam diversas terminare actiones ; tum qu a de idẽtificatis si unum creatur, etiam alterum.

6. Quartum fundamentum plura congerit, & tale est. Accidens non potest uniri subjecto sine modo inhærentiæ superaddito ergo nec forma

mâ materiæ ſine modo unionis diſtincto. 2. Partes continui continuantur medijs punctis indiviſibilibus, realiter diſtinctis: ergo & materia & forma. 3. Materia & forma uniuntur per proprias cauſalitates, nempe per hoc quòd materia recipiat, & forma informet: ſed cauſalitates illæ diſtinguũntur à materia, & forma: ergo uniuntur medio diſtincto. Patet minor, quia nulla cauſa creata identificat ſecum ſuam cauſalitatem. 4. Sic comparatur forma ad materiam, ſicut objectum ad intellectum: ſed objectum nequit uniri intellectui, niſi medio verbo realiter diſtincto: ergo nec forma materiæ. 5. Id quod accidentaliter prædicatur de alio, realiter ab illo diſtinguitur: ſed unio prædicatur accidentaliter d materia, & forma: ergo ab eis diſtinguitur.

6. Quia ſubjectum eſt indiferens ad album, & nigrum, ad agere, & non agere, ideò albedo, & actio ſunt quid ſuperadditum ſubjecto: ſed materia, & forma ſunt realiter indifferẽtes ad uniri, & non uniri: ergo unio eſt addita eis, & diſtincta. 7. Implicat rem al quam tranſire de contradictorio in contradictorium ſine aliquo ſuperaddito: ſed materiam eſſe unitam, & nõ eſſe unitam ſunt prædicata contradictoria: ergo implicat quòd materia tranſeat de non eſſe unitam ad eſſe unitam ſine unione diſtincta. Vrgetur. Quando materia tranſit de non eſſe unitam ad eſſe unitam, reſultat in materia relatio realis unitæ ad formam: ſed hæc reſultare non poteſt ſine aliquo de novo producto: ergo &c. Probatur minor. Relatio non poteſt reſultare, niſi ad poſitionẽ alicujus termini primarij denuò producti; cùm ad relationem non detur per ſe motus, ut dicitur 5. Phyſic. ergo.

7. Quintum fundamentum, partim nuper tactum, urgentiùs proponitur à Palanco, & deſumitur ex Ildephonſo Michaele Dominicano 1. p. q. 3. art. 4. dub. 2. ſic: Omnis actus ſecundus, & exercitium cauſandi, in creaturis diſtinguitur realiter à potẽtia: ſed exercitium uniendi eſt actus ſecundus, & ultima actualitas in ea linea: ergo unio, quæ conſiſtit in actuali exercitio uniendi, realiter diſtinguitur à materia & forma. Major patet exemplis. Nam exercitium intelligendi & volendi diſtinguitur in creatis à potentia intellectiva, & volitiva. Exercitium ſubſiſtendi à natura ſubſiſtente; exercitium inhærendi ab accidente poſſe inhærere. Rurſus patet à ratione. Nam omnis creatura eſt finita, & limitata; non eſſet finita, ſi dentificaret ſuam ultimam actualitatem. Rurſus omnis creatura eſt potentialis; non eſſet ſi identificaret ſuum ultimum exercitium. Tali argumẽto probant Thomiſtæ nullã creaturam identificare ſuam exiſtentiam, quia hæc eſt ultima actualitas in linea eſſendi.

Communis ſolutio eſt, doctrinã iſtam veram eſſe de exercitio, & actualitate, dicente perfectionem; ſecus de dicente imperfectionem. Vnio, & exercitium uniendi dicunt imperfectionem, quia dicunt ex parte materiæ receptionem, & ex parte formæ infor-

mationem, & utrumque imperfectio est. Non obstat limitationi creaturæ, imò petitur ab ea, identificare imperfectiones suas physicas.

Contra hoc insurgit multis Palanco. 1. Quia inde sequitur quòd creatura poterit idétificare suam existétiam materialem, suum discursum, suas actiones sensitivas, & materiales; nam hæc omnia imperfectionem important discursus, & materialitatis. 2. Quia si actus secundus non dicens imperfectionem, nequit identificari cum actu primo: ergo multò minùs actus dicens imperfectionem: ergo &c. Probatur antecedens Ideò est verum de actu perfecto, quia potentia ad illum est limitata, & imperfecta: at potentia est magis imperfecta, & limitata, dum respicit exercitium imperfectum: ergo si actus &c. 3. Quia data identitate materiæ cum exercitio uniendi, hoc non diceret imperfectionem, sed summam perfectionem, & infinitam actualitatem. Probatur, tum quia materia tunc non haberet illud à Deo, sed à se, & per identitatem, quod est infinita perfectio. Tum, quia licèt existentia materialis ex se sit imperfecta; si tamen identificaretur cum essentia materiali, foret infinitè perfecta ut docent Thomistæ: ergo data identitate &c.

8. Contraria sententia affirmat identitatem unionis cum materia, & forma. Ita multi Thomistæ, ut Parra, Moneda, Froylan, sequétes Cajetanum 3. p. q. 2. art. 7. & 10. Ex DD. Societatis Conimbricenses, Valentia, & alij. Accedunt Nominales, & ex Scotistis Merinero: ex nostris autem Gregorius Arimin. Lusitanus, & alij citati à N. Villanova hìc; quibus adjunge N. Gavardi tom. 2. Philosophiæ lib. 1. q. 3. art. 5. Quæ sententia stando authoritati Arist. & D. Thomæ est longè probabilior.

Probatur 1. ex Arist. 2. de Anima text. 7. & 8. Metaphysicæ text. 15. ubi dans causam cur materia, & forma uniuntur in composito, dicit esse, quia sunt potentia, & actus. Nec ullibi insinuat aliam formalem rationem uniendi; imò reprehendit aliam quærentes. Sed unum materia est potentia, & forma actus, non indigent medio ullo superadito, sed tales sunt per solas entitates suas: ergo unitum in composito sine entitate, aut modo distincto.

Accedit D. Thomas 3. dist. 2. q. 2. art. 1. ubi ait: *In unione naturæ humanæ ad Divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui non prius natura humana conjungatur, quàm Divinæ: sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod non prius sit in materia, quàm forma substantialis.*

Et 8. Metaph. lect. ultima dicit: *Aliqui antiqui errabant, inquirendo quid faciat unum potentiam, & actum, quasi oporteret eas colligari per aliquod medium, sicut ea, quæ sunt diversa secundùm actum.* Et 3. contra Gent. cap. 71. dicit: *Forma unitur materiæ absque omni medio; per se enim competit formæ quòd sit actus corporis, & non per aliquid aliud; unde nec est aliquid aliud faciens unum ex materia & forma, nisi agens.*

agens. Vide S. Doct. 1.2.q.110.art.1. & q.unica de Anima art. 9. ubi ait: *Formam secundùm seipsam uniri materiæ, & non per aliud ligamentum.* Quæ sententia adeò expressa est in Div. Thoma, ut mirum sit Thomistas primi subsellij, p isse in cõtrariam inclinari nullo sui Magistri testimonio fulti, sed rationum dumtaxat presi pondere.

Eandem sententiam docet N.B. Ægidius ubique, sed præcipuè in 3. Sent. dist. 2. p. 2. q. 2. art. 3. cens: *Inter materiam & formam nullum potest cadere medium: & talis unio secundùm Philosophum non habet causam, sed motorem*, hoc est actionem agentis applicantis formam materiæ. Et q. 7. de Co n t. Angel. assignat pro ratione, quòd materia ex se est potentia, forma autem est actus, unde dicit: *Hoc enim ipso, quòd hoc est potentia, & hoc actus, ex illis fit unum: unde non oportet ibi dare nec clavum, nec collam, nec ligamentum aliquod ad conjungendam potentiam actui.*

9. Communis solutio est, D. Thomam, & P ilosop um negare inter materiam, & formam, medium *ut quod*; hoc est medium, quod sit res, & entitas; non autem medium *ut quo*, ideſt medium quod sit modus. Hoc sibi suader Palanco, quia id n gant quod antiqui Philosophi putabant necessarium. At antiqui putab nt materiam, & formam colligari per aliquod medium, sicut ea, quæ s nt diversa secundùm actum, putà duos apides, aut duas tabulas, quæ bitumine, calce, aut clavo indigent, ut colligen-

tur: ergo solùm tale medium removet D. Thomas cum Philosopho à materia & forma.

Sed quidquid sit de vera sentcntia, hæc solu io vo untaria est; nam loco laudato 8. Metaphysicæ, post tex. 15. Philosophus sibi objicit sententiã orum, qu d cebant unionem materiæ cum forma esse ipsum vivere: & eorum, qui asserebant esse participationem, qua ma eria partici a formã, & aliorum dicentium talem unionem esse coexistentiam an mæ ad materiã; quæ omnia non sunt res, nec medium *quod*, sed modus, & medium *quo*. Et tamen has sententias ibi impugnat, quia aliàs *Sanum esse, erit aut coexistentia, aut colligatio, aut conjunctio animæ, & sanitatis.* Qu bus verbis D. Thomas ibi reponit sic; *Est manifestè falsum.* Ergo de mente Philosophi, & D. Thomæ manifestè falsum est, quòd unio materiæ & form e sit modus, & medi ũ *quo* realiter distinctum ab extremis.

10. Probatur 2. à ratione. Per hoc præc sè quòd materia ec piat formam, & forma informet materia; mat ria & forma sunt uniræ: sed sine modo distincto, per solas entitates suas materia recipit formam, & hęc informat materiam: rgo per suas ntitates unitur i..m.d.atè sine aliquo medio *quo*, aut mod distincto. Maj r pa é, quia positis recep ione, & informatione, resulta compositum; compositio autem est distinctorum unio; quare dato composito, extremà sunt formaliter unita. Minor probatur. 1. Quia ad recipiendũ, & informandum, nil aliud requiritur,

nisi quòd materia sit potentia receptiva formæ,& forma actus informativus materiæ,& quòd una alteri applicetur: sed materia per suam entitatem sine modo distincto, est potentia receptiva formæ; forma similiter est actus informativus materiæ: Ergo addita solùm actione extrinseci agentis,quæ unio non est, sed unitio, per solas entitates suas materia recipit,& forma informat. Ob id,teste N. B.Ægidio ubi suprà, unio utriusque juxta Philosophum, non habet causam (intellige formalem) sed motorem; intellige actionem agentis extrinseci unum alteri applicantis.

2.probatur eadem minor. Actualis receptio materiæ,& actualis informatio formæ,sunt causalitates materiæ,& formæ, quæ plenè identificantur cum entitate utriusque: ergo per suas entitates sine medio distincto materia recipit formam,& hæc informat materiam. Patet consequentia. Quia si hoc facerét medio modo distincto; daretur hic modus medians inter entitatem formæ & causalitatem formæ (dic idem de materia.) At implicat quòd forma idétificetur cum sua causalitate,& admittat medium realiter distinctum; nam implicat inter extrema identificata ponere medium distinctum ab extremis identificatis: ergo si actualis receptio &c. Explicatur. Implicat inter extrema contigua ponere medium distinctum,quia medium tale tolleret contiguitatem: ergo potiùs implicat inter identificata ponere medium distinctum. Patet cõsequentia. Quia identificata sunt unũ entitativè; contigua sunt unum localiter ratione indistantiæ: major est unitas entitativa, quàm localis.

Antecedens præcipuum probatur.Effectus formalis formæ identificatur cum forma; quia, ut communiter dicitur, formæ effectus non distinguitur ab ipsa forma communicata subjecto: ergo informatio actualis, quæ est causalitas formæ, non distinguitur ab ipsa forma.Patet consequétia.Quia magis distat à causa effectus ejus,quàm causalitas: ergo si effectus formalis formæ identificatur cum forma,potiori titulo informatio.

11. Confirmatur 1. Aliter uniuntur partes quantitatis,quàm materia,& forma; cùm hæc comparentur ut actus,& potentia; secus partes quantitatis, quæ sunt æqualiter duo actus: at partes quantitatis, ideò uniuntur medio ab illis distincto:ergo materia & forma uniuntur sine tali medio.

Confirmatur 2.Quia natura humana plenè proportionatur cum sua prima passione, v.g. cum risibilitate; & anima proportionatur plenè cum intellectu,qui est ejus prima potétia; ideò natura humana sine medio distincto unitur cum risibilitate,& anima cum intellectu: at magis proportionatur materia cum forma,quæ nedum est ejus actus primus,sed de eodem genere substantiæ cum materia, quod non habent prima passio quæ est accidens,nec intellectus, qui est qualitas, cum natura,& anima, quæ substantiæ sunt: ergo sine medio distincto uniri debent materia, & forma

ma potiori titulo quàm &c.

Confirmatur 3. Natura humana in Christo D. unitur Personæ Verbi sine unione distincta: ergo & materia formę. Patet consequentia. Quia magis proportionantur materia,& forma,quæ sunt in eodem genere substãtiæ naturalis,quàm natura creata, & Persona Divina, quæ distant infinitè, nec possunt esse in eodem genere. Antecedens expressè docetur à D. Thoma verbis laudatis in 1. authoritate num. 8. & probatur 1. Quia Verbum Divinum supplet perfectè vices subsistentiæ propriæ: sed humanitas sine medio distincto unitur proprię subsistentiæ: ergo & Personalitas Verbi. 2. Quia si mediaret unio, hæc esset creata,cùm esset modus, & nullus sit modus Divinus. Rursus modus ille afficeret extrema unita; unde modificaret Verbum Divinum: at nihil creatum potest afficere Verbum Divinum, alioquin inmutaretur eo, quod repugnat immutabilitati Dei: ergo &c. Vidè apud Theologos locis datis repugnantiam unionis distinctæ in Christo Domino.

12. Tertio probatur eadem sententia. Inter materiam,& formam hominis non mediat unio distincta: ergo nec in alijs compositis. Antecedens probatur. Si unio in homine esset distincta,illa vel esset duplex, vel unica: at totum repugnat: ergo &c. Minor probatur. Et quidem quòd nõ sit duplex patet. Posita unica unione, sive ex parte materiæ, sive ex parte formæ,superfluit alia unio: ergo non est duplex. Antecedens probatur. Implicat quòd materia per unionem sit unita formæ,& quod forma non sit unita materiæ. Quid enim est unio? Nil aliud,nisi *nexus duorum*. Implicat unum alteri necti,& alterum non esse nexum. Sicut enim similitudo est mutua,& ob id implicat hoc esse simile alteri,quin alterũ sit simile huic. Idé in æqualitate duorum dicendum, & in omni mutua duorum denominatione; sic unio duorum est mutua; quare implicat hoc esse unitum alteri,quin &c.

Iam verò quòd unio non sit unica probatur. 1. Quia hæc vel esset spiritualis,& sic non posset afficere materiam; vel esset corporea, & tunc nõ posset afficere animam spiritualem. 2. Vnio est causalitas materiæ, & formæ: at materia,& forma non habent unicam causalitatem,sed duas, nempe receptionem pro materia,& informationem pro forma: ergo unio non est unica,sed duplex. Omittimus alia, quæ ad hæc reducuntur & videre poteris Froylanũ latè, & ingeniosè propugnantem sententiam istam.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

13. NOstra sententia docet unionem non esse entitatem, aut modum distinctum à materia, & forma; esse tamen quidditatem realiter distinctam ab extremis. Ita N. Villanova 1. Physic. disp. 6. dub. 2. & satis consequenter ad doctrinam B. Ægidij datam in Logica lib. 6. q. 9. ubi

ubi actum est de actione relationis à fundamento, nam vel unio est relatio materiæ ad formam, fundata in actuali receptione, & informatione, ut aliqui contendunt: vel si non est relatio sed potiùs fundamentum, unde resultat relatio uniti, ut volunt alij, est tamen similis relationi in eo, quòd sicut relatio est quidditas, & forma duorum quæ constituuntur relativa, & relata; sic unio est quidditas, & forma duorum, quæ constituuntur unita. Hinc nostra sententia duas continet assertiones, sigillatim probandas contrà DD. utriusque sententiæ suprà positæ.

Ante probationem notandum, quòd M. P. Augustinus pluries egit de unione materiæ, & formæ, sed præcipuè de difficili ma animæ rationalis cum corpore, eò quia dicit esse incomprehensibi em. Sic li .21. de Civ. Dei cap. 10. Postquam dicit dæmones alligatos ign ' nfernorum, ab eo torqueri, ni nemque spir t u cu corporeo igneo miram, factam ab omnipotent ad eorum torturam, n c men per illam ignis animatur, sicut corpus per animam nostram: de unione nostra dicit sic: *Alius modus, quo corporibus adhærent spir us, & animalia fiunt omninò mirus est, nec comprehe di ab h mine potest, & hoc ipse homo est.* Et lib. 22. de Civ. Dei cap. 24. dicit: *Ipse Deus incorpoream, corporeamq e n turam, illam præposi a, istam subjectam, miris modis copulans, & connectens, animantem facit. Quod opus eju tam magn m, & mirabile est, ut on solùm i homin , qui st a mal*

rationale, & ex hoc ceteris pr æstantius, sed in qualibet minutissima muscula bene consideranti stuporem mentis ingerat, laudemque Creatoris.

Nihilominus eodem lib. cap. 4. agens contra Ethnicos, negantes corpora nostra post resurrectionem posse supra terram in cœlo collocari; id ostend x unione n mæ nostræ ad corpus, quæ remotior est à sensibus, quàm unio localis nostri corporis cũ corpore cœlesti. Ibi dicit unionem animę nostræ esse cor oream, loquens vice dubitanti, & neg ntis animæ union m ad c rpus, sic: *Nonne multò fortiùs arg mentaremur, id cr de , recusantes, & diceremus naturam non pati, ut res incorporea ligamento corporeo vinciretur?* En unio animæ nostræ ad corpus est ligamentum corporeum sic mirab le, ut fortiùs negaretur possi il, quàm collocatio nostri corporis super astra.

14. Ex hoc probatur utraque pars nostræ sententiæ. Et quidem contra 1. sententiam probatur, quòd non sit modus distinctus. Nam talis unio est corporea juxta S. P. sed modus corporeus nequit afficere animã spiritualem: ergo talis unio non est mo us distinctus. Minor probatur. Modus perficit subjectum, quod modificat: modus autem c rpore s nequit perficere animam spiritualem, sed imperficere. Rursus modus dat esse subjecto mod ficat ; l oqu n non modificaret, si nullum præstaret esse: sed modus corporeus solùm dat esse corporeum; & hujus esse incapax est anima spiritualis: ergo modus corporeus

reus nequit afficere animam ſpirituali-lem. Hæc dicta ad ſuadendum unionem non eſſe modum diſtinctũ, probant clariùs non eſſe entitatem diſtinctam.

Iam verò quòd unio non ſit plenè identificata cum extremis, ſed differat quidditativè ab eis probatur de mente S. Parentis. Nam unio in homine eſt corporea: ſed nil corporeũ poteſt idẽtificari cum anima ſpirituali, ut patet; poteſt enim corpus uniri animę, at non poteſt cum ſpiritu idẽtificari: ergo unio corporea nequit eſſe indiſtinct. ab anima, ſed debet eſſe diſtincta. At non entitativè, aut modaliter, ut contra 1. ſent. probatum eſt: ergo unio eſt diſtincta quidditativè ab extremis. Patet conſequentia à ſufficienti partium enumeratione, nam diſtinctio realis debet eſſe entitativa, aut modalis, aut quidditativa, ut ex dictis in Logica facilè comprobatur.

Reſtat oſtendere, cur in homine quidditas unionis dicitur corporea? Rurſus, cur ſpiritualitati animæ repugnat modus corporeus, ſecùs quidditas corporea? Ad primum dicimus, quòd ſicut quidditas relationis non habet eſſe niſi eſſe fundamẽti, ut loco citato Logicæ dictũ eſt; ita quidditas unionis ſolum habet eſſe extremorũ unitorũ, a t eſſe compoſiti: cùmque totus homo dicatur corporeus denominatione ſumpta à parte debiliori, nẽpe à corpore; ſic unio dicitur corporea, quoniam eſſe ejus eſt eſſe compoſit; & ho corporeum eſt. Hinc ad ſecundum dicimus, quòd modus dat eſſe ubjecto modificato; unde repugnat modus corporeus ſpiritualitati animæ. Quidditas non dat eſſe, imò illud recipit ab entitate, cujus eſt quidditas: quare cùm no repugnet compoſitum conſtans ex corpore, & anima, cujus entitas dicitur abſolutè corporea; quidditas unionis, inde dicta corporea, non repugnat ſpiritualitati animæ.

15. Probatur eadem ſententia ex D. Thoma 3. p. q. 2. art. 7. ubi quærit, utrum unio naturæ Divinæ, & humanæ ſit quid creatum? Reſpondet affirmativè ſic: *Dicendum quòd unio de ratione habet, eſt relatio quædam, quæ conſideratur inter Divinam naturam, & humanam, ſecundùm quod conveniunt in una Perſona Filij Dei.* Inde infert, quòd hæc relatio eſt realiter in creatura, i. Deo ut m ſolùm per rationem, ſicu relatio qua Deus dicitur, & eſt realiter Dominus. Cùmque eſſe creaturę ſit creatum, eſſe relationis talis, & illa unio creata eſt. Ergo unio materiæ, & formæ erit etiã relatio mutua utriuſque. Sed ex lib. 6. Logicæ q. 9. conſtat quòd relatio nõ eſt entitas, aut modus diſtinctus à fũdamento, ſed quidditas ab eo realiter diſtincta: ergo idem de unione materiæ, & formæ dicendum eſt. Hæc doctrina eſt etiam B. Ægidij in 3. diſt. 5. p. 1. q. 1. art. 1.

Obſervandum tamen cum Cajetano in Commentario dicti articuli, quòd unio hypoſtatica eſt relatio ſequuta ad unitatem utriuſque naturæ Divinæ, & humanę in eodem ſuppoſito: cùmque hæc unitas ſit unitas ſuppo-

suppositi Divini; hæc unitas non est creata, sed Creator. Relatio autem sequuta creata est. Sic dicendum de unione materiæ, quæ relatio est sequuta ad unitatem compositi: formaliter causatam per receptionem materiæ, & informationem formæ. Quare si unio sumitur pro fundamento, sic est indistincta à materia, & forma, sicut ab eis indistinctę sunt receptio, & informatio. Si tamen sumitur pro relatione, quam importat unio formaliter, sic est quidditas distincta realiter ab extremis.

Probatur ex N. B. Ægidio locis datis à Villanova hìc: & à nobis in Logica lib. 6. q. 1. & 9. ubi de relatione, & unione dictum est, earum essentiam consistere in actuali exercitio referendi, & uniendi. Inde probatum est relationem esse quidditatem distinctam à fundamento: ergo eisdem principijs hìc tenendũ est, unionem quidditativè distingui ab extremis unitis. De hoc infrà à ratione.

16. A ratione probatur 1. quòd unio non est entitas, aut modus distinctus ab extremis. Actualis receptio materiæ, & informatio actualis formæ, non sunt entitas, aut modus, distinctus à materia, & forma: ergo nec unio utriusque distincta est entitativè, aut modaliter. Patet consequẽtia. Quia vel unio est ipsa receptio, & informatio; vel si differunt, priùs intelligitur unio formæ ad materiam, quàm informatio, quia priùs est formam uniri materiæ, quàm ei dare esse per informationem: quare si distinguuntur, plus distat à materia informatio, quàm unio: ergo si informatio est entitativè, & modaliter indistincta; potiori titulo unio formæ cum materia. Præterquam quòd sicut materia est in potentia ad unionem cum forma, sic est in potentia ad receptionem formæ: ergo si actualis receptio non est entitas, aut modus distinctus à materia, sic nec actualis unio.

Antecedens principale probatur. Causa prima in aliquo genere, identificat secum suam virtutem, & suum actum secundum: sed materia est causa prima materialis receptiva, cùm sit *Primum subjectum receptivum formæ substantialis*; & actus hujus virtutis est actualis receptio: ergo &c. Major patet tum exemplo Dei, qui est prima causa efficiens, & ob id identificat secum virtutem effectivam, & actualem actionem. Tum etiam à ratione patet: Nam causa prima in quocumque genere habet ratione sui omnem perfectionem, vel imperfectionem illius generis; alioquin si haberet per aliud, vel ab alio, non esset causa prima, sed secunda. Quod dictum est de materia in genere causæ materialis, applica formæ in genere causæ formalis, in quo est causa prima, cùm sit actus primus informativus; cujus actus secundus est actualis informatio.

A ratione probatur secundò, quòd unio est quidditas, realiter distincta ab extremis. Quidditas unionis est realiter separabilis à materia, & forma: sed quæ realiter separantur, realiter distinguũtur: ergo unio quidditativè separabilis realiter, est realiter

ter quidditativè distincta ab extremis. Major probatur. Quidditas unionis consistit in actuali exercitio uniendi; sicut quidditas relationis consistit in actuali exercitio referendi; sed actuale exercitium uniendi est separabile à materia, & forma, ut patet in morte hominis; nec negatur à DD. secundæ sententię docentibus quòd tunc desinit unio qu ad exercit um, licèt non quoad entitat m; nec possunt alter dicere cù in morte exerceatur separatio, non unio: ergo quidditas unionis est realiter separabilis à materia, & forma.

Observa, quòd non contendimus, quòd hæc quidditas consistat separata, sicut existit anima separata à corpore; nam hoc est impossibile. Sed sicut in morte equi, separatur anima à corpore, & tale est anima; sic in morte hominis talen rit quidditas unionis, & sic dicimus separari.

17. Contra hanc sententiam nostram sunt plure difficultates, quæ militant etiam contra distinctionem quidditativam relationis à fundamẽto. Prima, quomodo unio est quidditas, & non entitas, aut modus? Secũda, quomodo potest esse defectibilis quidditas, quin deficiat modus, aut entitas? Tertia, quomodo stat distinctio quidditativa realis, quę non sit entitativa, aut modalis? Quarta, si hæc quidditas non habet entitatem propriam, nisi appropriatam ex entitate extremorum, quomodo unica entitas extremorum habet duplicem quidditatem? Item quomodo hæc quidditas est separabilis à sua entitate? Sed

hæc omnia fusè explicata sunt lib. 6. Logicę q. 9. agendo de relatione, nec oportet ea iterùm hìc repetere: videantur ibi.

Hic tamen oportet solvere duas instantias contra nostras rationes probativas. Prima est hæc. Creatura est primum deficiens: & tamen non identificat secum exercitium deficiendi; alioquin semper in actu secundo esset peccans, quod est falsum: ergo falsum est illud principium, nempe primum in quocumque genere, identificat secum exercitium talis generis. Secunda est hæc. Si exemplum Dei causæ primæ efficientis tenet, sequitur quòd uni non erit quidditas distincta à materia, & forma. Patet hoc, quia ex vi quòd Deus sit prima causa efficiens, ejus actio effectiva non est quidditas à Deo distincta, sed indistincta: ergo idem de unione relatè ad materiam, & formam. At hoc est contra secundam partem nostræ sententiæ: ergo ratio probativa nostra destruit secundam partem nostræ sententiæ, nec solida est ad probandam primam.

Accedit: quòd solùm potest in aliquo genere habere à se, & per identitatem, perfectio illius generis, quod habet entitatem, & esse à se in illo genere: at materia (& idem de forma) in nullo genere est ens à se, sed ab alio habet esse, & entitatem: ergo quamcumque in genere causæ materialis sit prima causa, nequit habere à se, & per identitatem exercitium, & causalitatem materialem. Minoris cum consequentia tenet, & major

est

est certa, nam quod in omni genere est ens ab alio, nequit habere in ullo genere a quid à se.

18. Pro solutione primæ instantiæ, observa; quòd exercitiũ efficiendi est peccatum; & peccatũ duo dicit, nempe actionem peccaminosam pro materiali, & formalem transgressionem legis, quæ est formalis malitia. Patet in furto, ubi duo sunt, scilicet actio ablativa rei alienæ, & transgressio præcepti *Non furaberis*. Actio illa est quid physicum, & bona physicè; transgressio est mala moraliter, & in ea stat formalis malitia. Cùmque teste P. August. contra Manichæos, *Nullum sit malum, nisi in aliqua re bona*; nullum est peccatum, nisi in aliqua actione physica physicè bona. Hæc actio physica non est exercitium deficiendi, sed efficiendi, quare sit nedum à creatura, sed etiam à Deo prima causa efficiente omnis entis. Malitia autem, & formalis transgressio est exercitium deficiendi, & est à sola creatura deficiente, cùm non possit esse à Deo indefectibili.

Hinc vides, quòd exercitium efficiendi fundatur in exercitio efficiẽdi: creatura non semper efficit in actu secundo, nec identificat suum exercitium efficiendi, cùm non sit prima causa efficiens, sed secunda; ergo licèt sit primum deficiẽs, non semper actu deficit, nec identificat suum exercitium deficiendi, quia hoc non stat sine exercitio efficiẽdi: & hoc nõ potest cum creatura identificari. Exercitium autem recipiendi (idem dico de informatione) non fundatur in aliquo distincto à materia, sed supra rationem puræ potentiæ receptivæ, quæ cum materia identificatur. Quare tenet illud principium causæ primæ; ne instant a illud evertit, ut patet ex disparitate.

Immò retorquetur instantia. Nã licèt creatura sit primũ deficiens non identificat secum potentiã proximam deficiendi: ergo licèt materia sit prima causa receptiva, non identificabit suam potentiam proximam recipiendi. Hæc consequentia est falsa apud omnes. Et disparitas est sola, quòd potentia proxima peccandi dicit voluntatem non fixatam in bono; creatura autem non identificat secum potentias animæ juxta Thomistas; quare nec potentiam peccandi, quæ residet in animæ potentijs. Potẽtia autem receptiva materiæ, fundatur in sola, & nuda entitate materiæ, quæ cum materia identificatur; quare idẽtificatur etiam potentia ipsa receptiva.

Addę quòd ratio nostra procedit de causis rigorosis, ut sunt efficiẽs, finalis, materialis, & formalis. Instãtia objecta est de causa rigorosa, nec propria; nam ut ait P. August. *Nemo quærat causam malæ voluntatis* (hoc est peccati) *non enim habet causam efficientem, sed deficientem*. Præterea peccatum, & exercitium deficiendi, pro formali est nihil, ut ex P. Augustino sæpè dictum est. Vnde non potest idẽtificari cum creatura deficiente, quæ ens est. At cùm materia potest identificari exercitium recipiẽdi, cùm utrũq; sit ens in genere causæ materialis.

Ad

19. Ad ſecundam inſtantiam dic, quòd ſi Deus non eſſet actus purißimus plenè identificans omnia, cujus eſt capax, non haberet titulo cauſæ primæ identificare ſuam actionem niſi entitativè, & modaliter, ut dictũ eſt. Identificat ſecum illam etiã quidditativè, at non titulo cauſæ primæ efficientis, ſed titulo actus purißimi. Quod cùm de materia potentiali, & de forma imperfecta non poſsit verificari; ideò de illis ſolùm probatur identitas modalis, & entitativa, ſecùs quidditativa.

Dic etiam, quòd diſtinctio quidditativa exercitij ſolùm probatur à nobis ex defectibilitate ejus. Jam verò quidditas actus, & exercitij neceſſarij, eſt in Deo indefectibilis, quare cum Deo adhuc quidditativè identificatur. Actus autem liber Dei, & omnis actio ejus ad extrà, eſt defectibilis, non quidem ſubjectivè, ſed terminativè, quia terminus ejus, nempe creatura, poteſt deficere, & per defectum creaturæ, ſine defectu Dei, deficit actio Dei, hoc modo deficit etiã quidditas illius actionis; & modo quo deficit, eſt diſtincta à Deo realiter quidditativè, cùm nil quidditativè defectibile poſsit identificari cũ Deo indefectibili. Sed de hoc Theologi, agentes de actu libero Dei.

Ad ultimum dic, quòd ly *à ſe* dupliciter ſumitur, primò, & pro eo quod non eſt ſimpliciter ab alio; & hoc modo ſolus Deus eſt ens à ſe, & nil eſt in materia, aut forma, aut ente creato, quod non ſit ſimpliciter ab alio. Secundò ſumitur, & improprièpro eo quod non eſt per aliud: & hoc modo materia à ſe habet quòd ſit entia receptiva, quia per ſuam entitatem, & non per aliud diſtinctũ a entitate ſua, habet eſſe potentiam. Hoc ſenſu à ſe habet materia actualem receptionem, quia non per aliud diſtinctum ab entitate, ſed per ſuam entitatem actu recipit formam. Replica impugnat primam aceptionem termini *à ſe*, non ſecundam; ſed ratio noſtra procedit in ſecunda acceptione, non in prima: quare nil contra nos.

§. III.

Expenduntur fundamentalium ſententiarum.

20. FVNDAMENTA primæ ſententiæ, ſi ſolùm probarent diſtinctionem quidditativam, nobis faverent; at quoniam contendunt diſtinctionem modalé, expendenda ſunt. Ad primum poſitum num. 1. concedo plenè authoritatem D. Thomæ, imò in ea fundatus quæſt. 16. ... 34. dixi unicam formam nõ poſſe eſſe in duplici materia, quia forma eſt in materia, ſicut corpus in loco, & nullum corpus poteſt eſſe in duplici loco adæquato. Sed nego minorem ſubſumptam, vel ſuppoſitum ejus, ubi dicitur quòd ubicatio, qua corpus eſt in loco, modus eſt. Hoc eſt falſum in noſtris principijs, quia ut diximus lib. 4. ubicatio eſt quidditas diſtincta à re ubicata; ſed non modus, nec differt modaliter. Quare ſi ubicatio diſtin-

ĉta, requisita corpori, ut sit in loco solùm differt quidditativè: ergo & unio requisita, ut forma sit in materia, solùm differt quidditativè. Quare authoritas, & ratio D. Thomæ pro nobis est.

Ne ergo interim careas principijs nostris, quibus negamus ubicatiõ esse modum, & dicimus esse quidditatem. En summa doctrinæ nostræ. Nõ est modus; quia nullus modus ponitur directè in prædicamento, sed indirectè, ut patet in existentia, subsistentia, unione &c. quæ indirectè ponuntur in prædicamento substãtiæ. Ergo multò minùs poterit modus cõstituere prædicamentum. Vbicatio est prædicamentum Vbi: ergo modus nõ est distinctus à re ubicata; sed vel entitas, & hoc non concedunt de unione; vel quidditas, & hæc est sententia nostra.

Rursus. Cùm prædicamenta decem distribuantur sic à B. Ægidio, ut tria prima dicant rem; quartum puram ordinem; sex ultima rem sub ordine: *Vbi* dicit rem sub ordine, quare diffinitur commensuratio corporis locati ad locum, vel *Ordo corporis locati ad locum*. Hoc complexum est *Vbi* sed quid addit hoc supra corpus locatum? Nil certè nisi solùm ordinem: At ordo est quidditas solùm distincta à fundamento, non autem res; aut modus, ut in Logica dictum est lib. 6. q. 9. ergo *Vbi* est solùm quidditas distincta à re ubicata, non autem modus, aut res.

Ad 1. confirm. neg. causalem majoris; non ideò corpus in loco indiget ubicatione, quia per illam tollitur indifferentia corporis ad hunc, vel illum locum. Ratio est clara. Quia *Vbi* apud omnes resultat ex adjacentia corporis ad locum; sicut relatio ex positione fundamenti, & termini: ergo ante *Vbi*, jam corpus adjacet loco: ergo ante *Vbi* jam est ablata indifferentia corporis, & determinata, ut sit in hoc loco: ergo *Vbi* non requiritur ad tollendam hanc indifferentiã. Hæc enim tollitur activè per motum localem, formaliter autem per locationem passivam corporis. Ergo paritate facta ad unionem dicendum, quòd indifferentia animæ ad hoc, vel illud corpus tollitur activè per motum generantis, passivè autem per actualem informationem, & receptionem. Et sicut ex adjacentia corporis ad locũ, resultat *Vbi*, quod est ordo, & quidditas distincta: sic ex receptione, & informatione resultat unio, quæ relatio est, & quidditas distincta ab extremis, ut dictum est.

Ad 2. confirm. dic 1. quòd forma nunquã est sic indifferẽs ad hanc, vel illam materiam. Nam forma materialis, dum generatur, jam invenit materiam dispositam à generante. Anima autem rationalis non creatur à Deo, nisi priùs sit materia organizata, & disposita. Quare cùm pro una forma, nunquã disponantur duæ materiæ, sed unica, nunquam forma est in statu indifferentiæ ad hanc, vel illam materiam. Benè tamen materia, quæ est subjectum commune formarum, & ob id indifferens ad hanc, vel illam formam. De materia tenet ratio con-

confirmationis, quam concedo sic indifferentem: sed nego tolli istam indifferentiam per modum unionis, nec per quidditatem nexus; sed antecedenter ablata est per qualitates formaliter, & per actionem agentis effectivè, ad hanc formam pro alia determinantes materiam.

21. Ad secundum fundamentum positum num. 2. dicimus esse pro nobis, quia probat distinctionem exercitij recipiendi à materia prima, & exercitij informandi à forma. Cæterùm talia exercitia realiter defectibilia, & obiectaliter distincta, sunt quidditates distinctæ, non autem entitates, aut modi. Quare fundamentũ hoc potiùs probat nostram sententiã quàm aliorum. Exempla adducta in probationem majoris tenent, quatenus probant distinctionem exercitij ab entitate, cujus essentia consistit in aptitudine. Hoc est verum. At quia subsistentia est modus substantiæ, & forsan etiam inhærentia accidentis modus est; si inde velis probare exercitium unionis esse modum, negandũ est à nobis. Hic enim ostensum est quòd unio est quidditas, infrà quæst. ultima patebit cur subsistentia est modus, & an inhærentia modus sit.

22. Ad tertium fundamentũ positum n. 3. non approbamus solutionem ibi datam ad mentẽ DD. secundæ sententiæ. Fatemur cum eis in parte hominis non deficere unionem quoad entitatem; dicimus etiam deficere quoad denominationem, & exercitium; cæterùm inde inferimus deficere quoad quidditatem, quia quidditas unionis consistit in tali consistit exercitio.

Ex replicis positis num. 4. contra solutionem ibi datam, ferè nulla est contra nos. Ad 1. dicimus, quòd in mor hominis, licèt no deficiat unio quoad entitatem, deficit quoad quidditatem; quare deficit terminus actionis conservativæ compositi, qui est materia & forma in exercitio unitæ; & sic est verum, quòd actio Dei subjectivè indefectibilis, deficit terminativè. Quod dicunt in hoc puncto contrarij de modo distincto defectibili, dicimus nos de quidditate defectibili, & entita.

Ad 2. dicimus quòd deficiente exercitio unionis, deficit quidditas, sed non entitas unionis, quia entitas ejus est entitas extremorum, & extrema manent cum sua entitate. Dum insurgis, quòd nulla entitas manet sine sua essentia, hoc est verum de essentia primaria, & absoluta, non de secundaria, & respectiva. Entitas materiæ, & formæ duas essentias habent. unam primariam, & hæc est absoluta consistens in posse recipere, & posse informare. Sine hac essentia non potest manere entitas materiæ & formę. Aliam habet essentiam respectivá, & secundariam; & hæc consistit in exercitio uniendi, quod est defectibile, connotativum, & respectivum. Sine hac essentia potest manere entitas, quia ab ea differt realiter quidditative. Vide hoc latiùs in Logica circa relationem.

Ad 3. dic. Quòd denominatio uniendi est primaria in unione, sumpta

pta u ione quoad exerc ti m,&quid-ditatem, ſed non ſumpta quoad entitatem; quia cùm unio non habeat entitatem propriam , ſed appropriatam, nempe entitatem materiæ & formæ , in hac entitate denominatjo primaria eſt potentia ad unionem, non autem exercitium uniendi : hoc enim relatè d ent tatem un o s e lentia ſecundaria, & ſecundaria denomina io. Probat replic , quòd in morte hominis on manet unio quoad exer. citium, nec quoad quidditatem , & hoc tenemus : ſed nil pr bat contra unionem r an ntem quoad entita é.

23. Ad al am probationé po ſitam num. 5. ex generation ho - is, non concordant A . i ſignãdo termino actionis generativę. Omittimus aliorum aſſerta referre , & impugnare, ſa is tibi ſit doctrinam Ægidianam erci r in re difficili. Dicimus quòd terminus generationis humanæ eſt compoſitũ ipſum *homo*: quare generans producit hominem genitum. Quæris q omodo, ſi n c materiam, nec formam producit? Reſpondeo, quòd compoſitum *homo* non eſt ſol materia, nec ſola forma, nec item m teria, & forma ſecundùm e : ſed eſt corpus,& an ma ut actual ter unita,& n exercitio (nota reduplicationem ,) qu a ſolùm ut ſic unita ſunt *homo*.

Quær s iterùm , qui a dit de n vo cor us &an in ita, ſu ra c r pus,& animam ſecundùm e? Re pondeo quòd addit quidditatem unionis diſtinctam , nam addit actual exercit um un endi, quo eſt qui itas diſtincta à materi & forma. Quòd contrarij utentes hoc argumento ſalvant per modum diſtinctum, nos per quidditatem diverſam. Vnde terminus *qui* gen ratur, eſt homo: terminus *quo* eſt quidditas unionis ; nam quidditas illa eſt id ratione cujus totus homo dicitur genitus, & productus à generãte. c B. Æg dus n 2. ent. d 1. queſt. 2. art. 3. ad 2. & diſt. 19. q. 1. art 3. ad 1.

24. Ad . fu dam ntũ, poſitum num. 6. reſpondemus. Et ad 1. poteſt negari antecedens , quia proprietates eſſentiæ reatæ ſu nt ac idẽtia ; nec tamen uniuntur er inhęrẽam, quæ ſit modus ab extremis diſtinctus, ut patet x dictis num. 11. Cetetùm admiſſo ant ced nti, nego conſequentiam. Quia ſubjectum accide tium nõ eſt cauſa prim ma eria-lis , ſed ſecund ; nec accid nt ſunt prima cauſ formalis , ſed ſ c nda : materia autem, & forma, ſunt primæ cauſę in uo genere, quare petunt idẽific è ua exe citi , u dictum eſt n. 16. Hinc ad 2. dic partes cõtinui eſ æquè actuales, ec e haber t - ctus, & po entia, quare pe un ni - nem entitativè diſtinctã, qualia ſunt puncta continuativa , quæ entitativè differunt à partib unit s. Vn o mate iæ, & formæ eſt inter actum ,& potentiam , quæ ſe ipſis uniuntur cùm ſola additione quidditatis, & ex rci-t j iendi.

Ad 3. dic cauſas creatas , ſi in ſuo g nere ſint primæ , identificare ſuas cauſalitates , ut à nobis probatũ eſt. Ad 4. dic formam comparari ma-

te-

teriæ, cui plenè proportionatur, sicut objectum proportionatū intellectui: at objectum per se ipsum sine specie distincta unitur intellectui cui plenè proportionatur, ut patet in Angelo cognoscente se ipsum, & in Deo cognito à Beatis: ergo exemplū objectum pro nostra sententia est. Sæpè unitur objectū media specie distincta: sed tunc quia vel materiale est, & sic improportionatum, vel distans, & impotens illabi, & sic species distincta est vicaria objecti, gerens illius vices. Forma non sic: quia & proportionatur plenè materiæ, & est potens illabi per informationem: nec unquam auditum est formam medio aliquo vicario, aut vicesgerente dedisse esse materiæ. Vnde exemplum impertinēs est.

Ad 5. dic quòd unio quoad exercitium prædicatur contingēter, & defectibiliter de materia & forma unitis: at inde sequitur tale exercitiū esse separabile, & sic esse quidditatē distinctam. Ad 6. dic indifferentiam materiæ & formæ ad unionem, vel nō unionem, tolli efficienter ab agente, & formaliter à quidditate unionis additā materiæ, & formæ. Ad 7. dic materiam transire de non esse unitā, ad esse unitam, per additionem quidditatis unionis. Ad ultimum dic quòd relatio uniti resultat ex actuali informatione, & receptione, si istæ differunt à relatione unionis. Si velis non differre, resultat ex positione passiva formæ in materia, causata ab actione agentis. Vide dicta num. 23. de ter-

min- g n rati nis, & juxta doctrinā illam solve hanc replicam.

25. Ad quintum fundamentū positum num. 7. dicimus eodem probari quòd in materia potentia receptiva, & in forma potentia informativa, realiter differunt ab entitate materiæ, & formæ. Nam quia natura creata est finita in linea intelligendi, ideò nedum differt ab intellectione, sed etiam à potentia intellectiva; Deus te utr q e identificat, quia infinitus est: ergo si argum n um ten t ex princ io limitationis creaturæ, dicendum est, quòd no sola actualis informa io, sed & poten ia infor a di differt à forma. Quod patet esse falsum.

Directè respondemus ex doctrina probationis nostræ, quòd exercitiū causandi differt à potent a in cr atu-ris, loquendo de illo genere causæ, in q o cr at a est ca sa secunda; secùs in genere causæ, in quo creatura est causa prima. Vide dicta n. 16. Cùm ergo informatio, recept ,& uni sint ex re tium i genere causæ materi - lis, & formalis, in quo materia, & for ma sunt causæ primæ, debet tale exer citium c eatu identificari cum potē tia. Ne ontra hoc valent exēpla argumenti; nam in gen re intelligendi, volendi, subsistendi, & existendi, Deus est primus, & creatura est secunda; quare no convenit nisi soli Deo per identitatem intellectio, volitio, subsistentia &c. Secùs de informatione, receptione &c. quæ Deo repugnant, & enti creato unicè co ve iunt.

De

De solutione data num. 7, inter arguendum, non curamus, sicut nec de impugnationibus Magistri Palanco, quæ non sunt contra nos; cùm omnia exempla ducat à genere causæ efficientis, & à genere existentis, in quo creatura est secundum. Si autem teneremus solutionem, à Palanco impugnatam, diceremus, quòd informatio & receptio sunt imperfectiones non utcumque, sed ex genere, & in genere dicente imperfectionem, quale est genus causæ materialis, & formalis. Discursus ex conceptu specifico est imperfectio, sed non ex genere, quia sic est actus lineæ intellectivæ, dicentis perfectionem. Sensatio, & existentia materialis ex conceptu differentiali dicunt imperfectionem, sed non ex genere, quia in genere causæ efficientis, dicente perfectionem, sunt actus. Sed de hoc nil ad nos, ut dictum est.

26. Fundamenta secundæ sententiæ, quatenus probant unionem non esse entitatem, aut modum distinctum ab extremis, sunt pro sententia nostra. Si tamen contendant excludere distinctionem quidditativam, expendenda sunt. Vnde ad primum positum num. 8. Dicimus Philosophum, D. Thomam, & B. Ægidium, excludere tam medium *quod*, quàm medium *quo*, distinctum entitativè, vel modaliter à materia & forma: non autem excludunt medium quidditativum. Hoc patet ex verbis D. Thomæ allegatis in prima authoritate, dicentis; *Sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia quàm forma.* En solùm excludit medium *dans esse*: at sola entitas, aut modus dant esse; quidditas, ex se non habens entitatem propriam, nõ habet esse, & sic nequit dare esse: ergo D. Thomas excludit medium, quod sit entitas, aut modus; non autem excludit quidditatem mediã. Accedit quòd entitas materiæ & formæ non possunt uniri sine exercitio uniendi, realiter defectibili, & sic separabili, & distincto ab entitate: at hoc exercitium est quidditas unionis: ergo sine tali quidditate distincta non possunt uniri.

27. Hinc ad secundum fundamentum, positum num. 10. dic nõ esse contra nos, qui dicimus quòd unio ultra entitates materiæ, & formæ, dicit exercitium recipiendi, & informandi defectibilem, & separabilem ab entitatibus materiæ, & formæ. At hoc exercitium, licèt non sit entitas, aut modus distinctus, est tamen quidditas distincta, ut ostensum est: ergo sine quidditate distincta non possunt uniri. Secunda probatio minoris assumit falsum ad probandum, quòd causalitas formæ identificatur cum forma. Hoc probat, quia effectus formalis forme non distinguitur ab ipsa forma. Hæc probatio vera est in alijs scholis, sed non in Ægidiana, quia libro sequenti efficaciter ostendemus, quòd effectus formalis formæ realiter distinguitur à forma communicata subjecto. Adde, quòd inter speciẽ impressam & expressam Dei, quæ est ipsa essentia Diuina unita mentibus Beatorum, mediat visio beata, quæ est intellectio realiter distincta ab utraque specie.

ſpecie. Ergo dato formam, & ejus effectum formalem identificari, poterit mediare informatio, realiter ab utroque diſtincta. Quidquid ſit ſolùm probatur ab arguente non mediare aliquid entitativè, aut modaliter diſtinctum: & hoc concedimus DD. hujus ſententiæ.

Ad 1. confirmationem, concedo aliter uniri partes quantitatis, ac materiam & formam. Alietas ſtat in eo, quòd unio partium quantitatis eſt entitas diſtincta; unio autem materiæ & formę, ſolùm eſt quidditas diſtincta. Ad 2. confirmationem, nego cauſalem; ratio autem cur intellectus unitur animæ ſine unione adhuc quidditativè diſtincta, non eſt, quia proportionatur, ſed quia eſt naturaliter inſeparabilis ab anima. Forma autem licèt proportionata materiæ, unitur ei unione defectibili; & ſic diſtincta, quia ſeparatio eſt ſignum diſtinctionis. Obſerva quòd licèt poſt univerſalem reſurrectionem unio animæ ſit indefectibilis, & æterna, adhuc erit diſtincta: quia intrinſecè manebit defectibilis; & ſolùm erit æterna ex dono Dei, & favore extrinſeco manutenentię, & impaſsibilitatis.

Ad 3. confirm. dic quòd natura humana unitur Perſonæ Verbi in Chriſto D. media unione diſtincta quidditativè, ut num. 15. oſtenſum eſt ex D. Thoma, & B. Ægidio. Quare ex patitate benè adducta, potiùs probatur noſtra ſententia. Dato tamen antecedenti, poſſet negari conſequentia. Nec urget probatio, quia in alio ſenſu magis proportionatur natura humana, & Divina, quæ ſunt ambæ ſpirituales, & intellectivæ, quàm corpus, & anima rationalis. Audi S. P. Auguſtinum Serm. 52. cap. 3. dicentem: *Quærere quidam ſolent, quomodo miſceri potuit homo, & Deus?* (intellige uniri ſine mixtione, quia non commixtionem paſſus eſt neque diviſionem, ut docet, & canit Eccleſia in Officio Divino) *Quærunt rationes hujus myſterij, quod ſemel factum eſt; cùm ipſi non poſsint reddere rationem ejus, quæ ſit ſemper, ideſt, quomodo anima miſcetur corpori, ut homo fiat? Erg ſicut corporea res, incorporeaque conjungitur, ut homo efficiatur; ita homo conjunctus eſt Deo, & factus eſt Chriſtus: & tamen ut fieret Chriſtus, duo illa incorporea, ideſt anima, & Deus facilius conjungi, permiſcerique potuerunt, quàm miſcetur una incorporea, aliaque corporea, ideſt anima & corpus, ut perſona hominis exiſtat.*

Ad probationes anteced. reſpondemus. Ad 1. dic ſubſiſtentiam creatã uniri naturæ propriæ media quidditate diſtincta, quia unitur media unione defectibili, quæ revera non fuit in natura humana Chriſti D. Quia tamen hoc factum fuit miraculoſum; unde unio propriæ ſubſiſtentiæ cum natura, eſt naturaliter indefectibilis; ob id forſan non interven. unio diſtincta quidditativè. Sed non valet conſequentia ad unionem hypoſtaticam, quia hæc non eſt connaturalis, ſed indebita naturæ, eique addita; quare debet eſſe diſtincta, ſaltem quidditativè.

Ad 2. probationem, dic quidditatem unionis hypoſtaticæ, quam

cum

cum D. Thoma, diximus creatam n. 15. non afficere utrumque extremum unitum, sed solam humanitatè, quia est relatio solùm realis in creatura, & hæc sufficit ut Deus dicatur, & sit realiter unitus. Sicut per relationem servitutis in sola creatura, Deus illam terminans sine sui mutatione, dicitur, & est realiter Dominus.

28. Ad tertium fundamentum, positum num. 12. Dicimus unionem inter materiam, & formam hominis esse adæquatè unicam entitativè, & quidditativè, sed duplicem inadæquatè. Dicimus insuper esse, & vocari corpoream à M.P. Augustino suprà num. 13. Venio ad primum. Vnio entitativè est indistincta ab extremis unitis, ut fatentur DD. 2. sententiæ hìc arguentes. At entitas extremorum unitorum est entitas compositi, quæ est unica adæquatè, & duplex inadæquatè: ergo idem dicendum de unione sumpta entitativè. De quidditate unionis sic. Quidditas unionis, sive sit relatio fundata in receptione, & informatione, sive sit ipsa informatio, & receptio, est duplex exercitium recipiendi, & informandi, quod sumptum adæquatè est unicum, sed inadæquatè est duplex: ergo quidditas unionis adæquatè est unica, & inadæquatè est duplex.

Nec contra hoc valent probationes argumenti, quia sumpta unione inadæquatè, ut sonet ex parte materiæ tantùm, per illam sic, materia unitur formaliter materiæ, sed forma non unitur formaliter, sed materialiter, usque dum intelligitur informatio, aut unio etiam ex parte formæ. Nec urget exempla æqualitatis, & similitudinis: nam inter æqualia unica est æqualitas, cui est eadem ratio fundandi ex parte utriusque extremi. Non sic in casu nostro, quia ex parte materiæ ratio fundandi est receptio; ex parte formæ informatio: & hæ diversæ rationes sunt.

Quantum ad secundum, dicimus unionem esse corpoream, sed quia solùm est quidditas distincta, ideò non officit spiritualitati animæ. Obstaret si esset entitas, aut modus corporeus. Ratio omnium data est num. 14. in fine. Et hæc de quæst. ista.

QVÆSTIO DECIMA NONA.

An compositum differat à partibus unitis?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. TOTVM aliud est physicum, aliud metaphysicum, quibus adde integrale, accidentale, & per aggregationem. Physicum constat ex materia, & forma: Metaphysicum ex genere & differentia: integrale ex partibus integrantibus, ut sunt manus, caput, pedes &c. Accidentale ex subjecto & accidenti: per aggregationé quod constat ex pluribus entibus in actu

actu coacervatis, ut acervus lapidum. Cùm enim compositio sit distinctorũ unio, totum sortitur denominationem à partibus, ut sit substantiale, si partes sunt substantia; physicum, si partes physicæ &c. De omni toto poterat esse quæstio, sed cùm omnes supponãt totum accidentale non differre à partibus unitis, nempe à subjecto, & accidente: de solo toto, & composito substantiali physico dubium est, an differat realiter à materia, & forma unitis?

Prima sententia affirmat. Ita Scotus cum suis, quorum fundamenta benè collegit Merinero Scotista in præsenti. Ex Thomistis eam tenuerunt Capreolus, Soncinas, Hervæus, & alij antiqui. Ex PP. Societatis Conimbricenses, Fonseca, & aliqui. Ex nostris Argentinas, Venetus, & Lusitanus, citati à N. M. Villanova.

2. Probatur hæc sententia 1. ex Arist. varijs locis insinuante, quòd totum est tertia entitas distincta à partibus. Sic 5. Metaphysicæ textu 19. dicit *Bis tria non sunt sex.* Et lib. 7. textu ultimo dicit quòd syllaba *Ba* non est *B.* & *A.* sed aliud tertium. Et lib. 12. tex. 14. dividit substantiam in materiam, formam, & cõpositum, dicens esse tres substantias: quare si compositum est tertia substantia, addens aliquid supra materiam, & formam, restat quòd sit entitas distincta ab eis.

Probatur 2. à ratione. Si totum substantiale non distinguitur à partibus unitis, non erit distinctio inter totum substantiale, & totum accidentale: sed hoc est absurdum: ergo quia substantiale est distinctum quid à partibus unitis. Probatur major. Nam tunc, sicut totum accidentale est unũ per unionem, sed revera est plura simpliciter, quia ejus partes sunt plura distincta: sic totum substantiale esset unum solum per unionem, sed revera esset plura, quia esset suæ partes, quæ multa sunt.

Probatur 3. Omnis causa realis, sive intrinseca, sive extrinseca, realiter distinguitur à suo effectu, ut sæpè docet Arist. & P. August. lib. 1. de Trin. cap. 1. rejiciens ut absurdum, quòd idem sit causa sui ipsius: sed materia & forma, quæ sunt partes compositi, sunt causa intrinseca illius; & non seorsim, sed ut unitæ, causant compositum: ergo compositum realiter differt à suis partibus unitis.

4. Terminus mutationis substantialis debet esse per se unus; sicut mutatio substantialis per se una est: sed quod est indistinctum à materia & forma unitis, non est per se unum, sed simpliciter est plura, quæ solùm sunt unum per unionem: ergo compositum per se terminans mutationẽ substantialem, distinguitur realiter à materia & forma unitis.

5. Compositum est subjectum, à quo nascuntur propriæ passiones: sed non orirentur ab eo, nisi distingueretur à materia & forma unitis: ergo distinguitur. Probatur minor. Propria passio, & operatio unius speciei, debet esse unius entis: sed quod identificatur cũ materia & forma unitis, non est unũ ens, sed plura: ergo. Hæc Merin.

3. Ab alijs probatur ſic eadem ſententia 1. ex D. Thoma in 2. Sent. diſt. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1, dicente: *In Chriſto fuit corpus & anima, & forma totius.* 2. Materia, & forma unitæ ſunt idem ac materia, forma, & unio: ſed totum non eſt realiter materia, forma, & unio: ergo diſtinguitur à materia, & forma unitis. Minor patet, quia poteſt Deus illa tria ſeorſim conſervare, nec tunc eſſet cõpoſitum.

3. Materia & forma unitæ diſtinguuntur inter ſe: ergo etiam à toto. Patet conſequentia. Quia quæ repugnant inter ſe, non poſſunt eſſe idem cum tertio. 4. Homo eſt totum, quod terminat generationem ſubſtãtialem: ſed nec materia, nec forma, nec unio, ſi ponitur ab eis indiſtincta, poſſunt fieri per generationem: ergo homo eſt quid diſtinctum à materia, & forma, & unione. Tandem aliqua verificantur de toto, quæ non ſunt vera de partibus, ut fieri, exiſtere, operari: ergo quia totum differt &c.

4. Vltra hęc argumenta communiter allata, en alia duo non ſic communia in favorem ejuſdem ſententiæ. Primum eſt hoc. Materia eſt cauſa inadæquata compoſiti: ſed non eſt cauſa compoſiti, ut dicentis materiam, nec ut dicentis formam: ergo eſt cauſa compoſiti, ut dicentis aliquid aliud realiter diſtinctum à materia & forma: & conſequenter compoſitum realiter diſtinguitur à ſuis partibus &c. Major eſt certa, quia materia eſt principium intrinſecum entis, & cauſa materialis illius, non adæquatè, ſed inadæquatè, cùm compoſitum non dicat ſolam materiam, ſed etiam formam.

Minor duas habet partes: quoad primam probatur ſic. Compoſitum ut dicens materiam, eſt ipſa materia: ſed materia non eſt cauſa intrinſeca ſui: ergo nec compoſiti dicentis materiã. Hæc minor probatur. Materia cauſat recipiendo: at non recipit ſeipſam, nec poteſt: ergo non eſt cauſa intrinſeca ſui.

Quoad ſecundam partem probatur minor. Compoſitum, ut dicẽs formam, non diſtinguitur à forma: ſed materia non eſt cauſa intrinſeca formæ: ergo nec compoſiti, ut dicentis formam. Hæc minor probatur. Materia cauſat intrinſecè conſtituendo, ſed non conſtituit intrinſecè formam, alioquin non differret à forma, cùm conſtitutivum non differat à conſtituto: ergo.

5. Secundum fundamentum ſpeciale eſt hoc. Vel compoſitum *Homo* diſtinguitur realiter à corpore & anima unitis; vel eſſentia hominis realiter diſtinguitur ab entitate hominis, cujus eſt eſſentia: ſed hoc ſecundum implicat: ergo primum cõcedendum eſt, nedum in homine, ſed in quolibet compoſito, ut ex argumento conſtabit. Probatur major. Implicat quòd eſſentia metaphyſica hominis identificetur cum entitate hominis, ſi entitas hominis non diſtinguitur à corpore & anima unitis: ergo vel &c. Probatur ans. Implicat quòd realiter indiviſibile identificetur cum realiter diviſibili: ſed eſſentia metaphy-

physica hominis est realiter indivisibilis; entitas autem hominis est realiter divisibilis, si identificatur cum corpore & anima unitis; actuque dividitur ea entitas in morte hominis, ubi anima separatur à corpore: ergo &c. Minor cum consequentia tenet, & major patet, quia si indivisibile identificatur cum divisibili, sequitur quòd unum, & idem sit realiter divisibile, & realiter indivisibile: quod implicatorium est.

Si respondeas quòd essentia hominis metaphysica, physicè sumpta est realiter divisibilis; sed metaphysicè accepta est realiter indivisibilis: & hoc sine implicatione, quia divisibilitas verificatur in sensu physico, indivisibilitas in sensu metaphysico: unde unum, & idem, aliter, & aliter acceptũ est divisibile, & indivisibile. Si hoc dicas, benè respondes.

Sed adhuc urget argumentum. Nam implicat quòd indivisibile realiter identificetur cum realiter divisibili: sed realiter essentia hominis metaphysica est realiter indivisibilis; essentia autem physica est realiter divisibilis: ergo implicat quòd essentia hominis metaphysica, nempe *animal rationale*, identificetur cum materia, & forma unitis, quæ sunt essentia hominis physica in tuis principijs. Ergo præter materiam & formã unitas, debes assignare aliam entitatẽ physicam, realiter indivisibilem, cum qua identificetur essentia metaphysica hominis. Talem entitatem vocamus compositum.

6. Secunda sententia negat distinctionem compositi à partibus unitis. Ita Philosophi communiter cum Arist. 4. Physic. ex. 23. dicente: *Non enim præter partes totum.* Ex Thomistis fere omnes, &c. non ex alijs. Pro qua stant nostri DD. B. Ægidius 1. Physic. tex. 17. Ariminensis, Gerardus, Saxonia, Landon, & alij citati à N. Villanova hìc.

A ratione probatur 1. sic: Totũ physicum non distinguitur adæquatè à partibus simul sumptis, & unitis: sed nec distinguitur ab eis inadæquatè: ergo nullo modo distinguitur. Probatur major. Quod distinguitur adæquatè ab alio, non includit illud intrinsecè: at totum includit partes; cùm tamen non sit unum unitate compositionis, sed unitate compositionis; compositio autem includit essentialiter partes componentes: ergo totum non distinguitur adæquatè à partibus. Quòd autem nec inadæquatè, probatur sic. Quod distinguitur inadæquatè ab alio, includit aliquid, à quo distinctum ab illo; sic compositum inadæquatè distinguitur à materia, quia includit materiam, & aliud distinctum à materia, nempe formam: at totum nil includit ultra partes omnes unitas: ergo ab eis non distinguitur inadæquatè. Probatur hæc minor.

Si totum includeret aliquid ultra omnes partes unitas, illud inclusum esset vel totum, vel pars. Non totum; quia cùm totum includat omnes partes, nequit esse aliquid præter omnes partes. Non pars; quia præter omnes partes nulla datur pars. Non etiam unio; quia nec ista datur præter partes unitas: ergo nil addit totum

tum ſupra partes unitas.

7. Confirmatur. Per hoc præcisè quòd materia, & forma ſint unitæ, intelligitur diffinitio & eſſentia compoſiti, ſecluſa omni entitate ſuperaddita: ergo quia compoſitum nil eſt diſtinctum à partibus uniti. Probatur ans. Sicut compoſitio eſt *unio diſtinctorum*, ita compoſitu eſt *totum conſtans ex partibus unitis*. At hìc ſolùm importantur materia, & forma, unitæ: ergo.

2. Per hoc præcisè quòd materia recipiat formam, & hæc informet materiam, ſtat compoſitum: at in hoc nulla datur entitas diſtincta à materia, & forma unitis: ergo idem. 3. Materia & forma unitæ ſunt unũ per ſe; non quidem unitate ſimplicitatis, ut conſtat, ſed unitate compoſitionis: ſed unum unitate compoſitionis eſt totum: ergo materia & forma unitæ (omni alio ſecluſo) ſunt totum.

4. Si totum eſſet entitas diſtincta à partibus unitis, illa vel conſiſteret ab eis ſeparata, vel eis unita. Primum implicat, quia ſine partibus unitis non ſtat totum. Ex ſecundo ſequitur proceſſus in infinitum. Nam illa entitas unita partibus, componeret cum eis aliud totum. De hoc ſiquidem quærimus an ſit entitas diſtincta à partibus unitis? Si neges? Vt eſt noſtra ſententia. Si affirmes? Cùm entitas illa non poſsit conſiſtere ſeparata, eſtat quòd ſit unita: ſic autem facit aliud totum, de quo reddit argumentum, & reddibit in infinitum.

§. II.

Noſtra ſententia proponitur, & probatur, & contraria diſſolvuntur.

8. DICIMVS cum DD. ſecundæ ſententiæ, totum realiter diſtingui realiter à partibus unitis. Probatur 1. ex P. Auguſt. 7. de Trinit. cap. 4. dicente: *Homo nihil aliud eſt, quàm anima, & corpus.* Idem habet D. Thomas 4. contra Gent. cap. 81. ubi ait: *Dum humanitatem verum eſſe intelligimus, uòd ſit quædam forma conſurgens ex cõjunctione formæ ad materiam, quæ ſi ealiter ſit alia ab utraque; qui cùm per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur 3. de Anima textu 9. illa tertia forma conſurgens, non eſſet ſubſtãtialis, ſed accidentalis.* En concluſio, & ratio, de qua poſteà. Ad idem B. Ægidius 2. Phyſic. ex. 17. dicens: *Quælibet pars per ſe eſt aliud à toto, ſed omnes partes ſimul ſumptæ aliud à toto dici non poſſunt.*

A ratione probatur ex D. Thoma ſic: Totum ſubſtantiale eſt entitas ſubſtantialis: ſed ſi diſtinguitur à partibus unitis, non erit ſubſtantialis: ſed accidentalis: ergo totum non diſtingui ur à partibus unitis. Minor probatur. Quoniam entitas materiæ, jam cõſtitutæ in actu per formam ſubſtãtialem, non eſt ſubſtantiale, ſed accidẽtale: atſi totum diſtinguitur à partibus unitis, erit entitas adveniens materiæ jam conſtitutæ in actu ſubſtantiali per formam unitam: ergo.

Explicatur. Totum, ſi eſt entitas

tas distincta, est una unitate simplicitatis; alioquin esset entitas composita ex partibus unitis; & sic differret ab eis, & daretur processus in infinitum. Sed unum unitate simplicitatis est materia, aut forma, cum non possit esse compositum, constans ex multis unitis: ergo totum, seu entitas distincta, erit vel materia quædam, & hoc implicat; vel quædam forma, non substantialis, quia non dat primum esse, sed supponit datum à forma substantiali partis: ergo accidentalis, ut benè infert D. Thomas laudatus.

9. Probatur 2. ratione, quæ in præsenti utitur N. Villanova. Vel in homine dantur duæ humanitates, realiter distinctæ; vel totũ non distinguitur à partibus unitis: sed primum est manifestè falsum: ergo secundum dicendum est. Probatur maj. De corpore, & anima unitis, vel prædicatur formaliter humanitas, vel non prædicatur: sed quidquid dicas, sequitur quòd vel totum non distinguitur à partibus, vel dantur in homine duæ humanitates: ergo vel &c. Min. probatur per partes.

Si dicas prædicari, en argumentum. Humanitas, quę essentialiter prędicatur de corpore, & anima unitis, non distinguitur realiter ab eis: ergo si præter corpus & animam unita, ponis formam totius distinctam, debes ponere in homine duas humanitates, unam quæ prædicetur de corpore & anima unitis, & cum eis identificetur; aliam, quę de eis non prędicetur, sed ab eis distinguatur: quare vel debes negare totum distinguì à partibus, vel ponere in homine duas humanitates, semel quòd humanitas prædicetur formaliter de partibus unitis.

Si dicas non prædicari, en etiam argumentum. Si humanitas non prædicatur de partibus unitis, prędicatur de eis aliud totum, distinctum ab humanitate. Patet hoc, quia de eis unitis aliquid prędicatur; a non pars, quia partes unitæ non sunt pars, sed totum: ergo de eis unitis aliquo totum prędicatur formaliter. At hoc totum quod de corpore, & anima rationalibus unitis prædicatur, est totũ humanum, vel humanitas: ergo cùm hęc pars sit distincta ab ea humanitate, quæ per se non prædicatur de partibus; jam teneris admittere in homine duas humanitates, unam quæ prædicetur, aliam quæ non prædicatur de partibus unitis.

10. Dices. Hæc secunda pars argumenti nostri instatur in partibus non unitis, de quibus non prædicatur pars, quia partes non sunt pars; nec totum, quia supponuntur non unitæ: sine unione nec stat compositio, nec totum: unicè autem prædicatur de eis quòd sint partes: ergo pariter de partibus unitis solùm prædicatur formaliter quòd sint partes unitæ, non autem totum, aut pars.

Sed contra, & urgetur ampliùs ratio nostra. Ideò de aggregato partiũ, non habentium unionem, non prędicatur esse totum, quia partes carentes unione, præscindunt à compositione, quæ est distinctorum unio: sed partes unitę non sic præscindunt ab unione,

&

& compositione: ergo de eis necessariò prædicatur totum. 2. De partibus unitis verè, & formaliter prædicatur quod sunt unitm, nec hoc prædicari potest de partibus non unitis: sed unitas, quæ de partibus unitis prędicatur, est unitas compositionis, & totalitatis. Consequentia est bona, minor est certa, quia unio solùm dat unitatem compositionis. Major ex se patet.

Simili argumento in quolibet composito poteris probare quòd sunt duo tota. Nam de partibus unitis certè prædicatur aliquid unum: cùm per unionem partes habeant unitatem, nempe compositionis. Hoc unum quod prædicatur, non est pars, quia pars nõ prædicatur de partibus: ergo hoc unũ quod prædicatur, est totum, & indistinctum à partibus, quia de eis prædicatur formaliter, prędicatio autem formalis est signum identitatis. Ergo cùm aliunde DD. primæ sententiæ ponant totum, distinctum à partibus unitis, quod de eis non prędicatur formaliter, restat quòd in quolibet cõposito ponant duo tota, unum identificatum cum partibus; aliud distinctum ab eis. Illatio est inaudita.

11. Nec urgent fundamenta contrariæ sententiæ. Ad primum positum n. 2. dic primam Aristot. authoritatem non esse contra nos. Quia ibi non negat Philosophus, quòd bis tria sunt materialiter sex; sed contendit, quòd ex duobus numeris unitis non fit tertia species numeri. Bis tria, sumpta formaliter, sunt duo individua numeri ternarij, & talia non faciunt numerum senarium, sed quinque, & unum: quia ultima unitas se habet ut forma constitutiva numeri cum præcedentibus unitatibus.

Ad aliud dic quòd syllaba *Ba* præter *B.* & *A* addit ordinem unius litteræ ad aliam, & in hoc sensu *Ba* non est purè *B*, & *A*. Ad aliud dic, quòd compositum est tertia substantia, distincta à materia, & forma secundùm se, non autem ab eis unitis. In hoc sensu loquitur Philosophus, sed non est contra nos, qui loquimur de partibus ut unitis.

Ad 2. probationem à ratione; neg. maj. ad ejus probationem, nega ly *sicut*. Licèt enim totum substantiale, & accidentale sint unum per unionem, at unio in toto substantiali est substantialis, & per se talis; quia unit partes, quæ sunt actus, & potentia, & istæ uniuntur per se, & faciunt per se unum. In composito autem accidentali unio est accidentalis, & talis secundùm quid, quia partes unitæ, nõ sunt actus & potentia, sed ambæ actus: quare sunt simpliciter plura, & solùm unum secundùm quid. En discrimen sine recursu ad distinctionem totius à partibus.

12. Ad 3. probationem, quæ difficilis est, quidam negant materiã & formam esse causas compositi. Ita Arriaga cum aliquibus. Sed cùm negare non possit materiam & formam esse principia compositi, premuntur argumento. Nam sicut de ratione causæ est distingui ab effectu, sic de ratione principij est distingui à principiato. Præter quam quòd Philosophus docet privationẽ aliter esse principiũ

en-

entis, ac materia & forma sunt principium. Alietas stat per hoc quòd privatio est principium entis, sed non causa: forma autem, & materia sunt simul causa, & principium. Ergo negare esse causas intrinsecas, est fugere difficultatem.

Alij concedentes materiam, & formam esse causam intrinsecam compositi, dicunt, quòd partes illæ divisivè sumptæ, causant totum, & sic à toto distinguuntur: non autem causant collectivè sumptæ, nam sic sunt ipsum totum. Solutio est bona, sed habet plura contra se, quæ videbis in Bajona, & Froylano, & à nobis omittuntur brevitatis gratia.

Dicimus quòd materia causat secundùm se totum, ea parte, qua dicit formã; & forma secundùm se, causat totum, qua parte hoc dicit materiã. Et cùm materia distinguatur à toto dicente formam, & forma ab eo, ut dicente materiam; jam causa intrinseca differt à suo effectu, quin totum differat à partibus unitis. Hucusque solutio est clara, consideratis materia & forma seorsùm, ut causæ sunt inadæquatæ compositi.

Sed urgent contrarij quærendo causam adæquatam compositi. Nam si dicas quòd materia & forma unitæ sunt causa adæquata compositi; ergo cùm effectus differat à causa sua, jam compositum distinguitur à materia, & forma unitis. Hæc est precipua argumenti difficultas.

Solvitur tamen notando, quòd licèt materia, & forma secundùm se sint causæ inadæquatæ compositi, quod causant, media unione inter se, attamen ut ex utraque resultet integra causa adæquata, non debent considerari collectivè, sed aggregativè. Explico terminos. Si numeras materiam, & formam, ut duo comprincipia, quorũ utrumque causat ratione sui, quin ex utroque facias unum, tunc illa sumis aggregativè. Si ex utroque velis unum facere principium, tunc sumis collectivè materiam, & formam.

En etiam exemplum in relatione, cui tam propriũ est respicere terminum realiter distinctum, sicut causæ distingui ab effectu. Pono duas relationes mutuas, v. g. relationem similitudinis cygni ad parietem; & similitudinis parietis ad cygnum. Relatio prima habet terminum distinctum quia paries realiter distinguitur à cygno: secunda etiam terminata ad cygnum, habet terminum diversum; quia habet cygnum distinctum à pariete. En divisivè quelibet relatio habet extrema correlativa distincta. Si tamen consideres collectivè utramque relationem, non invenies hoc. Nam da mihi fundamentum utriusque relationis. Illud est paries, & cygnus. Da terminum utriusque: certè alius non est, nisi paries, & cygnus. Ergo sumptis relationibus collectivè, non invenies distinctionem realem fundamenti, & termini: benè verò sumptis divisivè, vel aggregativè. Sic dicimus de materia & forma, quarum quælibet divisivè, vel aggregativè sumpta distinguitur à suo effectu, & hoc modo causant adæquatè compositum. Non autem sumptis collectivè, quia sic sunt ipsũ compositum.

Ad

Ad 4 probationem respõdemus ex dictis pro secunda, nempe quòd cõ positum substantiale est per se unum, ad differentiam compositi accidentalis quod est unum per accidens; quare non hoc, sed illud potest terminare mutationem substantialem, quæ est una per se. Ad 5. dic passiones dimanare à forma, ut risibilitas ab anima; non autem dimanant à materia. Dato tamen etiam à materia dimanare, tũc non dimanant ab utraq; ut sunt duæ entitativè, sed ut sunt unum per compositionem per se talem.

14. Ad aliud positum num. 3. dic D. Thomam ibi vocare formam totius materiam, & formam unitas, ut ostendat quòd Verbum Divinum non assumpsit corpus tantùm, nec tantùm animam Christi D. nec utrumque secundùm se, sed unitum: quo sensu est forma totius, sed indistincta à partibus unitis. Ad 2. dic quòd materia & forma, & unio, non sunt idem ac materia & forma unitæ: quia hoc secundum dicit effectum formalem unionis communicatum materiæ & formæ, quem non dicit unio in primo numerata. Vnde licèt totum differat à primo, non à secundo. Ad 3. dic quòd licèt materia & forma differant inter se, non tamen à composito. Nec urget axioma illud *Quæ repugnant uni, tertio &c.* quia id est verum de tertio quod est unum unitate simplicitatis; compositum autem non sic est unum, sed unitate compositionis.

Ad 4. dic quòd sicut homo terminat generationem, sic corpus ejus, & anima ut unita: unde ab eis sic nõ distinguitur homo, corpus autem secundùm se, anima, & unio, si ponitur indistincta, non generantur, sed creantur: sed nil contra nos, quia ab eis sic sumptis totum distinguitur. Ad 5. dic quod existere, generari &c. non verificantur de partibus secũdùm se, benè tamẽ de partibus unitis, quia sic sunt totum, & quæ de hoc verificantur, vera sunt de partibus ut unitis.

15. Restat solvere argumenta posita n. 4. Ad 1. dicimus quòd materia & forma, duo habent munera, nempe constituere, & causare. Cõstitutio petit identitatem constitutivi cum constituto. Causalitas petit distinctionem causæ à causato: cùmque hæc sint opposita, non possunt exerceri relatè ad eundem terminũ. Hinc fit, quòd materia constituit compositum, ut hoc dicit materiam; & causat illud, ut compositum dicit formam. Arguens confundit hæc munera, volens quòd materia constituat recipiẽdo; & hoc est falsum, quia non recipit se ipsam, nec compositum, ut dicit materiam; constituit tamen dando se ipsam. Sic nec causat constituendo; quia causat compositum, ut dicens formam; nec tamen illud ut sic, constituit, sed ut dicit materiam.

Ad aliud argumentum positum num. 5. dicimus optimam esse solutionem ibi datam. Nec benè impugnatur ab arguente. Nam manifestè instatur in numero ternario, cujus essentia metaphysica est realiter indivisibilis, cùm tamen essentia physica ejus sit realiter divisibilis in tres unitates, qui-

quibus cōstat ternarius. Nec inde umquam negatum est, quòd essentia metaphysica numeri identificetur cum essentia physica ejusdem. Petit identitas duorum, ut utrumque sit divisibile eodem modo; & sic accidit in casu nostro. Nam sume tibi *animal rationale*, invenies quòd metaphysicè est indivisibile, sed physicè est divisibile. Hoc idem accidit composito humano; nam metaphysicè est indivisibile, & physicè divisibile. Cùmque unum, & idem, aliter, & aliter acceptum possit esse divisibile, & indivisibile; ideò essentia met physica indivisibilis identificatur cum essentia physica divisibili, nec oportet ponere tertiam entitatem physicè indivisibilem, à partibus unitis distinctam.

QVÆSTIO VLTIMA.

An in creaturis essentia differat ab existentia?

§. I.

Explicatur quid sit essentia, existentia, subsistentia, suppositalitas, & possibilitas rerum.

1. PLVRA in hoc §. promittimus explicanda, quæ partim Theologica, partim Metaphysica sunt, & satis difficilia; nec in præsenti licet ea plenè expendere, sed potiùs, vel supponere, vel aliquatenus insinuare, dū, Deo favēte, in Metaphysica plenè dilucidentur. Actum est hucusqu d principijs intrinsecis compositi substantialis, restat pro complemēto agere de terminis intrinsecis illius, ut sint existentia, subsistentia &c. Sed priusquam distinctionem essentiæ ab existentia disquiramus, oportet in hoc §. explicare breviter quæ in ejus titulo continentur.

Essentia, teste M. P. Augustino, dicitur *ab esse*, sicut Sapientia dicitur ab eo, quod est sapere. At esse multifariam sumitur. Et 1. pro prædicatis essentialibus cujuslibe rei. Quo sensu *animal rationale* dicitur essentia hominis. 2. Sumitur pro illa actualitate, quam materia recipit à forma. Sic materia dicitur lapidea à forma lapidis, vel esse illius, quod recipit à forma: hoc esse vocatur formale. 3. Esse sumitur pro illa actualitate, quam compositum recipit ab accidentibus, v.g. homo dicitur calidus à calore, albus ab albedine &c. & hoc esse vocatur accidentale. 4. Sumitur pro illa actualitate, quæ respondet extra omnes suas causas; & hoc esse dicitur existentia.

Dum essentia dicitur ab esse, intelligitur de esse in prima acceptione; quare nihil aliud est essentia, quàm prædicata constitutiva cujuslibet rei. Hæc essentia sic explicata, sortitur varia nomina, nempe *essentia*, *natura*, *quidditas*. Dicitur essentia, si consideratur in ordine ad existentiam. Vocatur natura, si consideratur in ordine

droperationem, & ad ropri tates, quarum eſt radix. Dicitur quidditas, quatenus habet eſſe objectivum in intellectu noſtro. Quo jam vides, tria illa nomina dicere unum & idem in re, ſolù diverſum v l pe es mun ra, vel ad ſummum virtuali diſtinctione.

2. Hæc eſſentia creaturæ poteſt conſiderari in quatuor ſtatibus, nempe *poſsibilitatis futuritionis, exiſtentiæ, & præteritionis.* Sic eſſentia Adami fuit poſsibilis, fuit futura, fuit exiſtens, & nunc eſt præterita: quare omnes illo ſtatus per ranſijt. Status poſsibilitatis eſt ille, in quo creatura eſt potens à Deo pro uci, eò quòd ipſa in ſe nō repugnat produci; & Deus producere poteſt quidquid non repug a. In ho ſt t creatura nec petit determinatè produci, nec non produci; ſed eſt indifferens ad utrumque, nempe ad eſſe, vel non eſſe. Hoc modo in eo ſtatu ſunt infiniti mundi, quos Deus producere poteſt, & eorum eſſentia eſt ſic indifferen ad eſſe, ſi producantur, vel ad on eſſe, ſi non producantur.

Status futuritionis eſt ille, in quo cre[illegible] ex ſe indifferens ad eſſe, & non [illegible] determinatur ut ſit n aliqua differen a temporis erta. Sic Antichriſtus, modò no exiſtens, eſt nunc futurus, quia non eſt indifferens ad eſſe, vel non eſſe, ſed erit determinatè in fin mundi. A quo veniat hæc determinatio? Dub um eſt graviſsimum in Theologia, in quo ſen entia Auguſtiniana, Thomiſtica, & Ægidiana cō[illegible], aſſer ns v aire à decreto Dei, quo decrev t dare exiſtent am Antichriſto in ea differenti t mporis determinata. Hi c f quòd per hoc decretum xtrahitu Antic riſtus à ſtatu poſsibilitatis, & po tur in ſt u futuritionis. Et ſ velis utrumque ſtatū ex dictis diffinire, en diffinitio. Poſsibilitas eſt *carent exiſtentiæ cum plena indifferentia ad eſſe, & [illegible] ſſ.* Futuritio eſt *carentia exiſtentiæ de præſenti cum determinatione ad illam habendam de futuro.*

Status exiſtetiæ, omnibus notiſſimus, eſt ille, quem nos habemus, dū exiſtimus. Conſiſtit in actuali poſſeſſione illius actualitatis, qua res, quæ erat intra cauſas, ponitur extra illas. Status præteritionis eſt carentia exiſtentiæ anteà habitæ; talem habet Adamus, & quotquot deceſſerunt.

3. Circa creaturam in ſtatu poſsibilitatis plura diſputātur, de quibus egi cum N. Gavardi tractatu de Omnipotentia. V de etiam in noſtro Baſilio Legionenſi cōſtitutivum creaturæ oſsibi s: & ut interim aliquid tene s, nota præcipuum dubium eſſe: Quid ſit reatura in ſtatu poſsibilitatis? Non eſt quæſtio de creatu a ſecundùm eſſe, quod habet intra Deum Omnipoten em; nam, ut ait S. P. Auguſtinus, creatura in Deo non eſt creatura, ſed eſt ipſa creatrix eſſentia, & ipſe Deus; ſicut omnis effectus in cauſa, eſt ipſa cauſa, nec aliud eſſe habet, niſi ei e ſuæ cauſæ. Eſt ergo dubium de eſſe creaturæ poſsibilis, conſiderato extra Deum. Nam certè Deus continet eminenter creaturas: ergo hoc eſſe con entum, eſt diſtinctum à Deo.

Deo. Patet consequentia. Quia esse identificatum cum Deo, est esse Divinum; & esse Divinum non continetur in Deo eminenter, sed formaliter. Rursus D. n connectitur metaphysicè cum esse creaturarum possibilium, ut docent Thomistæ, & disputant reliqui: ergo habent esse distinctum ab esse Dei. Patet consequentia, Quia Deus cum esse suo non connectitur, sed identificatur.

Propter hæc, & alia, docent aliqui creaturas in statu possibilitatis aliquod esse habere extra Deum. Sic N. Legionensis in varijs q. 8. cap. 8. Michael, & Godoy 1.p.disp.26.§.4. Scotus citatus à suis. Differunt in explica do ho- posit vo. Nam S- t stæ docent hoc positivum esse intentionale diminutum, derivatum ab intellectu Divino, inte ligente creaturas, & dante eis hoc esse objectivum; sicut juxta Thomistas intellectus noster intelligendo chimæras, dat eis esse objectivum, quod est ens rationis. Alij dicunt esse illud esse reale oppositum non solùm enti rationis, sed enti intentionali. Per illud creaturæ sunt ens nominale, hoc est dicens ordinem ad existentiam. Ceterùm cùm isti DD. negent Deum amare creaturas possibiles, quia nec existunt, nec dicunt ordinem ad existentiam, à qua sumitur bonitas amabilis; nescio cur docent hìc possibilia dicere ordinem ad existentiam? Quidquid sit: hoc esse possibilium dicunt derivari ab Essentia Divina, alij dimanare ab Omnipotentia.

4. Contraria sententia docet creaturas extra Deum in statu possibilitatis esse actu nihil, ibique earum essentias esse tantùm objectivè, quare nil habent subjectivum, sed solam nõ repugnantiam in prædicatis essentialibus, ut earum essenti- simu- cum existentia à Deo producatur. Sic N.B. Ægidius q.12.de Esse, & Essentia: quẽ sequuntur Villanova, Gavardi, & omnes f rè DD. N. Est etiam D. Thomæ, & communior apud Theologos, ut ostendit Suarius in Metaphysica disp.31.sect.2. ubi utat sententiam istam esse fide certissimam: & N. Argentinas in 2.dist.18.q.2.art.1.§. *Sed contra* docet solùm, esse fidei Catholicę conformem.

Dicend m est nobis cum secunda sententia creaturas in statu possibilitatis sse actu nihil, & nullum h- b r ss ctua e- lentiæ, v- l xiste- tiæ. Probatur 1. ex P. August. Cyrillo, & alijs PP. dicentibus: *Quidquid à Deo factum non est, vel Deus, vel nihil est.* Sed esse creaturarum in statu possibilitatis non est esse factum à Deo, nec est ipse Deus: ergo illud esse est actu nihil. Minor patet, quia quidquid à Deo factum est, in tempore factũ est; possibilia, si haberent esse, illud haberent ab æterno quia possibilia sunt.

Probatur 2. ex B. Ægidio in 2. Sent. dist.3.p.1.q.1.art.2.§. *Rursus*, ubi ait: *Creatione, & annihilatione dicitur creari, & an ihilar essentia, & esse.* Ergo juxta Doct. N. ante creatio- nem compositi, quæ in tempore facta est, nec est essentia, nec existentia; & consequenter nullum esse actualiter.

Probatu 3. ratione. Illud esse

positivum, quod haberent possibilia extra Deum, vel esset creatum, vel non esset creatum : utrumque est falsum : ergo quia nullum habent esse positivum. Probatur minor quoad 1. partem. Nam quidquid creatum est, in tempore creatum est, ut dicitur Genes. 1. esse autem possibilium, sicut & possibilia, ab æterno est ; quare creatum non erit. Quoad 2. partem probatur. Ponere in rerum natura aliquod esse, quod non sit creatum, vel increatum, est chimæricum. Sed illud esse possibilium per te non esset creatum ; aliunde nec increatum, quia distinguitur à Deo, cui soli convenit esse increatum : ergo falsum est, tale esse possibilium non esse creatum.

Explicatur. Quidquid est, vel Deus, vel creatura est. At esse possibilium ab æterno, non est Deus; quia loquimur de creatura extra Deum, ut distincta à Deo; aliunde non est creatura, quia esse creaturę est esse creatum, & ab æterno nil est creatum, sed omnia in tempore : ergo tale esse implicatorium est, cùm nec Deus, nec creatura sit. Restat ergo quòd nullū esse creaturæ ab æterno est.

Prætereà quod creatur, fit ex nihilo sui : sed in contraria sententia nulla creatura fit ex nihilo sui, sed omnes fiunt ex illo esse positivo præsuppositio, quod habent in statu possibilitatis : ergo nil de novo creatur. Rursus nedum essentia creaturæ est possibilis, sed ejus existentia, unio, subsistentia, & quidquid habet in tẽpore, hoc totum possibile fuit : ergo si possibilia ab æterno habent esse positivum, jam ab ęterno creatura habet esse essentiæ, existentiæ, subsistentiæ, &c. Quid ergo producitur in tẽpore ? Sanè nihil. Ergo à contrario, ut hæc omnia in tempore producantur, ab æterno debent esse nihil actu, & solum in potentia ens. Cum hoc ente in potentia connectitur omnipotentia, si connectitur cum possibilibus ; & hoc esse in potentia est illud, quod in Deo eminenter continetur.

5. Viso quid sit essentia creaturæ in statu possibilitatis, ubi est actu nihil, & solum ens in potentia; rursus quid sit in statu futuritionis, ubi est etiam ens in potentia, sed cum determinatione ad essendum certo tempore futuro : restat scire quid sit essentia in statu existentiæ ? De hoc expresse à nullo disputatur, sed implicitè ab omnibus, ut ex decisione constabit. Non est dubium de hoc toto complexo *essentia existens*. Nam citra dubium est ens reale participiale. Dubium est de una parte complexi, nempe de essentia, quid habeat ratione sui in hoc statu, quidve ratione existentiæ ?

Prima sententia est eorum, qui non distinguunt essentiam ab existentia in creaturis : hi docent quòd essentia ratione sui est nihil, & solùm redditur ens per existẽtiam. Hoc suadent, quia sola existentia cõstituit essentiam in ratione entis, distincti à nihilo ; & cùm nihil differat à suis constitutivis ; inde inferunt quòd in creatura essentia non differt ab existentia.

Hinc plura sequuntur, quæ obser

ſervabis pro præcipua quęſtione præſenti. Primum eſt, quòd hæc ſententia nullum agnoſcit medium inter ens ſimpliciter, quale eſt exiſtens, & nihilum. Ratio eſt, quia inter contradictoria non datur medium: ſed nihilum & ens exiſtens juxta hos DD. ſunt contradictoria; nam per exiſtentiam eſſentia conſtituitur ens, & diſtinguitur à nihilo, quod immediatè excludit per exiſtentiam: ergo inter nihilum, & ens ſimpliciter, non datur medium.

Secundò ſequitur, quòd nullum eſt ens nominale, ſed quidquid eſt ens erit ens participiale. Probatur. Nam ens, quod vocatur nominale, conſtituitur per ordinem realem ad exiſtentiam: ſed inter extrema identificata non eſt ordo realis, ſed rationis, & conſequenter impotens conſtituere ens reale: ergo cùm in omni creatura eſſentia identificetur cum exiſtentia, in omni eſt impoſsibilis ordo realis eſſentiæ ad exiſtentiam. Ergo nulla eſſentia creata eſt ens nominale, ſed quidquid eſt ens reale, diſtinctum à nihilo, eſt ens ſimpliciter, & participiale.

6. Per oppoſitum DD. diſtinguentes eſſentiam ab exiſtentia, docent quòd eſſentia ratione ſui, & independenter ab actuali exiſtentia, eſt ens reale nominale, & diſtinctum à nihilo; nam eſſentia illa dicit ordinem ad exiſtentiam, quem non dicit nihilum.

Dicunt etiam quòd inter ens exiſtens, ideſt ens ſimpliciter, & nihilum datur medium; nam mediat eſſentia rerum, dicens ordinem ad exiſtentiam, per quem differt à nihilo, & ab ente reduplicativè, ut exiſtente.

Hinc fit, quòd eſſentia exiſtens habet ab exiſtentia quòd ſit actu exiſtens, & completè extra cauſas: cetertùm habet ratione ſui quòd ſit ens nominale dicens ordinem ad exiſtentiã. Per hunc ordinem differt eſſentia in ſtatu exiſtentiæ à nihilo, ab eſſentia poſsibili, ab eſſentia futura, & abeſſentia præterita. A nihilo; quia nihilum non dicit ordinem ad exiſtentiam. Ab eſſentia poſsibili, quia cùm hæc ſit indifferens ad eſſe, vel non eſſe, non dicit ordinem determinatum ad exiſtentiam. Ab eſſentia futura, quia hæc dicit ordinem ad exiſtentiam habendam tempore ſequenti; eſſentia autem in ſtatu exiſtentiæ dicit ordinem ad exiſtentiam habendam in ſigno ſequẽti ejuſdem inſtantis. Ab eſſentia præterita, quia hęc dicit ordinem ad exiſtentiam habitam, & deperditam; ſecus eſſentia in ſtatu exiſtentiæ. Hìc obſerva quòd dubium de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia, eſt dubium de medio inter ens ſimpliciter, & nihilũ. Sed de hoc infrà.

7. Viſo quid ſit eſſentia, & exiſtentia in omni ſtatu, reſtat ſcire quid ſit ſubſiſtentia, ſuppoſitalitas, & perſonalitas. Subſiſtentia eſt *exiſtentia per ſe, & in ſe*. Sicut enim ens dividitur in ens per ſe, & ens in alio; ſic exiſtentia, quæ eſt complementum entis dividitur in exiſtentiam per ſe, & exiſtentiam in alio; prima vocatur ſubſiſtentia, ſecunda dicitur inalietas. Eſt tamen diſcrimen valdè notandum,

dum, quòd dum ens dividitur in ens per se, & in alio, perfeitas nihil addit enti, nisi majorem expressionem, ut diximus in Logica lib. 5. q. 4. at subsistentia quæ est existentia per se, dicit perfeitatem additam existentiæ. Quid autem sit hoc additum, dicemus infrà.

7. Hoc nunc adverte, quòd sicut sola substantia est ens per se; ita sola illa completur per subsistentiam; accidens autem, quod est ens in alio, completur per inalietatem. Constat etiam quòd subsistétia differt realiter ab essentia creata. Nam, ut benè advertit Arriaga, novimus complemétum subsistentiæ in creatis, edocti per fidem de Mysterio Incarnationis, ubi natura Humana Christi Domini non per propriam subsistentiam, sed per alienam & Divinam subsistit: ergo natura humana separatur sibi à propria subsistentia. Sed quæ separantur, distinguuntur: ergo in creatis natura differt realiter à subsistentia. Petis quali distinctione? Hoc patebit, vidéndo quid addit subsistentia supra existentiam. Pro quo.

8. Qui non distinguunt subsistentiam à suppositalitate, dicunt quòd subsistentia est modus realiter distinctus à natura, & existentia, qui duos habet effectus, unum primarium, alium secundarium. Primarius est reddere naturam independétem ab alio, ut sustentante; hæc independentia explicatur per terminos negativos, sed est quid positivum, quia consistit in perfeitate existendi. Negativus est, reddere naturam incommunicabilem alteri, ut supposito. Sic Godoy, & alij, quibus consentit Villanova. Quod explicat Bajona, dicens duas esse subsistentias, unam hypostaticam, aliam nō hypostaticam. Per primam redditur natura incommunicabilis alteri, ut contingit naturæ Petri, Pauli &c. Per secundam redditur natura per se existens, sed non incommunicabilis; sic anima nostra separata subsistit, quia à nemine sustentatur, ceterùm non redditur incommunicabilis, ut patet. Talem ponunt in Deo ante relationes aliqui Theologi, & eam vocant subsistentiam absolutam, qua natura Divina ante Personas existit per se, sed non est incommunicabilis. Vide Gavardi. tom. 1. Theolog. q. 2. de Substantia Dei art. 4.

Hic modus dicendi est probabilis, & juxta illum patet, quòd unio Humanitatis Christi Domini ad subsistétiam Verbi, vocatur unio hypostatica, quia est unio immediatè facta in subsistentia relativa Verbi, quæ incommunicabilis est, & hypostatica. At quia Thomistæ volunt, quòd existentia est actus ultimus, & subsistentia actus intermedius; nescio qualiter hìc docent quòd subsistentia est modus additus existentiæ? Si est additus: ergo supponit jam existentiam, cui additur; unde non erit actus intermedius, sed ultimus. Sed de hoc infrà.

9. Per oppositum N. Gavardi cum alijs distinguit subsistentiam à suppositalitate, asserens quòd subsistentia solùm dat effectum positivum existendi per se, quo redditur subsitá-

tia

tia independens ab alio, ut sustentante. Alter autem effectus incommunicabilitatis, non est effectus subsistentiæ, seu suppositalitatis, additæ substantiæ. Suadetur, quia secundæ substantiæ, v.g. *vivens, sensibile, rationale*, verè subsistunt, quia substantiæ sunt, & verè completæ complemento substantiæ, quod est subsistentia: & tamen non sunt incommunicabiles alteri, ut supposito, quia hoc solum convenit primæ substantiæ, nempe individuæ, quæ sola est suppositum, & sola habet suppositalitatem: ergo subsistentia est modus additus existentiæ, & dans perfeitatem; suppositalitas autem est modus additus subsistentiæ, dans incommunicabilitatem.

Hæc sententia est etiam probabilis, & facilè ostendit, quomodo natura Divina pro priori ad Personas subsistit, quin sit incommunicabilis, item quomodo anima nostra separata subsistit, & manet incommunicabilis corpori, & humano supposito. Quia nempe habent subsistentiam, sed non suppositalitatem, à qua sola constituitur suppositum, quod est incommunicabile. Est tamen difficilè in hac sententia ostendere, quomodo suppositalitas est forma positiva, addita subsistentiæ, si tamen effectus formalis illius est pura negatio, & nil dat positivum substantiæ.

10. Noster M. Villanova 1. Physic. disp. 7. dub. 3. per totum disputat de subsistentia, & ostendit ex D. Thoma in 3. Sent. dist. 6. q. 1. art. 2. ad 5. & 3. p. q. 4. art. 2. ad 2. & alibi: nec non ex N. B. Ægidio in 3. Sent. dist. 5. p. 3. q. 1. art. 2. ad 3. Et Quodlib. 2. q. 2. & alijs locis; quòd subsistentia non est res, aut modus distinctus ab existentia substantiæ. Hanc sententiam docent plures nostri, nec non alij ex antiquioribus Thomistis, citatis à Villanova; & supposita distinctione essentiæ ab existentia, hanc puto probabiliorem Suarius in Metaphylica disp. 34. sect. 3. & absolutè illam defendit Cardin. Aguirre.

Non intendimus hic hanc sententiam ex professo dilucidare, de qua Deo dante in Metaphysica, eam tamen hic insinuare, & explicare congruum est. Pro quo dicimus quòd subsistentia addit existentiæ solam perfeitatem, hæc perfeitas non est res, aut modus additus existentiæ, sed quidditas realis, consistens in exercitio existendi per se cum independentia ab alio, ut sustentante, & cum incommunicabilitate alteri ut supposito. Hoc exercitium est aliter defectibile, quod patet, tùm in Humanitate Christi, tum in anima nostra separata. In Humanitate Christi, quæ juxta B. Ægidium in 3. dist. 6. p. 3. q. 1. art. 2. habet propriam existentiam, *quia aliàs non esset perfectus homo si defecisset ei aliquid, quod esset de perfectione naturæ humanæ*; & tamen non habet subsistentiam propriam, quia deficit exercitium existendi in se, & per se, dum assumitur ut existat dependenter à supposito Verbi Divini.

Quod autem hoc exercitium, non sit entitas, aut modus additus existentiæ, patet ex locis anteà datis N. B. Ægidij, & Div. Thomæ, & insup[illegible]

exemplo

exemplo Ægidiano partium quantitatis. Sume tibi lineam, hæc constat ex partibus unitis: amputa; quælibet pars separata erit linea, & totum, cùm antè divisionem non fuisset totum, sed pars. Quid ergo recepit per divisionem? Certè nullam entitatem, aut modum, sed solùm novum exercitium, quod ntea erat impeditum. Sic humanitas Christi habens propriam existentiam, nunc per eam non subsistit, quia subsistit in Verbo Divino, cui est unita. Si tamen dissolveretur unio hypostatica, & humanitas dimitteretur, tunc sine additione entitatis, aut modi, existentia humanitatis haberet exercitiũ subsistendi, quare acquireret novam quidditatem, non tamen novam entitatem, aut modum. Pro nunc satis.

11. Personalitas diffinitur cũ Boëtio *Rationalis naturæ individua substantia*. Vel cum Richardo de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 22. *Rationalis naturæ incommunicabilis existentia*. Ex hac diffinitione confirmatur doctrina Ægidiana de subsistentia indistincta ab existẽtia. Et observa quòd sola individua naturæ intellectualis sunt personæ, in alijs naturis sunt suppositã. Quare de solo Deo, Angelis, & hominibus dicitur Persona.

Observa etiam quòd sententia explicata pro subsistentia, est valdè cõformis doctrinæ datæ in hoc libro q. 9. §. 3. Vbi diximus ex D. Thoma, & B. Ægidio, quòd sicut in forma sunt gradus essendi, sic in existentia sunt gradus faciendi existere. Quare sicut in forma est gradus entis, gradus substantiæ, corporis &c. usque ad gradũ

individualem; sic in existentia est gradus faciendi existere, qui convenit omni enti; gradus faciendi existere per se, qui convenit omni substantiæ, gradus faciendi existere independenter, & incommunicabiliter, & hic convenit solis primis subsistãtijs, sibi relicti. Omnis hi gradus dicunt unicam entitẽ existentiæ, sed ad ut iversa exercitia defectibilia, ut dictum est, & eis dicitur existentia, subsistentia, suppositalitas, Personalitas, & individualitas.

Tandem observa, quòd Scotus cum suis dicit subsistentiam non addere existentiæ, nisi duas negationes independentiæ, & incommunicabilitatis; quod assertum acriter impugnatur à Thomistis. Nostra sententia Scoticæ videtur annuere, sed vitabis impugnationes, dicendo subsistentiam non esse puram negationem, sed positivum exercitium existendi per se, quod connotat duas illas negationes.

§. II.

Proponuntur fundamenta sententiæ identificantis essentiam cum existentia.

12. NEGANT essentiam creatam distingui realiter ab existentia omnes Nominales, ursus Aureolus, Durandus, & alij antiqui. Ex nostris Greg. Arimin. in 2 dist 8. q. 2. art. 2. ad 2. S. Thomæ, Venetus, Albiz, & Franciscus à Christo. Ex DD. Societatis uterque Suarius, Hurtado, Arriaga, & alij frequenter, ut ex RR. constat. Pro eadem citatur Scotus in

3.

3. dist. 6. quæst. 1. Licèt à suis exponatur pro sua distinctione formali ex natura rei. Quam sententiam adeò prolixè defendit Suarius Granatensis in Metaphysica disp. 31. ut omnes ingenij sui vires in ea persuadenda impendisse videatur.

Probatur 1. ex Aristot. 4. Metaphysicæ cap. 2. textu 3. ubi probat quòd ens, & unum, non sunt distincta, quia, ut ibi exponit D. Thomas: *Quæ simul generantur, & corrumpuntur, sunt idem.* At essentia, & existentia creaturæ simul generantur, & corrumpuntur; non enim possunt invicè separari: ergo juxta Philosophum, & D. Thomam, sunt idem. Vrgetur. Implicat essentiam esse in rerum natura, & non existere; existere non potest sine existentia; unde nequit esse in rerum natura esse ut a sine existentia. At inde eodem argumento probat D. Thomas, & Aristot. ens & unum plenè identificari: ergo inde evincitur etiã existentiam identificari in realis um essentia.

13. Probatur 2. ratione, quã putant demõstrativam DD. hujus sententiæ. Essentia creata est per identitatem ens reale; quare non distinguitur ab eo, per quod constituitur in ratione entis realis: sed per existentiã constituitur essentia ns reale: ergo non distinguitur ab existentia. Probatur min. 1. Quia essentia, ut contradistincta ab existentia, est nihil; aliàs antequam haberet existentiam, esset ens positivum in rerum natura, quod implicatorium est. 2. Quia per aliquid constituitur essentia in r ione ti- reale; at hoc est existentia; quia si in esse tia præscinditur ab existẽtia, præscinditur à statu existentiæ; essentia præscinde s à statu exi entiæ, est purum nihil, & n habet esse positivũ actuale. 3. Quia per solam existentiam ponitur essentia extra causas, & opponitur statui posibilitatis, in quo erat nihil: sed opponitur suo nihilo per suam entitatem: ergo per suam existentiam constituitur ens reale.

Hoc argumentum aliter proponitur à P. Hurtado in Metaphysica disp. 8. sect. 4. subsect. 1. sic: Omnis ratio per quam aliquid est ens simpliciter, est ratio per quam existit: sed essentia Petri existentis est ratio per quam ipsa, & Petrus, sunt ens simpliciter: ergo essentia Petri existentis, & non aliquid ab ipsa distinctum, est ratio per quam ipsa, & Petrus existunt: unde non existunt per existentiam distinctam ab essentia. Consequentia (ait Hurtado) est in *Darij* Major. Et D. Thom. 1. p. q. 5. art. 1. ad 1. his verbis: *Secundùm hoc simpliciter aliquid dicitur ens secundùm quod primò discernitur ab eo quod est in potentia tantùm.* Ergo juxta D. Thomam ratio essendi ens simpliciter est ratio, quã distinguitur ab ente in potentia: & hoc est existẽdi ratio.

Minor est etiam D. Thomæ ibidem his verbis: *Hoc autem est esse substantiale rei uniuscujusque. Vnde per suũ esse substantiale dicitur unumquodque ens simpliciter.* Ergo ex D. Thoma ens simpliciter, & in actu opposito enti in potentia, sunt formalissimè idem. Item ens per suam substãtiam est ens

simpliciter: ergo per illam est in actu opposito enti in potentia.

Confirmatur ab eodem. Vel essentia & existentia sunt duo entia distincta, vel unum tantùm. Si unum? Ergo per unum & idem, Petrus est homo, & existens; & sic existentia nõ distinguitur ab ejus essentia. Si sunt duo? Ergo unumquodque constituitur in ratione entis per suam entitatẽ distinctam. Patet hoc, quia unica entitas non sufficit duo diversa constituere. At hoc est clarè contra D. Thomã allegatum, & contra veritatem, quia per suum unicum esse constituitur res ens simpliciter, & existens: ergo essentia non redditur existens per aliquid distinctum, sed per se ipsam.

Confirmatur 2. ab Arriaga sic: Si essentia & existentia sunt duæ res, actu extractæ à statu possibilitatis: ergo per actionem productivam vel utraque extrahitur, vel una solùm, scilicet existentia. Si secundum? Ergo essentia nunc nõ erit magis producta, quàm ab æterno; & sic erit independens à Deo, & improducta; quare non erit creatura, quod est absurdum. Si primum, nempe utramque produci? Ergo jam essentia, ut distincta ab existentia, per se ipsam producitur, & est extra causas. Vt quid ergo huic essentiæ addis existentiam distinctam, si ipsa ratione sui producitur, & est extra causas?

Confirmatur 3. ab eodem ex doctrina Thomistarum, docentium humanitatem Christi existere per existẽtiam Verbi Divini. En argmentum: Humanitas Christi D. terminat in tẽpore actionem sui productivam; alioquin non esset magis producta in tempore, quàm ab æterno. At humanitas illa non producitur de novo in tempore ratione existentiæ; quia existentia Verbi est improducta: ergo humanitas producitur ratione sui, & se sola: ergo se sola, & ratione sui est extra causas: ergo se sola existit. Prima cõsequentia est bona; secunda certa, quia produci est poni extra causas. Vltima consequentia patet ex diffinitione existentiæ, quæ est *Actus, quo res ponitur extra causas*. Si ergo humanitas ratione sui ponitur extra causas: ergo ratione sui existit, & non per existentiã distinctam.

Confirmatur 4. ab eodem: Iuxta aliquos Thomistas potest destrui existentia, manente essentia indestructa. Rursus potest divinitus existere existentia sine essentia. En sic: Quando destructa essentia manet existentia, potest Deus iterùm producere essentiam destructam, & eam ponere sub existẽtia. Quis hoc neget? Nunc sic. In hac productione solùm producitur essentia, quæ destructa erat, ut patet: ergo essentia ratione sui ponitur extra causas, & non ratione existentiæ, quæ nõ producitur de novo, sed erat producta: sed quod ratione sui terminat productionem, & ponitur extra causas, ratione sui existit: ergo quæcumque essentia ratione sui potest existere, & sine alio distincto.

14. Si respondeas huic, & alijs confirmationibus, tunc produci de novo unionem essentiæ ad existentiã. Contra, Nam in ipsa etiam unione urget

get argumentum; cùm etiam sit difficultas, an ipsa essentia unionis producatur? Quòd si concedas essentiam unionis ratione sui produci, & poni extra causas; idem teneris dicere de alijs essentijs.

Confirmatur ultimò ab Arriaga. Si essentia Angeli distinguitur ab ejus existentia, quando producitur ejus existentia, non fiet per creationem: sed hoc est falsum, cùm Angeli sint ingenerabiles, & solùm à Deo creabiles: ergo & quòd in eis essentia distinguatur ab existétia. Probatur maj. Quando producitur existentia Angeli, vel supponitur jam producta essentia Angeli, vel non producitur. Si primum? Ergo existentia Angeli fit ex præsuppositó subjecto, scilicet ex essentia præsupposita, & sic non creatur. Si secũdum? Idem sequitur, quia supponitur essétia Angeli ab æterno improducta; quare præsupponitur subjectum existétiæ, fitque hæc ex subjecto præsuppositó.

Tertium fundamentum hujus sententiæ est hoc. Essentia pro priori ad existentiam superadditam, existit: ergo identificatur cum sua existentia, & superfluit existétia superaddita. Probatur antecedens. Essentia pro priori ad existentiam additam, est potẽs proximè illam recipere: ergo & illã causare in genere causæ materialis; ergo pro illo priori existit. Patet hæc consequentia, quia omnis causa pro priori ad suum effectum, est tunc potiùs potens ad ipsum, quàm erat anteà: ergo tunc est existens. Hoc patet: quia causa præscindens ab existentia, nõ est potiùs nunc, quàm anteà, proximè potens.

Confirmatur 1. Essentia, ut est extra causas, antecedit existentiam superadditam: ergo existit pro priori ad illam. Patet consequentia. Quia essentia extra causas, est essentia existés. Antecedens probatur. Nam essentia possibilis, & intra causas, nequit esse receptivum existentiæ: ergo essentia, quæ antecedit ut receptivum existentiæ, est essentia extra causas.

Confirmatur 2. Essentia existens debet esse receptivum existentiæ additæ: ergo ante illam debet essentia existere per se ipsam. Probatur antecedens. Existentia debet recipi in essentia: sed non in essentia possibili, nec in essentia futura, nec in essentia præterita: ergo solùm in essentia existente.

Confirmatur 3. Solùm essentia ut producta, potest recipere existentiã: sed essentia, ut producta, est essentia existens: ergo essentia existit pro priori ad existentiam superadditam. Probatur min. 1. Quia essentia, ut terminat actionem productivam, est aliquid; & sic existens. 2. Essentia, ut producta, discernitur à se ipsa dum est intra causas producentes; & non per aliud, nisi per existentiam; nam effectum esse intra causas, solũ tollitur per hoc quòd sit in se ipso; esse in se ipso est existere. 3. Quia essentia existens, ut distincta ab existentia superaddita, terminat actum scientiæ Divinæ, distinctum ab eo, quem terminat existentia, cùm actus Divinæ scientiæ differant per rationem juxta distinctionem realé objectorum: ergo vel actus scientiæ Di-

vi_æ ſic terminatus ad ſolam eſſentiã, eſt actus ſimplicis intelligentiæ; & tũc eſſentia ſic cognita, erit purè poſsibilis: vel ſt actus ſcientiæ viſionis, & tunc eſſentia ſic cognita, ut diſtincta ab exiſtentia, erit eſsentia exiſtẽs per ſe ipſam.

16 Hoc fundamentum aliter, & ingenioſiùs proponitur ſic: Poſita in rebus eſſentia cum exiſtentia ſuperaddita, deficit à rebus carentia talis eſſentiæ: ergo eſsentia, ut diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita, eſt formalis exiſtentia ſui. Probatur conſequentia. Exiſtentia formalis eſsentiæ poſitæ in rebus, eſt id, per quod deficit à rebus ejus carẽtia: ſed defectus formalis carentiæ eſsentiæ à rebus, eſt ipſamet eſsentia in rebus, ut diſtincta ab exiſtentia: ergo ipſame eſt exiſtentia ſui. Major eſt certa, nam defectus formalis unius contradictorij, eſt exiſtẽtia formalis alterius; & patet quòd eſsentia, & carentia eſsentiæ contradictoriè opponuntur. Minor probatur: Nam defectus formalis carentiæ eſsentiæ à rebus, non eſt exiſtentia ſuperaddita: ergo eſt eſsentia, ut diſtincta ab exiſtentia ſuperaddita. Antecedens patet, quia exiſtentia eſt defectus formalis carentiæ ſui ipſius à rebus.

17. Aliud fundamentum hujus ſententiæ, quo inſtatur, & diſſolvũtur rationes Thomiſtarum, eſt hoc: Exiſtentia aliquam habet eſſentiam: ergo vel eſſentia exiſtentiæ exiſtit per exiſtentiam identificatam, vel per exiſtentiam diſtinctam. Si primum? Ergo idem de alijs eſſentijs. Si ſecundum? Ergo datur proceſſus in infinitum. Nã ſi eſſentia exiſtentiæ exiſtit per exiſtẽtiam diſtinctam: ergo de illa exiſtentia diſtincta reddit argumentum, nempe an ejus eſſentia exiſtat per exiſtentiam diſtinctam? Si affirmes, datur proceſſus uſque ad infinitum venias ad eſſentiam exiſtentiæ, quæ exiſtat per ſe ipſam.

Confirmatur ex alio principio. Eſse juxta Thomiſtas eſt effectus formalis formæ: ſed effectus formalis formæ non diſtinguitur ab ipſa forma, ut fatentur Thomiſtæ: ergo exiſtentia, & eſse non diſtinguitur à forma: ſed forma eſt eſsentia compoſiti: ergo eſsentia non diſtinguitur ab exiſtẽtia.

Tandem. Si eſsentia diſtingueretur ab exiſtentia, unirentur media unione diſtincta: at hæc implicat: ergo & id, quod &c. Probatur min. Vnio illa non poteſt eſse accidentalis, quia exiſtentia non eſt accidens reſpectu eſsentiæ. Nec poteſt eſse ſubſtantialis, quia exiſtentia jam ſupponit cõpoſitionem ſubſtantialem ex materia & forma: ergo &c.

§. III.

Proponuntur fundamenta ſententiæ diſtinguentis eſſentiam ab exiſtẽtia.

18. SENTENTIA diſtinguens docetur expreſsè à D. Thoma, cum quo Thomiſtæ; eſt etiam B. Ægidij, quem ſequuntur DD. noſtri citati à Vi''anova hìc. Ex PP. Scie at's Molina. Rub . C n m ricenſes, Fonſeca, & Albertinus citati à Cardinal. Aguirre in Philoſophia diſp. 10. lib. 1. Omnes propugnant diſtinctionẽ realẽ, li-

licè aliqui solam modalem, alij entitativam rei à re. Hæc distinctio entitativa videtur expressior in D. Thoma opusc. 48. tractatu 2 cap. 2. ubi ait: *In creaturis esse essentiæ, & esse actualis existentiæ, differunt realiter, ut duæ diversæ res.*

Probatur 1. hæc sententia ratione D. Thomę, quam post verba laudata format sic S. Doctor per hæc verba. *Illud enim, quod est extra essentiam alicujus, differt realiter ab ea; esse autem actualis existentiæ est extra essentiam rei. Nam diffinitio indicat essentiam rei; esse autem actualis existentiæ est extra diffinitionem, quia in diffinitione solùm ponitur genus, & differentia, & nulla fit mentio, utrum res diffinita existat, vel non existat. Apparet enim manifestè: nam impossibile est intelligere aliquam rem, non intelligendo ea, quæ sunt de essentia ejus; constat tamen quòd ego intelligo rosam, non intelligendo utrum actu sit, vel non. Ergo actu esse, vel esse actualis existentiæ differt realiter ab essentia.* Hæc S. Doctor.

Cujus ratio ad formam nostram reducitur sic. Quod est extra essentiã creaturæ, realiter distinguitur ab essentia ejus: sed existentia est extra essentiam creaturæ: ergo distinguitur realiter ab ejus essentia. Major patet ab oppósito; nam quod identificatur cum essentia, non est extra, sed intraneum, & identificatum. Minor patet, 1. quia tota essentia explicatur per diffinitionem, ubi nulla fit mẽtio existentiæ, quæ nec est genus, nec differẽtia rei. 2. Quia benè intelligimus rosam, quin intelligamus ejus existentiã, sive an existat, nec ergo quia existentia est extra essentiam. Patet consequentia, quia nil potest cognosci sine eo, quod est de ejus essentia.

Confirmatur hæc ratio à Thomistis. Sic. Quod prædicatur de alio accidẽ aliter, ab illo distinguitur realiter: sed existentia prædicatur de essentia creata accidentaliter: ergo realiter distinguitur ab essentia creata. Major & minor sunt certę, quia hæc est prędicatio accidentalis *essentia existit*. Vrgetur. Essentia quælibet potest intelligi sub negatione existentię: & tamen non potest intelligi sub negatione essentiæ; alioquin posset intelligi sub negatione sui ipsius: ergo signum est distinctionis essentiæ ab existentia. Patet consequentia, quia id, quod potest intelligi sub negatione alicujus prædicati, potest intelligi sub negatione omnis cum illo identificati. Major etiam est certa, nam omnis essentia creata potest non existere: ergo potest intelligi sub negatione existentiæ suæ. Tandem. Omnis essentia creata est separabilis à sua existentia; cùm omnis possit à Deo destrui, & annihilari: sed quæ realiter separantur, realiter distinguũtu: ergo &c.

19. Hæc ratio efficax, ut proposita à D. Thoma, non est efficacior, ut urgetur à suis discipulis; ideò non parum infirmatur ex alia sententia aliquorum Thomistarum, docentium unionem materiæ & formæ, esse ab eis indistinctam. Nam certè unio prædicatur accidentaliter de materia & forma. Rursus materia, & forma possunt in-

intelligi sub negatione unionis; non tamen sub negatione sui ipsarū. Tandem teria,& form ossunt se, ari ab unione,plus quàm essentia ab existentia,cùm essentia deficiat separata ab existentiā; materia,& forma separatæ ab unione consistant: ergo vel ratio hic facta,deserenda est; vel sententia de unione indistincta mutāda.

Si dicas,unionem quoad exercitium esse separabilem, & ædicari accidentaliter e materia, & forma, non autem quoad entitatem. Contra: nam etiam DD. primæ sententiæ idē respondebunt de existentia quoad exercitium, negantes de ea quoad entitatem,quo negas de unione, ut ā propugnes indistinctam. Restat ergo, ut vel talem sententiam reponas, vel rationem hìc factam derelinquas.

20. Secundum fundamentum hujus sententiæ est ostendere quòd ex identitate essentiæ cum existentia sequitur infinita, quæ omni creaturæ repugnat. Ostēditur sic: omnis actus ultimus identificatus cum primo,arguit infinitatem: sed existentia est actus ultimus in linea essendi, in qua essentia est actus primus: ergo ex identitate essentiæ cum existentia, sequitur infinitas; quæ cùm repugnet creaturæ,ei repugnat talis identitas. Minor patet ex D. Thomā dicente existentiam ita: *Est actus ultimus, qui participabilis est ab omnibus, ipse autē non participat*, ideſt actualitas, quæ recipitur in omni creatura participāte,ipsa autem existentia non est participativa,nec receptiva ulterioris actualitatis: at actualitas non receptiva ulterioris,est ultima: ergo existētia est ultimus actus. Præterea. Existētia in linea essendi est ultimum exercitium: ergo est ultimus actus in ea linea. Patet consequentia, quia ideò operati_ _s _l_imus ac_ in linea opera di,quia in linea operativa est ultimum exercitium: ergo pariter de linea essendi, & d quac mque universaliter.

Major in qua est difficultas multi liciter probatur. Et 1. sic. Omnis actus identificatus cum ultimo,exhaurit totam perfectionem illius lineæ,in qua est actus primu, & ultimu: sed hoc est esse actum pur s m , & infinitum in ea linea: ergo &c. 2. Si intellectus identificaret nostram intellectionem,esset infinitus lin_a intelligendi; in ea esset act purus, & exhauriret o am perfectionem illius lineæ. 3. Actus primus identificatus cum ultimo, non habet unde limitetur: ergo st infinitus, & illimita s. Antecedens probatur. Omnis limitatio provenit ex tec_ptione; quare id solum e li itatum, quod vel si receptibile in alio, vel receptivum alterius: sed essentia identificata cum existentia, non est receptibilis in alio, nec ulterioris actus eceptiva: ergo s illimitata.

21. Hæc ratio aliquando nobis apparuit ceteris efficatior, eo maximè, quia Cardin. Aguirre, & alqui Thomisę eam proponunt, ut desumptam ex D. Thoma 1. p. q. 3. art. 4. Sed ut incipiam ab hoc ultimo, ratio ista D. Thomæ non est l co laudato.

dato. Nam ibi S. Doctor probat quòd existentia Dei identificatur cum ejus essentia, hac triplici ratione. 1. quia, quod est distinctum ab essentia, debet esse causatum; esse Dei non est causatum; quare nec distinctum ab essentia. 2. Quia esse est actualitas, quæ si non identificatur cum essentia, oportet in essentia ponere potentialitatem ad esse: sed in Deo nulla est potentialitas: ergo nec distinctio essentiæ ab existentia. 3. Quia quod habet ignem, & non est ignis, est ignitũ per participationem: sed Deus habet esse, & non per participationem: ergo per identitatem est ipsa existentia. En doctrina D. Thomæ, ubi nec verbum de infinitate secuta ex identitate actus ultimi cum primo; quam si approbare, concludi nem istam si probasset, nempe: Deus in omni linea infinitus est: sed infinitum petit identitatem actus ultimi cum primo: ergo Deus in linea essendi identificat existentiam. Quidquid sit.

Hæc ratio non probatur N. Villanovano, & alijs ejusdem sententiæ, quia plenè instatur in causalitatibus materiæ & formæ, uę apud Thomistas identificãtur cum materia, & forma. Rursus in unione, quæ cum eisdẽ identificatur de mente plurium Thomistarum, ut ipsos redarguit Magist. Palanco, cujus redargutiones dedimus suprà q. 18. num. 7. & tamen non sequitur infinitas in ea linea ex identitate ultimæ actualitatis, & exercit. talis lineæ: ergo nec in præsenti sequitur. Quòd si respondeas, lineam essendi dicere perfectionem, secus linean recipiendi, informandi, & unionis, quæ fit per informationem, & receptionem. Contra. Nam etiam existentia materialis, operatio sensi va, discursus &c. dicunt imperfectionem: & tamen si tenet ratio tua, ex earum identitate probas infinitatem.

Addimus in sententia D. Thomæ, docentis repugnare duos Angelos ejusdem speciei, quilibet v.g. Gabriel, exhaurit totam perfectionem speciei Gabrielis; & tamen in ea specie infinitus non est; eò quòd tota perfectio exhausta, non est perfectio infinita. Ergo licèt Petrus v.g. identificans suã existentiam, exhauriret totam perfectionem lineæ suæ individualis (imò demus ipsum exhaurire totam perfectionem existentiæ humanę) adhuc non esset infinitus, eò quòd perfectio exhausta, non esset infinita. Si ergo tota perfectio speciei Gabrielis, ab eo exhausta, infinita non est: ergo nec tota perfectio hominis, quem Deus minuit paulò minùs ab Angelo, infinita non erit: ergo ex quo xhauriatur per identitatem, non sequitur infinitas.

22. Quidquid sit de instantijs, ratio facta solida non videtur. Ipsa partim supponit, partim probat existentiam esse actum ultimum in linea essendi. Hoc assertum, sic absolutè prolatum, falsum est, & alienum à S. Doctore, cujus authoritate firmatur. Vel ergo linea essendi sumitur genericè, ut sumitur ratio entis communis substantiæ, & accidenti; & hoc modo existentia est actus ultimus, postquam in ea inest non est finis. Vel sumi-

sumit r completè linea essendi, secùm ·mnes sui gradus; & hoc modo existentia ctus ult'm non e , sed primus, vel intermedius, ultra quem datur subsistentia, suppositalitas, & individualitas. Scimus Thomistas RR. huic doctrinæ refragari, putantes subsistentiam præcedere existentiam, & ob id vocant subsistentiam actum intermedium, & existentiam ultimum. At q àm verius teneamus oppositum, constabit ex sequentibus, nec parum liquet ex hìc dictis à num. 7.

Arguimus sic. Implicat quòd essentia priùs intelligatur subsistens, quàm existens: ergo implicat quòd subsistentia sit actus intermedius, & existentia ultimus. Prob.ans. Si essentia priùs intelligeretur subsistés, quàm existens, pro illo priori, quo essentia subsisteret, non i t llig retur existen-t'a: hoc impli a : ergo. Probatur minor. Sub stere est existere per se: sed implicat quòd essentia intelligatur existere per se sine existentia: ergo &c. Minor cum consequentia tenet, & m jor patet t m ex ictis num. 7. tum quia apud omnes subsistétia reddit essentiam independentem ab alio, ut sustentante; hoc est idem ac reddere existentem per se.

Rursus. Existentia est complementum entis, ut ens est, quare eis convenit omnibus, quibus convenit ens; subsistentia est complementum substantiæ, ut substantia est, quare soli substantiæ convenit: sed implicat quòd complementum substantiæ in linea essendi intelligatur ante complementu entis; sicu i..p..ca..n ..- nea essendi quòd gradus substantiæ intelligatur ante gradum entis: ergo implicat quòd subsistentia intelligatur ante existentiam.

Explicatur. Linea essendi, quæ juxta D. Thomam allegatum à nobis q. 9. §. 3. & juxta communem philosophiam, habet g adus, sic percipitur, & distribuitur, ut superiores sint ante inferio es; quare in hom ne v.g. primò concipimus quòd sit *ens*, deinde *substantia*, posteà *corpus*, *ivens &c.* Ergo cùm in uolibet gradu sit homo ens com letum, ei correspondét complement eodem o in, quo gradus essendi distribuuntur. Sed gradus entis est prior, gradus substantiæ posterior; erg existentia, quæ est complementũ entis, est prior; & subsistentia complens substanti m, est po erior. Ergo s bsiste tia in nu la inea e actus ntermedius rel tè ad existent am, sed semper u timus.

Probatur hæc consequentia ex dictis. Nam vel sumitur linea essendi gener cè, ut communis substantiæ, & a cidenti; & tunc in hac lineá subsistentia non est, quæ non est complementum entis ut sic, sed solius entis substantialis. Vel sumitur linea essendi a æquatè, secundùm omnes suos gradus; & tunc sicut gradus substantiæ est post gradum entis, sic ejus complementum est post existentiam complentem ens. Ergo nunquam subsisten i est actus intermedius relatè ad existentiam, sed è contra existentia mediat, & subsistentia sequitur.

23. Dices. Existentia per nos est complementum entis: sed subsistentia

stentia est ens: ergo existentia est cõplementum subsistentiæ: ergo est actus posterior ad subsistentiam. 2. Subsistentia sic dicitur, quia est *sub existentia*: ergo supra subsistentiam præsuppositam venit existentia; & sic est actus ultimus. 3. Demus quòd existentia sit actus ultimus in sola linea essendi generica; jam ratio Thomistica probat infinitatem in ea linea ex identitate essentiæ cum existentia: at creaturæ repugna infinitas in quacũque linea: ergo ratio Thomistica benè probat, repugnare identitatem essentiæ cum existentia in creatis.

Hæc leva sunt. Et primum instatur. Nam subsistentia est complementum substantiæ: sed existentia substantiæ est substantia: ergo subsistentia est complementum existentiæ, & sic posterior ad existentiam. Dicimus existentiam esse complementum entis nominalis, non entis participialis; quare est complementum essentiæ, quæ est ens nominale, non autem subsistentiæ, quæ vel non est res, sed modus; vel dato esse rem, quia in nostris principijs subsistentia non addit entitatem supra existentiam, quare est entitas existentiæ, cum quidditate perfectitatis addita; est ens participiale, nec hoc completur, sed est complementum aliorum. Ad secundum dic, quòd ly *sub*, intelligitur prædicamentaliter, nõ situaliter. Sicut species subalterna sic vocatur, quia ponitur sub alijs prædicatis superioribus, v. g. *sensibile* sub *vivente*: at in hoc non denotatur quòd prior sit conceptus sensibilis, quàm viventis, sed è contrà: ergo dum subsistentia dicitur *sub existentia*, non denotatur quòd sit ante, sed post existentiam.

Ad 3. dic, nos stare pro sententia Thomistica circa distinctionem essentiæ ab existentia, non obstante ratione in contrarium adducta. Probet, ut velis; sic erit firmior sententia nostra rationibus Thomisticis, additis quas infrà adducemus. Si tamen hæc præsens nil amplius probat quàm infinitatem in linea essendi generica, forsan nihil probat. Nam creatura sub ratione generica entis non est creatura, nec est Deus, sed quid præscindens ab utroque, & abaliente, à Deo, & creatura: ergo data secundùm illum conceptum identitate, non sequeretur infinita, quia si conceptus ille præscindit à Deo, & creatura, præscindit ab infinitate, & finitudine: quare non esset infinitus. Rursus dato esse infinitum, non esset infinitus positivè, sed negativè, vi præcisionis a quolibet ulteriori gradu substantiæ, & talis entis; in quo existentia non est ultimus actus, sed intermedius, & aliorũ susceptivus. In hoc sensu intellige authoritatem Div. Thomæ adductam n. 20. ne pro existentiam esse ultimum actum in linea entis generica, non in linea completa essendi. Et idem dic ad probationem ibi inductam.

24. Aliter probatur sententia Thomistica à Moneda Benedicti-no ratione, quam vocat specialem, & efficacem, sic. De fide est subsistentiam realiter distinguitur; nam Christus Dñs subsistens per subsistentiam Verbi, assistit propriam: &

cùm ſeparatio realis ſit ſignum realis diſtinctionis, ſit quòd ſubſiſtentia realiter diſtinguitur à natura creata. Ergo etiam exiſtentia. Probatur conſequentia. Implicat quòd eſſentia identificetur cum exiſtentia, & non cum ſubſiſtentia: ſed cum ſubſiſtentia nequit identificari, ut docet fides: ergo. Probatur major. Exiſtentia eſt actus ultimus, ſubſiſtentia eſt actus intermedius: ſed implicat quòd eſſentia identificetur cum ultimo, & non cum intermedio: ergo implicat &c.

Hæc ratio ſupponit quòd ſubſiſtentia eſt actus intermedius; & hoc negant non ſolùm DD. primæ ſententiæ, ſed noſtri qui ſunt hìc pro Thomiſtica: quare inde nil probatur. Adde illud principium, nempe implicat identificari cum ultimo, & non cum intermedio, non valere apud Thomiſtas. Nam ipſi docent quòd eſſentia Divina eſt mentibus Beatorum ſpecies impreſſa, & expreſſa ſui ipſius pro viſione beata. Ordo autem viſionis eſt hic, nempe, primò datur intellectus cum lumine, & ſpecie impreſſa, & totum hoc eſt actus primus intelligendi. Poſteà venit intellectio, aut viſio beata, quæ eſt actus ſecundus. Tandé adeſt ſpecies expreſſa, quæ aliquando eſt terminus intellectionis, ab ea productus; in viſione autem eſt terminus ſolùm contemplatus. En nunc quòd ſpecies impreſſa identificatur cum ultimo, nempe cum expreſſa, & non cum intermedio; quia differt à viſione media. Idem dic de Angelo, cognoſcente ſeipſum per ſuam ſubſtantiam: ergo ſtat identificari cum ultimo, & diſtingui ab intermedio.

Adde, quòd antecedens rationis Monedæ non eſt certum. Quia licèt ſit de fide quòd Chriſtus ſubſiſtit per ſubſiſtentiam Verbi, & non per propriam; non eſt de fide quòd ſit ſeparatus à propria. Plures docent (& hoc videtur probabilius) quòd ſubſiſtentia non diſtinguitur ab exiſtentia; & in noſtris principijs non diſtinguitur entitativè, aut modaliter, ſed quidditativè. Sed non eſt de fide Humanitatem Chriſti Dñi eſſe ſeparatam à propria exiſtentia; imò multi docent, inter quos B. Ægidius, quòd exiſtit per propriam exiſtentiam: ergo de fide non eſt quòd ſit ſeparatus à propria ſubſiſtentia. Eſt quidem impeditum exercitium ſubſiſtendi in ſe, per exiſtentiam in Verbo: & inde inferimus, quòd ſubſiſtentia differt quidditativè ab exiſtentia. At nec hoc eſt de fide, ſed merè opinabile, ſuppoſitis Fidei principijs.

25. Aliter probatur hæc ſententia ab alijs ſic. Chriſtus Dñs. exiſtit per exiſtentiam Verbi Divini, & non per propriam humanitatis: ergo realiter ſeparatur Humanitas à propria exiſtentia: ergo realiter ab illa diſtinguitur. Patet hæc conſequentia, quia ſeparatio realis ſignum eſt realis diſtinctionis, ut dictum eſt.

Hæc ratio ſolùm tenet inter Thomiſtas, docentes illam ſententiam de exiſtentia Chriſti Dñi; nil autem ſuadet alijs Theologis, & N. B. Ægidio, docentibus contrariam. Sed nec ipſis Thomiſtis valida eſt; quia ſicut ipſi dicunt de unione materiæ, & formæ,

mæ, quæ cessat quoad exercitium, nec deficit quoad entitatem; unde entitativè est indistincta ab extremis unitis. Sic dicere possunt de existentia, quæ in humanitate Christi deficit quoad exercitium; nec suaderi potest deficere quoad entitatem. Ergo ex antecedenti dato, non sequitur realis distinctio essentiæ creatæ ab existētia. Quid quid sit de probabilitate harū rationum, quas Magni DD. probavere, ut efficaces; verissimam putamus sententiam distinguentem essentiā ab existentia, quam aliter confirmabimus §. sequenti.

§. IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

26. NVLLA sententia expressior est in B. Ægidio, quàm hæc de distinctione reali essentiæ creatæ ab existentia. Eam confirmat ubique, sed præcipuè tractatu de Esse, & Essentia q. 12. Et cùm varias rationes in ejus favorem adduxerit M. Gavardi, qui tom. 1. Theologiæ q. de substantia Dei illas recitavit, non parum illas confundit cum fundamentis datis §. præcedenti. Distinctiùs procedit hic Villalpoya noster, segregans rationes efficaces ab inefficacibus; ex quo, vel fortè ex ambobus, sententiam, & probationes selectiores mutuabimus.

Dicimus quòd in omni creatura essentia distinguitur realiter ab existentia. Probatur 1. ex P. Augustino, cujus ratio formatur sic: Omnis creatura est mutabilis de non esse ad esse per productionem, & de esse ad non esse per desicionem, vel annihilationem; sed sine essentia realiter distincta ab existentia, non stat mutabilitas in omni creatura: ergo in omni stat distinctio essentiæ ab existentia. Maj. est Apost. Pauli ad Hebræos 1. ubi Deum immutabilem alloquens, dicit: *Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes velut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem semper idem es, & anni tui non deficient.* Supra quæ P. N. 5. de Trinit. cap. 2. ostendens omnem creaturam esse mutabilem, reponit sic: *Quod enim mutatur, non servat ipsum esse; & quod mutari potest, etiam si non mutetur, potest quod fuerat non esse.*

Probatur min. Non stat mutabilitas in omni creatura sine subjecto informi, quod mutetur ad esse de non esse, & de esse ad non esse: sed si essentia non distinguitur ab existentia, non stat subjectum informe, quod mutetur de non esse ad esse, & de esse ad non esse: ergo sine essentia distincta realiter ab existentia, non stat mutabilitas in omni creatura. Major est P. Augustini 1. de Genes. ad litt. cap. 14. ubi ait: *Omne mutabile ex aliqua informitate mutatur ad formam.* Vbi vides tria requiri ad mutationem, nempe *subjectum mutabile*; terminum *ex quo*, vel à quo mutatur, & hoc est informitas, ideſt carentia formæ; & terminū *ad quem*, nempe forma, & esse. Ob id S. Doctor lib. 12. Confes. cap. 6. tale subjectum informè agnoscit in mutabilitate rerum corporalium dicens;

Intendi in ipsa corpora, eorumque mutabilitatem altiùs inspexi, qua desinunt esse quod fuerant, & incipiunt esse quod non erant; eorumque transitum de forma in formam per informe quoddam fieri, suspicatus sum.

Minor autem probatur. Sola essentia creaturæ est quę mutatur de nō esse ad esse, & de esse ad non esse: sed si hæc essentia non distinguitur ab existentia, essentia non est subjectum informe, sed est ipsa forma, ad quam mutatur: ergo si essentia non distinguitur ab existentia, non stat subjectum informe, quod mutetur de non esse ad esse, & de esse ad non esse. Novit hoc P. Suarius in Metaphysica loco laudato, & ideò agens de causa materiali existentiæ, ipsam negat, & negare tenetur, si defendit identitatem ejus cum essentia. At hoc negare, est negare subjectū informe, quod formetur per existentiam; quo negato, negatur mutabilitas creaturæ de non esse ad esse, quæ salva fide negari non potest.

27. Clariùs proponitur ratio ista sic: Non minus omnis creatura est mutabilis existentialiter, quàm corporalia sunt mutabilia substantialiter: sed corporalia nō essent mutabilia substantialiter, si non daretur materia, quæ est subjectum informe, transiēs de non esse formæ ad esse formæ, & de una forma ad aliam formam, ut dictū est q. 3. ubi ex generatione & corruptione probata est existentia materiæ primæ: ergo sine subjecto informi mutabili existentialiter, non stat creatura existentialiter mutabilis. At hoc subjectum est sola essentia realiter distincta ab existentia: ergo sine distinctione essentiæ ab existentia, non stat mutabilitas omnis creaturæ. Probatur min. subsumpta. 1. à paritate materiæ, quæ realiter distinguitur à forma, per quam substantialiter formatur, & mutatur: ergo & essentia distingui debet ab existentia, per quam mutatur, & formatur. 2. Quia si materia identificaretur cum forma, non esset subjectum informe, sed formatum, immò ipsa forma: ergo nec essentia esset subjectum informe mutabilitatis existentialis, si identificaretur cum existētia. 3. Quia subjectum mutationis debet realiter distingui ab utroque termino ejus, ut patet in materia: ergo essentia, quæ est subjectum mutationis de non esse ad esse, debet realiter distingui tum à nihilo, tum ab existentia; quæ est forma dans esse.

Explicatur in Angelo, qui mutabilis est de non esse ad esse, sicut annihilabilis, & potens transire de esse ad non esse. Da terminos hujus mutationis; video non esse, quod est terminus *à quo*: video existentiam, & esse, quod est terminus *ad quem*; sed non video subjectum transiens de nō esse ad esse, nisi distinguas essentiam ejus ab existentia. Nam si identifices utramque, essentia nequit esse subjectum. Quod ostendo. Subjectum trāsiens de uno termino ad alium, debet distingui ab utroq̄ termino; alioquin non esset subjectum, sed esset ipse terminus: at subjectum transiens ad existentiam, est essentia Angeli: ergo nisi eam distinguas ab existentia, non erit subjectum. Ex-

Explicatur: Philosophi antiqui non agnoscentes materiam distinctam à forma, dixerunt nihil esse in Mundo, quod non esset ens simpliciter in actu formali. Sed quid inde intulit Aristoteles, & omnes cum eo? Certè, quòd non dantur novæ generationes, nec mutationes substantiales, sed solùm accidentales. Hæc consequentia est bona, quia deducitur ex illo principio, nempe non datur generatio substantialis sine subjecto; nec subjectum datur, nisi sit distinctum ab omni forma substantiali, ad quam mutatur. Ergo nec dabitur mutatio existentialis, nisi detur subjectum realiter distinctũ ab existentia, quod ad eam mutetur. Hoc subjectum est sola essentia, ut patet in Angelo, ubi nil est substantiale, nisi essentia, & existentia: ergo nisi distinguas essentiam ab existentia, nõ salvabis veram mutationem omnis creaturæ ad existentiam.

28. Dices: Hæc ratio instatur in essentia existentiæ, quæ mutabilis est, sicut Angelus; & tamen non distinguitur ab ipsa existentia, ut subjectũ informe distinguitur à forma, per quã formatur. Respondeo instantiam istam importunam omnibus probationibus sententiæ nostræ, non tenere hìc! Nã cùm essentia existentiæ sit essentia termini mutationis essentiæ distinctæ ab existentia, dicitur mutabilis per denominationem sumptam à mutatione, quam terminat; hæc mutatio revera habet subjectum distinctum à termino, nempe essentiam, cujus est mutatio: unde ut sit mutabilis hoc modo, non indiget distinctione à termino mutationis.

Explico hoc, ne confundaris utraque essentia: Voca essentiam Gabrielis *Gabrielem*; & essentiam existentiæ Gabrielis *Gabrieleitatem*. Vt Gabrieleitas sit mutabilis, non debet distingui ab existentia, quia est terminus mutationis Gabrielis; & hæc mutatio habet subjectũ distinctum à termino. At Gabriel, si non distinguitur à termino, non erit subjectum alicujus mutationis, & sic nulla erit mutatio ex defectu subjecti: quare nullomodo erit Gabriel mutabilis de non esse ad esse.

29. Probatur 2. conclusio nostra ex P. Augustino lib. 5. de Trin. cap. 10. ubi probat, quòd substantia differt à quantitate, quia non est quãta per essentiam, sed per participationem quantitatis. Verba S.P. sunt hęc: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, sicut magnus mons, & magna domus &c. aliud est magnitudo, aliud ea, quæ participatione magnitudinis magna sunt.* Ergo ex eodem principio probatur, quòd essentia creata differt ab existentia, quia nulla creatura existit per essentiam, sed solùm per participationem. Hanc consequẽtiam intulit D. Thomas Quodlib. 3. art. 20. dicens: *Omnis alia res præter Deum, est ens participativè; ita quòd aliud sit substantia in eo, aliud ipsum esse participatum.* Idem intulit q. de spiritualibus creaturis art. 1. Et ab oppositò, quia Deus non est existens per participationem, ideò in eo existẽtia identificatur cum essentia. Sic probat

S.

S. Doct. 1. p. q. 3. art 4.

Hæc ratio solidissima, quæ à B. Ægidio traditur etiam Quodlib. 1. q. 7. ubi ait: *Sicut naturæ corporales aliæ à quantitate, non sunt de se actu extensæ, sed in potentia ut extendantur per quantitatem; sic omnes naturæ aliæ à primo ente, non habent de se ut actu existant, sed sunt in potentia ad esse, & accipiunt esse ab ente primo.* Hæc inquā ratio non potest instari in essentia existentiæ, quæ est instantia familiaris DD. primę sententiæ. Nam sicut quātitas juxta P. Augustinum est essentialiter magnitudo, & extensio, quare per se ipsam extenditur; sic existētia est essentialiter existentia, & ultima actu litas; unde per se ipsam existit. Reliquæ autem essentiæ debent distingui ab existentia, sicut reliquæ entitates debent distingui à quātitate; quia non sunt per essentiam, sed per participationem quantæ, & existentes.

30. Secluſa hac impor una instantia, adest altera, quæ proponitur sic: Creatura non solùm habet existētiam participatam sed etiam essentiā, est enim ens ab alio, quatenus habet essentiam, & existentiam: sed ex quo creatura habeat esse essentiæ participatum, non sequitur quòd differat creatura à sua essentia; ergo nec quòd differat ab existētia.

Hæc instantia nedum est contra rationem nostram, sed contra P. Augustinum, suadentem ex hoc principio distinctionem quantitatis à re quanta; quia nempe res quanta est talis per participationem, secùs quantitas, quæ est extensa per essentiam. Contra hoc procedit instantia, qui, etiam quantitas est ens, & quidquid habet, per participationē habet à Deo, cùm sit quid creatū: ergo non erit quanta per identitatem, sed per distinctionem.

Omnes instantiæ procedunt ex non intelligentia sensus Augustiniani. Sensus Parentis nostri est, quòd quantitas eo modo est per essentiam magnitudo, & existentia per essentiam est actualitas essendi; quo homo est per essentiam animal rationale: sed homo ita est per essentiam animal rationale, ut hoc totum sit à Deo participatum, & ens ab alio: ergo non quælibet participatio probat distinctionem, sed illa sola, quæ est participatio formæ, distinctæ ab essentia participata. At homo participans à Deo essentiam, non participat formam distinctam ab essentia participata: ergo participatio illa essentiæ non est instans ad argumentum de quantitate, & existentia.

Vt hoc clarius explicant Philosophi, duas distinguunt participationes, unam intransitivam, aliam transitivam. In prima, res participata non distinguitur à subjecto participante, ut homo participans à Deo suam essentiam; quantitas participans à Deo extensionem; existentia participans à Deo esse. Omnes sunt participationes intransitivæ; & cum his stat habere perfectionem per essentiam, ut homo per essentiā est rationalis &c. In secunda, res participata distinguitur à participante. De hac est verum, quòd domus est magna per participationem transitivā quantitatis: & homo existit per participationē transitivam existentiæ.

tiæ. Vide utrobique probatur distinctio ex participatione.

Quæris, unde sciamus esse participationem trãsitivam? Respondemus nos id scire ex P. N. Augustino, & D. Thoma. Nam illud quod participatur *intransitivè*, est de conceptu primo, & essentiali participantis; quod autem participatur *transitivè*, est extra conceptum primum, & essentialem participantis, quare de ipso non potest dici quòd sit tale per essentiam. Audi P. Augustinum loco laudato in hac probatione, subdens verbis datis sic: *Quæ magnitudo* (idest quantitas) *utique primitus magna est, multòque excellentiùs, quàm ea, quæ participatione ejus magna sunt.* Nota ly *primitus*, ut videas quòd magnitudo est de conceptu primo, & essentiali quantitatis, & ideò quantitati sine distinctione convenit esse magnam; secùs aliis entibus, quorum essentia, & primarius conceptus, non est esse magna. Audi etiam D. Thomam opusc. 43. tract. 2. cap. 2. dicentem: *Illud enim quod est extra essentiam alicujus, differt realiter ab ea: esse autem actualis existentiæ est extra essentiam rei.* Ergo participatur *transitivè*, & cum reali distinctione.

Ex dictis formatur sic ratio probativa nostra: Quidquid participatur *transitivè*, realiter distinguitur à participante: sed creatura omnis existit per existentiam participatam *transitivè*: ergo creatura omnis distinguitur à sua existentia. Major patet ex P. Augustino, D. Thoma, & Ægidio, nec non ex dictis à ratione. Minor probatur. Existentia creaturæ est participata; sit docet fides, cùm sit ab alio: quòd autem sit participata *transitivè* probatur. Quidquid participatur, & non est de essentia participantis, participatur *transitivè*: sed existentia participata, non est de conceptu essentiali creaturæ participantis: ergo participatur trãsitivè. Major patet ex dictis, & minor probatur ex D. Thoma, & ex ratione ejus data num. 18. ubi probatum est quòd existentia est extra essentiam creaturæ: si extra essentiam: ergo nõ est de conceptu essentiali creaturæ.

32. Tertiò probatur conclusio nostra à ratione B. Ægidij, ostẽdo ex ipso, quòd negantes distinctionem essentiæ ab existentia, non agnoscũt medium inter nihilum, & ens simpliciter; quod non datur, neganda est materia prima, quia à Philosophis antiquis negata est, quia non agnoverũt medium inter nihilum, & ens simpliciter. Vide dicta num. 5. & 6.

Arguies sic. Vel non datur materia prima, quæ sit subjectũ generationis substantialis; vel essentia distinguitur ab existentia: sed primũ non cõceditur: ergo secundum concedẽdum est. Probatu maj. Vel datur medium inter ens simpliciter, & nihil; vel non datur. Si non datur: Ergo non datur materia prima. Patet consequentia tũ ex dictis q. 1. & 3. circa errores Philosophorũ. Tum quia materia est subjectum mutabile de non esse simpliciter ad esse simpliciter; unde distinguitur à nihilo, & ab ente simpliciter, medians ut subjectum transiens de unõ in aliud: tum quia ob id materia vocatur à P. Augustino *prope nihil*, quia

quia medium est, distinctum à nihilo, & ab ente simplicire. Ergo si tal medium non datur, non dabitur materia prima.

Si ergo datur tale medium? Ergo essentia distinguitur ab existentia. Probatur hæc consequentia. Si datur medium inter nihilum & ens simpliciter, datur medium inter nihilum & ens existens; sed medium hoc (si datur) est essentia distincta ab existentia: ergo si inter ens simpliciter & nihilum datur medium, essentia distinguitur ab existentia. Minor est certa, nam medium inter nihilum, & ens existens, (si datur) non potest esse essentia possibilis, quia hæc est nihilum: nec essentia futura, quia hæc est nihilum actuale; nec essentia reduplicativè ut existens, quia hæc non distinguitur ab ente existente, nec ab existentia: ergo tale medium, si datur, est sola essentia distincta ab existentia.

Major autem probatur. Implicat quòd extrema æqualiter distantia à nihilo, unum admittat medium inter se & nihilum; & aliud non admittat medium: sed ens simpliciter completũ, & ens existens, sunt extrema, æqualiter distantia à nihilo: ergo si inter ens simpliciter & nihilum datur medium, datur etiam inter ens existens, & nihilum. Major est nota, quia extrema quæ admittunt medium, magis distant, quàm quæ medium non admittunt: ergo si æqualiter distant &c. Minor probatur. Illa extrema æqualiter distantia à nihilo, quæ habent eandem rationem distandi à nihilo: sed apud vos ens simpliciter completum, & ens existens, habens eandem existentiam, quæ per vos est ratio constitutiva entis, & ratio distandi à nihilo: ergo æqualiter distant à nihilo.

33 Huic rationi duplex adest solutio. Prima, quòd materia non est medium inter nihilum, & ens simpliciter, de quo in præsenti. Nam ens simpliciter, de quo in præsenti, est ens existens: sed materia non est medium inter nihilum & ens existens; quia ipsa est ens existens per existentiam secum identificatam: ergo licèt non detur medium inter nihilum, & ens simpliciter, de quo in præsenti, non sequitur negatio materiæ primæ.

Secunda solutio. Datur duplex ens simpliciter, unum completum, & hoc est compositum substãtiale: aliud incompletum; & talis est quælibet entitas existens. Loquendo de ente completo, verum est quòd materia est medium: secùs de ente incompleto; quia nulla entitas existens, etiam materia, quæ non sit hoc modo ens simpliciter.

Ceterùm nulla solvit rationem nostram, quæ iterùm urgetur sic, adhibendo terminos solutionis. Per vos, ut tollatur de medio materia prima, debet concedi medium inter nihilum, & ens completum, distinctum ab utroq: sed hoc ipso inter nihilum, & quodcũque ens existens, debet dari mediũ: ergo mediat essentia, distincta à nihilo, & ab existentia. Probatur min. Implicat extrema, æqualiter distare à nihilo, & unum admittere mediũ; secùs alterum: sed ens completum, & ens

quo

quomodocumque exiſtens, æqualiter diſtant à nihilo: ergo &c. Probatur hæc min. Ratio diſtandi à nihilo eſt per vos ſola xiſtentia; & ideò eſsenti ante xiſtentiam, p r vos eſt nihilum: ſed in ente completo, & in ente quomodolibet exiſtente, datur eadem exiſtentia; & ſic eadem ra io diſtandi à nihilo: ergo æquè diſtant à nihilo.

34. Dices: Ens completũ habet exiſtentiam completam; ens incompletum ſolam incompletam, quare non habent eandem rationem diſtãdi à nihilo; unde nec æquè diſtant. Contra. Nam vel de ratione exiſtentiæ ut ſic, eſt d'ſtare à nihilo; vel ſolùm de ratione ex ſtentiæ completæ. Si primum? Ergo tam exiſtentia completa, quàm incompleta, ſunt æqualis ratio diſtandi à nihilo; & ſic tenet argumentu, Si ſecundum? Ergo per ſolam exiſtentiam incompletam non ponitur materi, aut forma extra cauſas, & diſtincta à nihilo: unde ruit doctrina veſtra de exiſtentijs incompletis, & partialibus.

Dices. Exiſtentia, ut ſic habet diſtinguere à nihilo: ceterùm, quò perfectior fuerit exiſtentia, eò magis per eam, ens diſtat à nihilo, & accedit ad Deum, qui eſt omne eſse. Sed contra. Nã hoc non poteſt dici in veſtris principijs juxta quę inter ens exiſtés; & nihilũ nõ datur mediũ, quia ſunt contradictoria: ſed inter contradictoria non datur major, vel minor diſtantia, ob eandem rationem propter quam non datur medium: ergo in veſtris principijs dici non poteſt quòd diſtantia à n hilo eſt major, quò exiſtentia eſt perfectior.

35. Hinc quartò probatur eõ cluſio noſtra à ratione. Juxt veram Philoſophiam, quò perfectius eſt eſſe rei, eò magis accedit ad Deum, & recedit à nihilo: ſed ſi eſſ ntia non diſtingui ur ab exiſtent.a, hæc doctrina falſificatur: ergo juxta veram Philoſophiam eſſentia diſtinguitur ab exiſtentia. Major, & min. ſunt probandæ. Major ſic. Omnis perfectio eſt participatio perfectionis Dei, & ſumitur penes acceſſum ad Deum, cui aſsimilamur in perfectione; ſicut imperfectio ſumitur penes receſſum à Deo, & acceſſum ad nihilum. Quò magis creatura p rfecta, eò magis a imilatu Deo, & accedit ad perfectionem Dei: & è contra, quò minus eſt perfecta, eò magis diſsimulatur Deo, & recedit à perfectione Dei accedens ad nihilum. Ob id S.P. Auguſt nus n a teriam vocat *Prope nihil*: *non dicit ferè nihil, ſed prope*, quaſi utens adverbio, quo denotatur ſitualis propinquitas. Rurſus, quis neget Angelũ magis accedere ad perfectionẽ Dei, quàm lapidem? Quò enim mag's habet Angelus de eſſe, quàm lapis, habet minus de non eſſe; unde magis diſtat à nihilo, quàm lapis. Ergo quò perfectius eſt eſſe rei, eò &c.

Rurſus probatur eadem maj. ex doctrina contrariorum. Nam D. Thomas tenens, quòd virtus creativa non eſt communicabilis creaturæ; id probat, quia eſt virtus infinita. Probat eſſe infinitam ſic: creare eſt producere r m ex nihilo: ſed int r nihilum, &

esse, datur infinita distantia, quæ non potest vinci nisi per virtutem infinitã: ergo virtus creativa est infinita. Hæc S. Doctor. Ceterùm aliqui ex DD. primæ sententiæ, qui docent oppositum, ut Arriag, Hurtado, & alij, quibus ratio D. Thomæ non placet, dicunt quòd inter nihilum, & esse creaturæ, non datur infinita distantia; sed solùm tanta, quantum est esse creaturæ; & hoc infinitum non est. Hæc illi. Ergo distantia à nihilo eò major, vel minor est juxta vestram doctrinam, quò res magis, vel minus habet de esse: quare apud vos etiam quò perfectius est esse rei, eò magis accedit ad Deum, & recedit à nihilo.

Minor primi syllogismi probatur juxta sententiam identificantem essentiam cum existentia: tam contradictoriè opponitur nihilo essentia existens Angeli, quàm essentia existens lapidis: sed hoc ipso non magis distat à nihilo Angelus, quàm lapis minùs perfectus Angelo: ergo in hac sententia non subsistit, quòd eò magis res recedit à nihilo, quò habet magis esse. Probatur min. 1. quia inter contradictoria non datur major, vel minor distantia, sed summa, & omnium maxima. 2. Vbi datur major, vel minor distantia, ibi datur medium, scilicet minor distantia: sed inter contradictoria non datur mediũ; & ob id negant contrarij medium intrinsecus existens, & nihilum, quia putant esse contradictoria: ergo &c.

§. V.

Solvuntur fundamenta sententiæ negantis distinctionem essentiæ ab existentia.

36. RESTAT solvere fundamenta contraria, quæ suadent identitatem. Ad primum positũ num. 12. dicimus quòd identitas entis cum uno a se, probatur à Philosopho & D. Thoma ibidem ex inseparabilitate nõ utcumque, sed objectiva, & intentionali, qua unum non potest præscindi ab alio. Sic etiam intellige assertum illud D. Thomæ *Quæ simul generantur & corrumpuntur, sunt idem.* Hoc est de generatione, & corruptione objectiva, & mentali, fundata supra physicam, qua simul cognoscuntur, & desinunt cognosci. Nec putes expositionem voluntariam, quia cogitati sic exponere ob innumera exempla naturę. Essentia, & passiones simul generantur, & corrumpuntur physicè; nec tamen identificantur. Relationes Divinæ sunt physicè inseparabiles; sed de fid. est ipsas realiter ad invicem distingui. Et universaliter omnis separatio probat distinctionem, sed non è contra, inseparabilitas identitatem. Ergo Philosophus, & D. Thomas locis objectis probantes identitatem entis cũ uno, non probant ex inseparabilitate physica, sed ex objectiva. Talem non habent essentia & existentia, quæ possunt objectivè præscindi, & separari, licèt non physicè. Quare nil inde cõtra nos.

Ad

Ad secundum fundam. positum num. 13. dist. maj. Essentia creata est per identitatem ens reale, participiale, neg. nominale, concedo maj. & dist. min. Per existentiam constituitur essentia ens reale, participiale, cõcedo; nominale, nego min. quia sic cõstituitur per ordinem ad existentiam. Ad 1. probationem min. neg. antecedens, quia essentia pro priori ad existentiam non est nihil, sed medium inter ens simpliciter, & nihil, ut probatum est à num. 32. Hoc mediũ est quid positivum, & ens nominale, cõstitutum, non per existentiam, sed per ordinem ad existentiam.

Ad 2. probat. min. nego min. Nam essentia per ordinem ad existentiam est ens nominale, quod licèt præscinda à statu existentiæ completæ, no tamen à statu viali, in quo est in via ad existentiam, & dicit ordinem ad illam. Per hunc habet essentia esse positivum nominale, quo differt à nihilo, & ab ente simpliciter; unde est medium inter utrumque terminum, ut verum subjectum informe, mutabile de non esse ad esse. Et quia contrarij no agnoscunt hunc statum essentiæ, negant tale medium; & inde tenentur negare materiam primam, & mutabilitatem existentialem creaturæ, quam docet fides, & experientia, ut ostensum est in 1. & 3. ratione nostra.

Ad 3. probation. min. dic quòd per solam existẽtiam ponitur essentia completè extra omnes suas causas; cete ùm ante existẽtiam terminat essentia actionem sui productivam, & per illam ponitur incompletè extra causas in statu medio inter nihilum, & ens simpl iter. Quare cùm in hoc statu medio sit quid positivum nominale, dicens ordinem ad existentiã; per hoc opponitur nihilo, & etiam enti simpli iter. Nec est in eo statu nihil, nec est ens simpliciter, sed mediũ, & *prope nihil*; ut materia, si m iãte, dixit P. Augustinus. Quo vides nostram sententiam esse conformẽ principijs, astruentibus materi m primã; contraria autem sententia est affinis errori antiquorum, negantium subjectum generationis, & mutationis substantialis: & conveniu t DD. illi cũ antiquis Philosophis in negando medium inter nihilum, & ens simpliciter, ut in probationibus nostris ostensum est. Quæ contra statum istũ vialem obstant, levia sunt, & soluta suprà; dum de ex stenti materiæ actum est: ibi probatum est, statum istum esse de mente P. Augustini.

37. Pro solutione ejusdem argumenti, ut propositi à P. Hurtado m. 13. nota quòd c n ratij non distinguunt inter ens simpliciter, & ens existens; cetèrùm in sententia D. Thomæ distinguuntur, & hæc d stinctio debet supponi pro intelligentia doctri næ Angelicæ, dum ejus authoritas adducitur in mediũ. Distinctio est, quòd ens simpliciter est substantia comple ta in esse substantiæ: unde fit quòd materia nõ est ens simpliciter, sed ens i pote tia, quia solùm compositum ex materia, & forma est simpliciter e s. Cetèrùm cùm hoc co positum juxta D. Thomam detur ante existen

tiam, quæ est ter inus compositi; ideò ant en existens datur ens simpliciter, quare nec sunt idem, nec dicuntur ad convertentiam juxta phrasim D. Thomæ.

Hoc su, posito ad argumentum neg. maj. nego quòd ra io, per quam res existit, sit rat o per quam constituitur ens simpliciter; nam ante existentiam materia habet p formam compleri in ratione substantiæ, & cõstitui ens si pl citer. N c D. Thomas. nobis objectu, est contra nos, sed pro nobis. Dicit enim, *Secundùm hoc dicitur aliquid simplic ter ens, s cundùm quod primò iscern tur ab eo, quod est in potentia tantùm.* Ergo supponit D. Thomas quòd ens existens discernitur ab nt in potentia *primò, & secundò*; primò per ordinem ad existentiam, secundò per ipsam existentiam. Primò per formam substantialem, quæ est primus actus distinguens; secundò per existentiam, quæ est actualitas secunda. Sed S. Doctor dicit ens constitui per illud quod *primò* distinguit: ergo non loquitur de existentia; sed de actu formali essentiæ, dicente ordinem ad existentiam. Hi constitui ens simpli citer, & op onitur enti in potentia, & nihilo. Enti in potentia, quia actuat po entiali em materiæ: nihilo, quia per actionem sui productiva recipit esse subjectivum, & positivum, in quo fundatur ordo ad existentiam, qué d cit pro illo priori, quo essentia præcedit existentiam, ut causa materialis receptiva illius.

Ad 1. confirm. dic quòd essentia, & existentia sunt duæ r s, ut expresse docet D. Thoma. verbis suprà datis num. 18. an autem dicendæ sint duę entitates, & duo entia, dubium est ferè de nomine. Id sanè dicendum in nostr sente ti, dente ns nomin le, & part c p ale; quòd n m e essentia est ens nominale, existentia autẽ ens partici ale. Et hoc sensu du entia dicuntur. Si quæras de essentia reduplicativè ex stent , qual ter nõ st ens tantùm nominale, sed articipiale, qu do sic differat àb existẽti in nomine entis? Dicimus quòd existẽtia est ens participiale *substantivè*, rat on sui; e sentia autem existens st participiale *adjectivè*, ratione scil cet existentiæ. Vnumquodque horũ constituitur in ratio e ntis pe suam entitatem distinctam. Nec hoc est cõtra D. Thomam, sed de mente illius, qui utrumque distinguit, ut duas res.

Ad 2. confirm. P. Arriaga, cõcedo quòd non solùm producitur exi stentia, sed etiam essentia: concedo etiam quòd essentia, ut distinct ab existentia, producitur rat one sui, & ponitur extra causas vialiter, & incõplerè; non autem completè, & perfectè; nego tame non esse illi necessariam existentiam additam; est enim necessaria u erminus com let s productionis. Non enim actio productiva produci essentiam, ut sit ens nomina e, se ut sit ens participiale: sed ut essentia fiat ens participiale, debet ipsi dari existent : ergo usqu dum detur essentiæ, non adest erminus cõpletus actionis produc ivę. Sicu enim materia te minat actionem sui produ ctivam, n c tamen illa actio est com-

ple-

pleta; usque dum inducitur forma in materia; sic essentia compositi terminat actionem productivam incompletè, completur autem dum dat composito existentiam, in qua sistit ultimò productio.

Ad 3. confirmationem dic, quòd licèt illa sententia non probetur N.B. Ægidio; ea admissa, non urget argumentum. Nam sicut Humanitas Christi Dñi existens per existentiam Verbi indefectibilem, potuit deficere, & de facto defecit in morte: sic licèt existat per existentiam improductam, potuit ratione illius Humanitas produci. Hujus ratio est, quia existentia Verbi ratione suę eminentię fecit sine imperfectione, quidquid faceret propria existentia Humanitatis: quare cùm existentia propria esset ratio, cur Humanitas foret producta; hoc fecit existẽtia Verbi in se improducta.

Ad 4. dic casum impossibilem, quia destructa essentia, si maneret existentia, esset existentia nihili; & hoc impossibile est, quia nihilum nequit existere per realem existentiam. Dato impossibili; si reproduceretur essentia, non reproduceretur ratione sui, sed ratione existentiæ, sub qua denuò ponèretur. Nec obstat quòd existentia jam supponeretur producta. Nam tũc dicendum esset, sicut de Humanitate Christi dictum est, denuò produci ratione existentiæ improductæ. Ad ultimum dic quòd essentia Angeli non supponitur producta ante existentiã, sed concreatur. Dato supponi productam, non supponitur ut subjectum *ex quo*, sed *in quo*. Hæc præsuppositio non est contra creationem, ut patet in anima rationali, creata in materia præsuppositа. Vide dicta de creatione, & eductione q. 12. §. 1.

39. Ad tertium fundamentum, positum num. 15. neg. ans. ad probationes seq^ntes, dic quòd essentia pro priori ad existentiam est potens proximè illam recipere; & tunc potiùs quàm anteà est proximè potens. Nec ad hoc requirit existẽtiam, ut sit proximè potens illam recipere. Vide dicta in q. 7. ubi ostensum est, quòd ut materia sit proximè otens reci re formam, non debet præhabere existẽtiam. Ibi datum est discrimen inter causam materialem, & efficientem, penes hoc quòd sola efficiens debet præexistere, quia sola dat essé, quod præcõtinet. Nec ponimus in illo priori essentiam præscindentem physicè ab existentia, sed logicè: quia cùm in toto reali instanti existat, prioritas illa est pura præcisio logica, non physica negans existentiam. Et ob d potiùs in eo priori, quàm in tempore antecedenti, est essentia proximè potẽs, quia in tempore antecedenti præscindebat physicè ab existentia, & erat indifferens ad esse, & nor esse.

Ad 1. confirmationem dic, quòd essentia, quæ est r^c^ptivum existẽtię, nec est intra causas, quia sic est nihil actuale; nec extra causas completè, quia sic est existens, nec indiget nova existentia. Est ergo extra causas incompletè in statu medio, qui constituit ens nominale, medium inter nihilum, & ens existens. Hoc medium non agnoscunt contrarij, benè tamen

DD. nostra sententiæ cum P. Augustino, & D. Thoma, ut probatum est. Ex hjs ad 2. dic existentiam non recipi in essentia possibili, nec in futura, nec in præterita: cæterùm nec in essentia existente completè, sed incompletè, & vialiter existente, ut dictum est. Ad 3. patet ex hìc dictis, & ex doctrina data num. 36.

Ad ultimum dic, quòd essentia illa ut in via ad existendum terminat scientiam visionis Dei; nam hæc non solùm terminatur ad existentia, sed etiam ad futura, quia dicunt ordinem ad habendam existétiam tempore sequenti: ergo multò melius ad essentiam illam, quæ dicit ordiné ad existentiam, habendam in eodem istanti reali. Nota quòd hoc argumentum, & ferè omnia contra nostram sententiam, coincidunt cum illo antiquorum Philosophorum ignorantium quid esset materia prima pro illo priori, quo recipit formam? Quare putabant materiam antè formam esse nihilū, qualiter docent RR. de essentia pro priori ad existentiam. Hinc intulimus hos DD. teneri negare materiam primam; & quòd defectu subjecti in formis pro mutatione existentiali, tenentur negare creaturam existentialiter mutabilem. Vide dicta in 1. & 3. probatione nostra.

40. Pro solutione ejusdem fundamenti, aliter positi num. 16. Nota quòd in statu possibilitatis, ubi dātur carentiæ rerum, ibi est duplex carentia, una rei existentis comp etè, & essentiæ participialiter sumptę; alia essentiæ nominaliter acceptæ, & vialiter existentis. Patet hoc, nam essentia possibilis nec existit, nec dicit ordinem ad existentiam: ergo in statu possibilitatis datur utriusque carentia; nempe existentiæ, & ordinis ad existentiam. Ergo carentia essentię participialis deficit à rebus per existentiā, & carentia essentiæ nominalis deficit à rebus per positionem essentiæ nominalis in rerum natura.

Hoc attentè notato, dic, quòd existentia est id, per quod deficit à rebus carentia essentiæ participialiter; & hæc formalis existentia distinguitur ab essentia, nam essentia per se ipsam solùm excludit carentiam sui ipsius nominaliter sumptæ. Dum autem dicis, quòd carentia formalis unius contradictorij est existentia alterius, ly *existentia* est verbum æquivocum; in re significat idem ac *positio*, & sensus est: defectus unius contradictorij est positio alterius; & hoc est verum, quia ex contradictorijs posito uno, deficit aliud, cùm utrumque non possit simul poni in rerum natura. Arguens loco positionis, ponit existentiam, ut suadeat essentiam pro illo priori, quo ponitur in re, existere. Sed hoc verum non est, quia ponitur in illo priori dicendo ordinem ad existentiam, & hoc sufficit ut excludat suum contradictorium, nempe carentiam talis ordinis. Solve ambiguitatem dicendo, quòd defectus formalis unius contradictorij est existentia completa, vel incompleta alterius; sed non determinatè existentia completa. Quo vides, essentiam pro illo priori excludere suum contradictorium,

rium, nec existere completè, sed vialiter.

Nota etiam, quòd licèt duo contradictoria non possint simul poni, potest tamen verificari de essentia pro aliquo priori quòd non existit completè, nec ejus carentia existit completè. Ratio est, quia ista contradictoria se mutuò excludunt realiter, & ab eodem instanti reali; sed non se excludunt mutuò à signo præcisivo, quod ab utroque contradictorio præscindit. Sic in re homo vel est albus, vel non albus, quia realitas respicit extrema illa ut contradictoria. Cetertùm homo secundùm suam essentiam consideratus, nec est albus, nec non albus, sed ab utroque præscindit, quia neutrum est de essentia hominis. Sic dum quæritur, an essentia pro illo priori ad existentiam, existat, nec ne? Respondè quòd existit incompletè. Ceterùm completè nec essentia, nec carentia essentiæ existunt, quia signũ illud est præcisivum tum ab existentia completa, tum à carenti existentiæ.

41. Ad aliud fundamentum, posit m n m.17. respondent Thomistæ, quòd essentia existentiæ existit per eiplam sine aliquo inconvenienti, secùs de alijs essentijs. Disparitas est, quòd essentia existentiæ est essentia actus secundi, sicut essentia operationis. Aliæ autem essentiæ sunt essentia actus primi. Non potest sine infinitate, & alijs absurdis, identificari operatio cum essentia intellectus, quæ est actus primus: benè verò cum essentia intellectionis potest identificari operatio, & actus secundus. Sic essentia existentiæ identificatur cum existentia; secùs alię essentiæ, quæ sunt essentia actus primi. Solutio hæc est probabilis, quam un nimiter defendunt DD. nostræ sententiæ.

Facilior, & verior solutio traditur à B. Ægidio in 2. Sent. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 2. Vbi dissolvit hoc argumẽtum, & dicit: *Non itur in infinitum, quia si res existit per esse, ipsum tamen esse non propriè existit, sed est ratio existendi.* Vocat esse ipsam existentiam: de qua dicit non existere propriè; unde nec habet essentiam, sed est id, quo essentia existit. Hinc clauditur omnis aditus instantijs, nam dum nostra argumenta instantur in essentia existentiæ, negãdum est suppositum; quia existentia non habet essentiam, nec existit *ut quod*, sed solùm *ut quo*, quia est ratio existendi alia. Sicut albedo non est alba *ut quod*, sed *ut quo*; nec anima rationalis est corporea *ut quod*, sed *ut quo*; & idem de alijs formis; ergo existentia, quæ est ratio existendi essentiam, cui advenit, non existit *ut quod*, nec *ut quod* producitu, sed est producta *ut quo*, & existit *ut quo*.

Opportunissimè explicatut hoc in actione, quæ est productio effectus, sicut existentia est formalis ratio existendi: at actio non est producta *ut quod* sed *ut quo*; nec est effectus *ut quod*, sed *ut quo*: ergo nec existentia est existens *ut quod*, sed *ut quo*. Hinc fit, quòd existentia non habet essentiam; quia omnis essentia est producta *ut quod*, & existit *ut quod*: sed, ut ostensum est, existentia nec pro-

du-

ducitur, nec existit *ut quod* : ergo existentia non habet essentiam. Hac via incedit ex Thomistis Bajona, & ex RR. Ægidianis M. Lafosse in Theologia tom. 2. q. 4. de Simplicitate Dei, M. Gavardi tom. 1. Theologiæ q. de Substantia Dei.

42. Dices : Existentia diffinitur: sed quod diffinitur, habet propriam essentiam : ergo existentia habet propriam essentiam. Rursus. Essentia existens in nostra sententia dicit duas res, realiter distinctas: sed res distinctæ habent diversas essentias; sicut & diversas posibilitates : ergo existentia habet propriam essentiam.

Respondetur, quòd sicut essentia ex consortio existentiæ habet esse, & existere; sic existentia ex consortio essentiæ habet diffiniri, & esse objectum propositionum æternæ veritatis. Ratione sui non habet existentia essentiam, nec posse diffiniri; sicut nec essentia creaturæ habet ratione sui existere. Adde quòd ipsa diffinitio existentiæ exprimit existentiam non habere essentiam ratione sui : dicitur enim existentia *Actus, vel actualitas, qua res ponitur extra suas causas*: at hìc non denotatur essentia, sed quòd existentia sit actualitas essentiæ : ergo ipsa diffinitio ostendit, existentiam ratione sui non habere essentiam, sed diffiniri ratione essentiæ, cujus est existentia. Adde quòd omnes modi, & obliquitates entis, nõ sunt ens, nec habent essentiam; & tamen possunt, sicut existentia, diffiniri; quia non ratione sui, sed ratione illius entis diffiniuntur, cujus sunt obliquitates.

Ad aliud dic, essentiam, & existentiam esse duas res, sed unum existens, & unum posibile; quia existentia nec ratione sui habet essentiam, nec ratione sui est posibilis, sed ratione essentiæ, cujus est existentia. Res enim distinctæ, tunc habent diversas essentias, quando utraque existit *ut quod*; nam essentia est id quod existit. De existentia ostensum est non existere, *ut quod*: ergo licèt sit res distincta ab essentia &c.

43. Ad 1. confirm. posita num. 17. dic Thomistas docétes, quòd esse est effectus formalis formæ, à forma indistinctus ; id docent de esse essentiæ, quod venit formaliter à forma substantiali. Hoc esse indistinctũ est ab essentia; sed de hoc non agitur in præsenti, ubi est quæstio de esse existentiæ. Hoc non datur formaliter à forma substantiali, sed ab actualitate existentiæ, Quòd si aliquis Thomista dixit, ut revera dictum est, quòd esse existentiæ est effectus formalis formę substantialis ; id dictum considera contra principia scholæ Thomisticæ, tum ob argumentum hujus confirmationis : tum, quia hoc dato, nequit Christi Humanitas existere per existentiam Verbi; cùm Deus non possit supplere effectum formalem formę, nec illum dare sine informatione, ut agentes de lumine gloriæ, & de existentia materiæ sine forma, docent Thomistæ concorditer.

Ad ultimum dic, essentiam & existentiam uniri unione substantiali, quidditativè distincta ab extremis. Nec obstat; ne sit substantialis, quòd al-

altera unio materiæ, & formæ præ-
supponatur; nam hæc constituit unũ
compositum in linea essentiæ & en-
tis nominalis; vocaturque ens sim-
pliciter. Vnio autem existentiæ est ad
constituendum unum in ratione exi-
stentis & entis participialis. Nec unio-
nes istæ pugnant, sed ordinantur una
ad aliam, & subsequentes, ut unio ma-
teriæ, & formæ, ad unionem cum exi-
stentia; & hæc ad subsistentiam, sup-
positalitatem, personalitatem &c. ut
ens substantiale in omni linea, & gra-
du essendi completum sit. Et
hæc de quæstione ista, &
de toto libro primo.

LIBER II. PHYSICORUM

POSTQVAM Philosophus libro primo egit de princi-
pijs intrinsecis entis naturalis, recto ordine doctrinæ
tractat in hoc secundo de principijs extrinsecis, ut sũt
causa efficiens, finalis, & exemplaris, quæ per se cau-
sæ sunt; eisque reponit causas per accidens, nempe
fatum, casum, & fortunam. Iam facilè constat cohæ-
rentia doctrinæ libri hujus, & præcedentis; nec levi-
ter commendatur, observando cum N. M. Villanova
primum librum institutum ad explicanda principia entis quoad esse; istum au-
tem ad exponenda ejusdem principia quoad operari. Hoc plenè absolvit Ari-
stoteles novem capitibus; in quorum primo disputat de natura quid sit; &
quibus conveniat. In secundo ostendit quæ sit, & de quibus consideratio na-
turalis. In tertio tractat de causis per se, ostendendo modos, & genera causarũ.
In quarto, quinto, & sexto exponit causas per accidens, jam enumeratas. In se-
ptimo comprobat ad Philosophum spectare agere de omnibus causis. In octa-
vo, & nono docet naturam agere propter finem, ita ut necessitas in naturali-
bus proveniat ex fine. Hæc est summa totius libri 2. Physic. pro cujus utilis-
sima expositione plures, & ingeniosæ excitantur quęstiones, quas (Deo faven-
te) ex plenis promptuarijs P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, more solito
dissolvemus. Pro quo sit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit, & quibus conveniat ratio naturæ?

§. I.

Traditur diffinitio naturæ, & quædam dubia circà illam dissolvuntur.

1. DE diversis acceptionibus hu-
jus nominis *Natura* egit D. Thomas 1. p. q. 29. art. 1. & B. Ægdius
in 3. Sent. dist. 8. 1. q. unica, & locis

infrà allegandis. Cum utroque dicimus quòd natura 1. ſumitur pro Deo, qui eſt cauſa omnium, quæ ſunt in re: ob id dicitur Deus *Natura naturans*, ſicut & creatura dicitur *Natura naturata*, barbara quidem locutione, ſed rei ſatis expreſsiva.

2. ſumitur pro eſſentia, & quidditate rei; quo ſenſu diffinitio explicat rei naturam, ſicut & eſſentiam. 3. accipitur pro tota univerſalitate agétium creatorum, operantium juxta exigentias rerum, & ordinem eis præſcriptum. In qua univerſitate Deus etiam numeratur agens juxta rerum exigentiam; ſicut dum miraculosè operatur, dicitur agere ſupra, vel præter naturam; quare tunc non eſt agés naturale, ſed ſupernaturale, vel præternaturale.

Tandem ſumitur pro naſcentium generatione, ducto nomine à verbo *naſcor*, ita ut natura dicatur, quaſi *naſcitura*. Sic ſumpta ſolis viventibus convenit; ſed jam uſus vocis ampliatus extenditur ad ſignificandum internum cujuſcumque rei principium, ſive vivens ſit, ſive non. In hac acceptione ſumitur natura, in præſenti, quę à Philoſopho hìc cap. 1. diffinitur ſic: *Natura eſt principium, & cauſa motus, & quietis, ejus in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Sic etiam diffinitur à P. Auguſtino lib. de Categ. cap. 21. & à Philoſophis admittitur ſine limitatione, aut controverſia.

Ante quam diffinitionem explicemus, obſerva tot modis dici naturale in concreto, quot natura in abſtracto. Quare juxta primam acceptionem id dicitur naturale, quod eſt à Deo naturante. Juxta ſecundam dicitur naturale, quod eſt rei eſſentiale, juxta tertiã naturale dicitur quod eſt juxta exigentiam rerum: quod autem eſt ſupra, vel præter exigentiam, dicitur ſupernaturale, vel præternaturale. Juxta quartam dicitur naturale, quod naſcitur à principio intrinſeco. Hoc ultimum patebit ampliùs, dum violentum explicemus, quod ſic naturali oppoſitum eſt.

Ante explicationem diffinitionis Ariſtotelicæ, en altera data communiter à DD. quæ clarior eſt, juvatque ad intelligentiam illius. Natura eſt *Principium radicale motus, vel operationis.* Suprà lib. 1. q. ultima diximus eandem entitatem dici eſſentiam, & naturam, cum ſolo diſcrimine, quòd eſſentia, ut eſſentia, reſpicit exiſtentiam; natura, ut talis reſpicit operationem. Ergo principium, non utcũque, ſed primum, & radicale omnium operationum entis, illud eſt natura entis, de quo in præſenti.

2. In diffinitione Ariſtot. dicitur 1. quòd natura eſt *principium, & cauſa.* Ly *cauſa* excludit privationem à ratione naturæ, quia licèt privatio ſit principium, non tamen cauſa. Ly *motus, & quietis*, intelligitur communiter de motu phyſico, & quiete ei oppoſita. Motus phyſicus datur ſolùm ad quantitatem, qualitatem, & ubi, ut dicemus 5. Phyſic. Et quidem cùm Philoſophia noſtra agat ſolùm de corpore mobili motu phyſico, & ſtricto, ſic videtur intelligenda diffinitio naturę

turæ hìc tradita à Philosophis. Extenditur tamen, dum ly *motus* intelligitur de quacumque operatione etiam spirituali, ut intellectio, & volitio. Quia existentione data, convenit diffinito naturæ, Deo, & Angelis, & non solùm naturis corporalibus.

Ly *primò, & per se*, denotat quòd sola substantia est materi, quia sola per se est principium, & primũ principium. Accidentia autem sunt principium secundum, & per accidens, quia tale est o.um ope.ari, quale illorum esse; & in accidentibus no.. est esse per se. Ly *ejus in quo est.* Denotat ,.incipium debere esse intrinsecum subjecto, ut in eo sit natura: alioquin si non movetur, aut qu.esc.t ,er princi-pium intrinsecum subjecto, motus erit violentus, aut præte. naturam.

3. Circa istam diffinitionem B. Ægidius hic 2. Physic. movet aliquas difficultates, quas versat etiã N. Villanova in præsenti. Prima est. An sit necessarium ponere in diffinitione ly *causa*? Negat B. Ægidius. Quia licèt in Divinis Pater sit principium Filij, sed non causa; sat in creatis omne principium causa est. Nec obest quòd privatio est principium, sed non causa, unde ad eam excludendam benè ponitur ly *causa*. Non obest, quia tam impropriè convenit privationi esse principium, quàm esse causam: unde satis secluditur per ly *principium* propriè sumptum. Rursus excluditur satis per ly *in quo est*, & per ly *per se*. Quia nec privatio est ,rincipium per se: nec est in subjecto, quando princi pium, ut lib. 1. dictum est.

Secunda difficultas. An natura diffiniatur per utrumque, scilicet per motum, & quietem? Videtur quòd nõ. Nam Cœlum habet naturam: sed non habet principium quietis, cùm naturaliter habeat moveri, & quies esset illi violenta. Communiter dicitur ly *motus, & quietis* non intelligi copulativè, sed disjunctivè; quare licèt terra sit solùm principi.m q.ietis, & Cœlum mo..s, ..mque habe.na..am. At B. Ægidius ex.ro.ria sententia solvens primam .ationem, dicit cœlos habere principiũ utriusque, quia moventur, ut pate., & quiescunt, quoniã eorum motus est circularis, & sic sem per in eadem distantia à centro.

4. Tertia diff. An natura sit principiũ *ejus in quo est*? Videtur quòd .on. Nam cœli moventur ab intelligentia (sic vocatur ille Angelus, destinatus à Deo, ut moveat cœlos) intelligentia autem est quid cœlis extrinsecum. In contrarium est N. Doctor, qui negat cœlorum m.tum esse violentum, vel artificialem: ergo naturalis est; & à principio intrinseco. Ad rationem contrariam dicit 1. cœlos ratione suæ rotunditatis aptos esse naturaliter move.i ci.culariter. Et licèt A.g.l.. move.. sit quid extri..se.ũ, latè tamen quid intrinsecum est cœlis, quia est quasi forma, & anima ipsorum. Est etiam ille motus naturalis, quia quidquid est à causa superiori, est naturale inferioti, ut latè probat B. Doct. in 2. Sentent. dist. 14. q. 1. art. 3. dub. 3.

Vtraque solutio est conformis sententiæ antiquæ docetium primum

cœlum moveri ab Angelo, reliquos autem à primo cœlo, quod secum trahit, ceteros, ut in horologio prima rota reliquas. At inter recentiores satis pulchra prævaluit sententia, tenens, quòd Deus primò creans cœlos, eos movit in illo principio; & posteà ipsi, sic à Deo moti, se moverunt deinceps per suam naturam. Sic in libris de Gener. dicitur quòd primus motus cordis est à generante, sed posteà vivens se ipsum movet. Sic discurrentes de cœlis, non longè sunt à concedendo eos animatos; & hoc falsum est; cetertùm secluſa hac falsitate, dicendum in hac sententia motum cœlorum nunc esse à principio intrinseco: secùs primus motus; nec ideò non fuit naturalis, quia natura petit, ut motus primus sit à generante.

5. Quarta diff. contra particulam *per se*. Nam gravia & levia, nō moventur per se, sed per accidens, & à generante: & tamen habent naturā: ergo &c. Respondet B. Ægidius motū gravium esse naturalem, & non violentum; quia tendendo deorsum, tèndunt conformiter ad suam inclinationē. Idē de motu sursum in levibus. Aliter respōderi potest ex doctrina ejusdē Theorem. 31. quòd ly *per se* potest intelligi de motu viventium, in quibus corpus est mobile per se, & anima est movens per se. Hoc modo gravia & levia non moventur per se, sed per accidens, & à generante. Si tamen ly *per se* intelligitur per principium intrinsecum, & non per extrinsecum; hoc modo gravia, & levia moventur per se, quia gravia habent formam intrinsecam gravitatis, qua inclinat deorsum, & resistunt motui sursum, sicut levia formam levitatis intrinsecā, qua inclinant motui sursum, & resistunt tendentiæ deorsum. Sic intelligenda est particula *per se* in præsenti.

Quinta diff. contra ly *primò* Nā substantia gravis est natura; idem de levi: sed substantia illa non est principium motus ratione substantiæ, sed ratione formę gravitatis, quæ est accidens, secutum ex quantitate: ergo ly *primò* non benè ponitur in diffinitione. Respondet Doct. N. quòd gravitas, & omnia accidentia, sunt instrumenta, quibus substantia operatur: cetertùm omnes operationes primò & per se attribuuntur substantiæ, ut infrà probabimus.

Sexta diff. An diffinitio debeat intelligi de omni motu? Respondet B. Ægidius affirmativè. Pro quo nota ex dicendis lib. 3. quòd motus est *Actus entis in potentia, secundùm quod in potentia*. Sunt ergo tres motus stricti; unus ad prędicamentum *ubi*, & dicitur localis: alter ad prædicamentū *qualitatis*, & dicitur alteratio: aliud ad prædicamentum *quantitatis*, & vocatur augmentatio. De his procedit dubium.

Cetertùm dicendum, quòd natura non est principium omnis motus copulativè, sed divisivè; ita ut in aliquibus sit solùm principium motus & quietis localis, ut in gravibus, & levibus: in alijs sit principium alterationis, ut in mixtis ex quatuor primis qualitatibus; in alijs est principium aug-

augmentationis, ut in omnibus vivē-tibus, quæ crescunt, & vegetantur: in his autem sit saltem principium generationis, quæ latè dicitur motus.

§. II.

Quibus, & qualiter conveniat ratio naturæ explicatur.

6. QVÆRI poterat primò, an ratio naturæ diffinita ab Arist. conveniat Deo, Angelis, & animæ separatæ? An verò solis rebus corporeis, ex materia & forma constantibus? Communiter de primis negatur. Nam licèt Deus, Angeli, & anima, sint principium suarum operationum, non verificatur de eis ly *ejus in quo est*, positum in diffinitione; nam nec Deus, nec Angeli, nec anima separata, sunt in aliquo, sed plenè sunt formæ per se subsistentes, & separatæ ab omni subjecto receptivo. Rursus eorum operationes nō sunt motus physicus, sed intentionalis, & latus. Diffinitio autem Philosophi data est pro solo principio motus stricti.

Si tamen natura diffiniretur sic, est *Principium motus latè sumpti, primò & per se.* Comprehenderet Deum, & Angelos aliqualiter, quoniam principium sunt suarum operationum intelligendi, & volendi. In hoc sensu sumpta natura, disputant Theologi de natura Divina: sic etiam de natura Angelica, quatenus principium est operationis, per quam est in loco diffinitivè; & de anima separata, quæ principium est radicale suæ intellectionis, & volitionis.

Sumpta natura, prout principiū est motus stricti, lati, & cujuscumque operationis, comprehendit omnē substantiam; & tripartitur à P. Augustino Epist. 63. quæ est ad Cælestinum Papam, dicente: *Sanè quoniam te novi, accipe hoc quiddam grande, & breve. Est natura per locos, & tempora mutabilis, ut corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantùm per tempora etiā ipsa mutabilis, ut anima* (& sicut addit lib. 8. de Civit. Dei cap. 6. *Omnes mutabiles spiritus*) *Et est natura, quæ nec per locos, nec per tempora mutari potest, hoc Deus est. Quod hìc insinuasi quoquo modo mutabile, creatura dicitur: quod immutabile, Creator.*

7. Supposito diffinitionem naturæ Aristotelicam solùm convenire rebus corporeis, constantibus ex materia, & forma; quæritur, an ratio naturæ conveniat composito ratione materiæ, an ratione formæ? Pro quo nota, quòd compositum non est natura, sed est habens naturam: sed cùm habeat materiam, & formam, quæritur vi cujus dicatur habere naturam?

Nascitur difficultas ex intelligentia diffinitionis Philosophi, qua dicit naturam principium. Nam vel intelligitur de principio activo, & hoc convenit formæ: vel de passivo; & hoc solius est materiæ: vel de abstrahente ab activo, & passivo; & sic convenit composito ratione materiæ, & formæ. Iuxta primam intelligentiā discurrunt Vallesius, Caberus, Carmelitani, & alij: juxta secundam N. Burlæus, Venetus, & Merinero, citant pro ea Scotum

tum : juxta tertiam Conimbricenſes, Parra, & alij tam Thomiſtæ, quàm alterius Scholæ. Eis adhæret Magiſt. Froylanus 2. Phyſic. q. 1. art. 1. §. 5. contendens hanc eſſe ſententiam D. Thomæ 2. Phyſic. lect. 1. & 2. At forſan S. Doct. nil aliud ibi contendit, niſi quòd materiæ convenit etiam analogicè ratione formæ eſſe naturam, & hęc eſt mens B. Ægidij ; vel quod ſufficit ad violentum, quòd ſit contra inclinationem paſsivam ; & hoc verũ eſt, ut poſteà dicemus ex utroque B. Doct.

Dicendum eſt cum B. Ægidio, diffinitionem intelligendam de principio activo; quare convenit formæ eſſe naturam, & compoſito ratione formæ, quia hæc ſola eſt principium activum motus. At quia ex unione materiæ ad formam, forma recipit à materia potentialitatem, & materia à forma actualitatem, & activitatem : unde non ſola forma operatur, ſed totum compoſitum, & ſic etiam materia unita formæ ; ideò etiam materiæ convenit ratio naturæ ; ſed non univocè, ut contendit Froylanus, ut ſuum in materia ſalvet actum metaphyſicum, de quo egimus lib. 1. q. 5. ſed analogicè, quia formæ convenit primò, & ratione ſui, materiæ autem ſecundò, & ratione formæ.

8. Hæc ſententia ſic explicata traditur à B. Ægidio hìc à textu 7. uſque ad 13. & conſtat ex Philoſopho ibidem dicente : *Et magis natura, hoc* (ideſt forma) *quàm materia. Vnũquodque enim tunc dicitur, cum endelechia* (ideſt actus) *quàm cum potentia.* En ubi Philoſophus dicit rationem naturæ convenire magis formæ, quia eſt actus : ergo quia ſentit diffinitionẽ ſuã intelligendam de principio activo, & ſic ſimpliciter convenire formæ, analogicè autem, & per formam, convenire materiæ.

Eandem ſententiam tenet B. Ægidius loco laudato, & in 3. Sent. diſt. 5. p. 1. q. 1. art. 3. Probatur per partes. Et 1. quòd ratio naturæ non conveniat univocè materiæ & formę, patet ex eo, quòd materiæ & formæ nihil poteſt eſſe univocum, nam actui, & potentiæ ſolùm convenit ratio entis, in qua analogicè conveniunt, ut dictum eſt lib. 1. q. 5. ſed materia, & forma ſunt actus, & potentia : ergo eis non convenit univocè ratio naturæ. Rurſus. Materiæ minus convenit, quã formæ, ratio naturæ ; & ei convenit per formam : ſed inæqualitas in participanda ratione communi, & dependentia in ea participanda, ſunt duo capita, quæ cauſant analogiam, ut in lib. 5. Logicæ dictum eſt : ergo ratio naturæ non eſt univoca, ſed analoga ad materiam, & formam. Minor cum conſequentia tenet, & major traditur in verbis citatis Ariſt.

Jam verò quòd materiæ non cõveniat ſimpliciter ratio naturæ, probatur. Nam, ut ex Philoſopho patet, ratio naturæ cõvenit ſimpliciter principio activo motus : ſed materiæ non convenit per ſe, & ſimpliciter eſſe principium activum : ergo nec ratio naturę.

9. Dices : Ratio naturæ convenit principio motus ; ſed tam ſimpli-

pliciter est materia principium passivum, quàm forma activum: ergo tam simpliciter convenit materiæ ratio naturæ, quàm formæ. 2. Anima rationalis in homine non habet rationem naturæ: ergo homo habet naturam ratione solius materiæ. Probatur antecedens. Anima rationalis in homine non pertinet ad considerationem physicam; sed ad metaphysicam; nam anima abstrahit ab omni materia, & hæc abstractio non est physica, sed metaphysica, ut constat ex dictis in Logica lib. 1. circa abstractiones scientiarum: sed si anima in homine esset natura, pertineret ad considerationē physicam, cùm Physicus tractet in hoc libro de natura: ergo &c. 3. Homo habens naturam, habet naturam corpoream: at esse corporeum nō est in homine ratione animæ, sed ratione materiæ: ergo & ratio naturæ.

Ad 1. dic quòd ratio naturæ cōvenit solùm principio activo, ut tali, ut patet ex Philosopho; quòd si de materia dicitur natura, non est inquantum est principium passivum, sed activum, quod habet ratione formæ cui unitur. Hinc data minori, nego consequentiam quæ fallaciter concludit, & instatur sic. Ens dicitur de potētia, & actu sed tam simpliciter est materia potentia, quàm forma actus: ergo æquè simpliciter dicitur ens de materia, ac de forma. Consequentia est falsa, ut patet ex dictis in Logica lib. 5. circa analogiam entis.

Ad 2. dic, quòd licèt anima in se sit spiritualis, abstrahens ab omni materia; at ut in corpore, & ut dat effectum corporeitatis, non abstrahit ab omni materia, sed solùm à materia singulari; quæ abstractio est de cōsideratione physici: & sub ea habet rationem naturæ. Per hoc patet ad 3. Nā hominis natura dicitur corporea denominatione sequente debiliorem partem, nempe materiam. Nec esse corporeum hominis venit à materia, sed ab anima, dante gradum corporeitatis, quatenus est eminēter corporea, ut dictum est lib. 1. q. 15. §. 1.

§. III.

In quo conveniant, & in quibus differat ars, & natura, explicatur.

10. DOCTRINA hujus §. tradi-tur ad pleniorem intelligētiam naturæ, sicut quæ infrà tradetur de violento, directè opposito naturæ, aut naturali. Ars ergo juxta Arist. 6. Ethic. cap. 4. est *Habitus cum ratione factivus*; unde tradit regulas ad rectè faciendum artefactum. Hinc sicut naturale est quod fit à natura conformiter ad exigentiam rerum; sic artificiale dicitur, quod fit ex directione artis conformiter ad ejus præscriptas regulas. Conveniunt ars, & natura in multis, in multis etiam disconveniunt, quare sigillatim trademus 1. convenientias. 2. disconvenientias.

Conveniunt 1. in eo quòd ars imitatur naturam quantum potest, ut cum Philosopho hic text. 72. docent Commentatores. Hinc ab aliquibus ars dicta est simia naturæ, ab alijs altera natura. Ex operibus enim natu-

ræ moveti ars ut faciat plura, v.g. ex umbra picturam; ex antris, & specubus ædes; ex avium volatu vela, ex cauda piscis clavum navis; nec desunt tradentes primam navem factam instar piscis Pompilli. Ob id ea ars magis commendatur, quæ majorem naturæ similitudinem exprimit.

Conveniunt 2. Quia sicut natura supponit materiam, circa quam operatur inducendo formam; sic ars supponit materiam, in quam inducit suam formam artificiosam. Sunt tamen aliquæ artes, quæ suam proximam materiam efficiunt, ut quæ faciunt vasa vitrea, & simul ex herbis vitrum perficit: at nulla ars est, quæ saltem materiam remotam non præsupponat à natura factam. Solet ratione materiæ ars dividi in dispositivam, factivam, & usualem. Dispositiva dicitur, quæ materiam præparat; factiva, quæ formam in materia inducit; qui verò utitur artefacto, est artifex usualis. Talis est nauta utens navi ab alijs facta; & ars nautica usualis est.

Conveniunt 3. Quia ars, & natura operantur propter finem. De arte constat, notando diffinitionem, qua dicitur *Habitus cum ratione factivus*: & cùm recta ratio finem præscribat suis operibus, ars inde habet agere propter finem. De natura propter finem operante sermo erit in fine hujus libri. Hunc finem rebus præfixit Deus per rationes seminales, ordinando omnia in finem debitum. Nec aliud est natura, aut ordo naturalis rerũ, nisi quædam participatio divinæ artis, qua res moventur in finem determinatum, ut explicant hìc D. Thom. & B. Ægidius.

11. Explicatâ conveniẽtia artis, & naturæ, restat videre, in quo discoveniunt. Differunt 1. Quia naturalia juxta Aristot. hìc text. 2. habent principium intrinsecum sui motus; secùs artificialia. Nec obstat communis objectio de aliquibus artificiatis, quæ videntur habere principium intrinsecum motus ex vi modificationis, relictæ ex arte. Hoc apparet in horologio, quod movetur nullo extrinseco movente, sed per formam intrinsecam artificiatam. Patet etiã in pharmaco, confecto per artem medicam: rursus in statuis Dædali, quæ se ipsas movebant, ut asserit Aristot. 1. Polit. cap. 3. & 1 de Anima textu 44.

Non obstant; nam in talibus motus provenit à natura eorum, quæ disponuntur per artem; modificatio autem artis solùm facilitat, aut retardat motum illum. Sic in horologio motus ille simpliciter oritur à natura ponderis tendentis deorsum, & trahentis secum rotas horologij. Dispositio rotarum, facta per artem, retardat motum, ne citò moveantur ea velocitate, quam naturale pondus exigebat. Sic sanitas causata à pharmaco, nascitur ex naturali herbarum, & simplicium virtute, ex quibus confecta temperata mixtura, quæ adjuvatur à naturali vigore viventis, cui applicatur. Debetur Medicinæ discretio, temperatio, & applicatio. De statuis Dædali docet Aristot. eas moveri, quia intus habebant virtutem aliquam motricem, v.g. argentum vivum; unde di-

dicit *Dædalum mobilem fecisse ligneam Venerem, argentum fusile infundendo.* Ea à natura motus simpliciter; ab arte autem Dædali quòd motus esset ante, retro, à dextris, vel à sinistris.

Differunt 2. Quia ars solùm inducit formas accidentales; natura autem substantiales, & accidentales. Ita B. Ægidius Quodlib. 2. q. 12. Si enim ars posset inducere formas substantiales, non imitaretur naturam, sed esset natura. Differunt 3. Quia ars non inducit formam in toto corpore, sed solùm in extremitatibus; secùs natura.

Hinc differunt 4. Quia ars solùm transmutat ad situm, idest, solùm disponit partes, ut sint in loco, hoc, vel illo modo, conjungendo, vel separando. Statuarius enim tollit à ligno has, & illas partes, ut nasus distet ab oculis statuæ, & appareat distantia in ligno unius partis ab alia. E contra domifactor colligit lateres, saxa, calcem, & ligna, ut mutuò conjunctis resultent cementum, parietes, & tectum domus. At natura transmutat tangendo totum, alterando totam materiam per calorem, aut frigus. Quo fit, ut natura causet realitates; ars verò solas modificationes.

Differunt tandem, quia ars supponit naturam; nam cùm solùm operetur circa extremitates rei, supponit rem. Vnde B. Ægid. Quodlib. 1. q. 16. ait: *Vbi terminatur natura, incipit ars: ars enim supponit naturam, & est aliquid superadditum naturæ.*

12. Hìc dubitatur, an ars ita præsupponat naturam, ut non possit facere opera naturæ? Negant aliqui; maximè qui Chimicam profitentur, dicentes posse per artem fieri verum aurum. Traditur de Raymundo Lullio massam fecisse mirabilem, cujus minima particula adhibita argento vivo, totum mercurium convertebat in aurum. Idem fertur obtinuisse artis beneficio Alphonsum, cognomento Sapientem, Regem Hispaniæ nostræ: ab eo quie, sicut à Raymundo conscriptã claviculam, obscuris licèt verbis, ubi ostenditur modus applicandi activa passivis pro tali malla, quam vulgari nomine vocant *lapidem Philosophorũ.* Hoc suadent etiam, quia Morales nostri disputant, an liceat comercium cum isto auro chimico? Nec dubitarẽt, si aurum tale esset impossibile.

Negat B. Ægidius posse Chimicã verum aurum efficere, aut ab arte esse aliquod opus naturæ. Sic Quodlib. 3. q. 8. & patet ex dictis. Nam si ars supponit naturam, & operatur circa extremitates; si solùm transmutat ad situm, & non ad formam: ergo non potest formam auri, aut aliam inducere in materiam. Potest tamen applicare activa passivis; & sic facere verum ens reale, quod non fieret sine tali applicatione. Sic factum argentum purissimum audivi à teste fidissimo; sed ex simplicibus pretiosioribus argento fabricato; quare beneficium artis applicantis activa passivis, non tam ad utilitatem artificis, quàm ad artis commendationẽ præstare, compertum est.

Sic etiam juxta P. Augustinum lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8. & lib. 83. qq. q. 79. & lib. 2. q. super Ia.

xodum q. 21. quem seq itur B. Ægidius in 2. Sent. dist. 18. q. 1. art. 3. & q. 2. art. 1. Magi Pharaonis dæmonum ope veros fecerunt serpentes, applicando activa passivis. Sic forsan factum aurum à Raymundo, & Alphonso; sic certissimè confectum argentum; at non ab arte causante, sed à n tura simp.icium, applicata per artem. Si plura pulchra circa mirabiles Chimicæ effectus desideres, consule Pererium lib. 8. Physicæ à cap. 19. usque ad finem libri.

§. IV.

Quid sit violentum explicatur, & qualiter differat à natura, & naturali.

13. AD perfectam notitiam natu ræ agimus de violento, quod naturali extremè o_ponitur. Nota has voces *Violentum, coactum, invitum, & involuntarium,* aliquando esse idem, sed revera sunt valdè diver sæ, ut consta- ex N. Gavardi tom. 3. Theologiæ q. 2. de voluntario, & involuntario. Violentia convenit omnibus tam animatis, quàm inanimatis. Coactio solùm naturis op antibus spontaneè, ut sunt omnes sensitivæ rationales, & irrationales. Involuntum, & involuntarium, solùm convenit naturis rationalibus, operantibus per voluntatem cu cognitione præsu_ posita. Diffinitur enim voluntariũ, *Quod est à principio intrinseco cum cognitione.*

Relictis quæ ad Theologos, & Animasticos spectant, nostrum est diffinire violentum, quòd juxta Aristot. lib. cap. 1. & lib. 3. Ethic. est illud *Cujus principium sit extr., passo non conferente vim.* Docet B. Ægid. Quodlib. 6. q. 14. & 1. Sent. dist. 17. q. 2. & alibi, quòd hęc diffinitio duplic ter expl car potest. Primo, ut ly *passo* it casus dativus; & facit hunc sensum; quòd principium violentas sit extrinsecum subjecto violẽtato, & nullam vim tribuat ipsi subjecto ad lic endum motum violentum. Juxta istam expositionem motus lapidis sursum est violentus, quia projiciẽs nullam lapidi virtutem præstat; ut tendat sursum. At verò motus vaporis sursum violentus non est, quia Sol dat i'li c l r m in r nsecè, per quem sursum movetur.

Juxta hæc dicendum quòd, violentum differt à naturali, quia illud est totaliter à principio extrinseco; natura- autem est à principio intrinseco. Quare otus gr viu ,& leviũ, violentus non est, qu'a licèt sit à generante, st tam n ab illo dante illis virtu em intrinsecam pro illis motibus, nempe formam gravitatis gravibus, qua tendunt deorsum, & levitatis levibus, qua sursum moventur. Hęc explicatio maximè conducit pro rebus inanimatis, & sensu carentibus; illam propugnat Gavardi, ubi suprà removens impugnationes, quas omittimus, quia nullius omenti.

14. Secundo potest intelligi diffinitio ita ut ly *passo* sit casus ablativus, & sic exponitur. Violentum est à principio extrinseco patienti, cui pa ien nil cooperatur. Vnde motus

ille

ille, qui est contra omnem inclinationem subjecti mobilis, dicitur violentus, quia tali motui non cooperatur mobile, sed resistit. Hæc explicatio magis congruit rebus animatis, & ratione præditis, habentibus proprias inclinationes quibus inclinant in unos motus, & resistunt alijs.

Juxta hanc explicationem differt naturale à violento, quia illud fit juxta aliquam inclinationem intrinsecam passi, quod movetur, & per illam cooperatur motor extrinseco: secùs violentum, quod fit renuente passo, & non cooperante. Sic lapis sursù projectus violentatur, quia unicè movetur sursum à projiciente, ipse tamé nullum habet principium intrinsecũ, quo coopere tur; immò resistit per formam gravitatis in intrinsecam, qua tenderet deorsum, nisi pateretur violentiam. Ceterùm dum lapis labitur è tur i, cadit naturaliter, quoniam per formam intrinsecam gravitatis suæ inclinatur deorsum, & coopere atur tali motui.

Hinc venit quòd violentum sit contra naturam, ut sæpè docet Philosophus, quia nempe est ōtra inclinationem rei. Hoc patet ex utraque explicatione definitionis, quæ fèrè in idem redit. Dubitatur, an sufficiat ad violentum, quòd passum non conferat vim negativè? Hoc est, an sufficiat, quòd passum non inclinet in motum; an verò requiratur positiva resistentia passi per inclinationem motum contrarium? Respondemus, requiri positivam resistentiam ad rationem violenti. Probatur 1. ex Philosopho dicente hìc, violentum esse contra naturam. Tum quia 3. Ethic. cap. 3. dicit: *Qui violenter, & invitè faciunt, molestè: qui verò propter delectationem, cum voluptate.* Sed qui merè passivè se habet non resistendo motui, sentit illius molestiam: ergo quod violentatur, resistit positivè, & non merè negativè.

§. V.

Explicatur, an sufficiat pro violentia motum esse contra inclinationem passivam.

15. EST duplex inclinatio; una activa, qualis est in calore ad excludendam frigiditatem, & in igne ad comburendum: altera passiva, qualis est inclinatio materiæ in formam, ad quam est disposita. Nota ex dictis lib. 1. q. 10. quòd materia secundùm se & sine dispositionibus nullam habet formam, nec inclinat in eam, sed omnium capax, latè appetit omnes indifferenter. Ceterùm quando disposita est ad unam, tunc istam præ ceteris appetit, & in illam inclinat. Hæc inclinatio est passiva, non activa, qui non est dandum, sed ad recipiendum; & recipere est quoddam pati. Quæritur, an sufficiat pro violento esse contra inclinationẽ passivam, an verò requiratur inclinatio activè resistens?

Affirmat Vazquius non sufficere impetum passivum. Probat 1. Quia si sufficeret impetus passivus, sequerètur tenebras esse aeri violentas: nã

aer habet naturalem inclinationem passivam ad lucem. 2. sequeretur cœlum violenter quiescere ; quia habet naturalem inclinationem passivam ad motum. 3. sequeretur, materiam habentem unam formam, esse violentã, dum non haberet aliam, ad quam habet dispositionem & inclinationem. 4. sequeretur, Humanitatem Christi Dñi esse violentam, quia habet naturalem inclinationem in propriã subsistentiam, & personalitatem. Immò sequeretur, quamlibet creaturam per gratiam moveri violenter ; quia omne donum supernaturale est cõtra inclinationem passivam naturalem. 5. probatur ex Aristot. 4. Physic. text. 67. dicente: *Omnem motum aut vi fieri, aut à natura.* Sed principium passivum non habet rationem naturæ: ergo &c.

16. Contrariam sententiam docet D. Thomas 1. 2. q. 6. art. 4. dicens : *Non semper quòd passum movetur ab activo, violentatur, sed solùm quando est contra inclinationẽ principij passivi.* Idem docuit B. Ægidius 2. Physic. textu 6. dub. 4. & lib. 7. text. 6. dub. 1. 8. & 9. Quare hæc sententia communiter defenditur à Thomistis, & Ægidianis.

Probatur. Quia in re materiali datur violentia : sed in re materiali non datur resistentia activa, sed solùm inclinatio passiva : ergo sufficit ad violentum, esse contra inclinationem passivam. Secundò. Quia in materia nulla datur inclinatio activa in formam, sed solùm passiva per dispositiones, jam explicatas: sed si materiæ appetenti, & inclinanti in formam A. ipsi denegaretur, ei inferretur stricta violentia : ergo sufficit ad violentum &c. Probatur min. Nam sicut dispositio ad formam sufficit ad naturalem appetitum, sic sufficit ad effectum secutum ex denegatione termini naturalis appetitus ; sed denegatio termini naturalis appetitus est contra naturam, & sic violentat : ergo.

Confirmatur ex P. August. q. sequenti docente, Deum non posse violentiam inferre creaturæ, quia nunquam potest facere contra omnem inclinationem ejus ; & hoc ideò, quia omnis creatura nata est obedire Deo; ergo sentit P. N. quòd si in creatura non esset talis inclinatio, aut Deus posset contra istam inclinationem agere ; posset violentiam inferre: sed inclinatio ista obedientialis, est purè passiva: ergo posset inferre violentiã, si posset agere contra inclinationem creaturæ passivam.

17. Nec urgent fundamenta contraria Vazquij. Ad 1. dic, aerem nullam habere dispositionem ad lucem, quare nec inclinationem ad illam, sed solùm capacitatem ; ut illuminetur ; & ideò per tenebras minimè violentatur. Ad 2. dic, cœlum solùm habere inclinationem passivam ad motum circularem, quatenus habet sibi unitam motricem intelligentiam. In fine mundi separata illa intelligentia, cessabit motus, & inclinatio ad illum; quare quies erit naturalis, non violenta.

Ad 3. dic, quòd materia in nullo instanti est violenta, quia in eodẽ

in-

istanti, quo disponitur ultimò ad formam, illam recipit: violenta esset, si ab aliquo impediretur, ne reciperet formam in eo instanti, quo ultimò disponitur ad illam. Ad 4, dic Humanitatem Christi Dñi habere duplicem inclinationē, unam naturalem ad propriam subsistentiam; aliam supernaturalem, vel supernaturalizatam ad subsistentiam Verbi. Licèt ergo careat propria subsistentia, quia tamē habet iam conformem inclinationi superiori; & hæc est eminentè omnis subsistentia; ideò non est violenta Humanitas subsistens in Verbo Divino.

Idem dic ad similē, quod objicitur de accidentibus Eucharisticis, carentibus existentia in alio. Nā quantumcumque careant existentia connaturali, habent aliam perfectiorē, perfectiori modo satiantem appetitū conservandi suum esse. Ad aliud dic dona supernaturalia non esse contra inclinationem naturæ, sed supra: quare perficiunt, & elevant naturam: unde violentiam non possunt inferre. Ad ultimum dic quòd materiæ convenit analogicè esse naturam, & hoc modo ei convenit esse principiū motus: quare analogicè ei etiam convenit violentia.

Ex dictis colliges, non dari motum neutrum, qui nec sit naturalis, violentus, aut artificialis. Nam omnis motus, vel est solùm secundùm extremitates; & sic est artificialis. Vel est secundùm totum; & sic est duplex, nempe contra naturam, vel juxta naturam; primus est violentus, secundus naturalis. Dubitatur hìc breviter, an Deus in miraculis inferat violentiam, v.g. dum ignem Babylonicum continuit, ne pueris sanctis noceret. At quia pro decisione habemus doctrinā utilem, & pulchram, ideò prolixiùs de dubio hoc q. sequenti.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Deus in miraculis inferat naturæ violentiam?

§. I.

Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis.

1. TENENT, absolutè Deū posse violentiam inferre creaturis, ipsamque de facto intulisse dum miraculosè operatus est, Vazquius 1. 2. disput. 25. cap. 4. Arriaga disp. 10. de actibus humanis sect. 2, citā pro se P. Suarium, Tanerum, & alios. Pro hoc allegatur etiam D. Bonaventura in 2. Sent. dist. 25. p. 2. q. 3. Sed ibi expresè loquitur de violentia secundùm quid, quæ est contra particularem inclinationem; & hanc non ne-

negant DD. ultimæ lententiæ. Sanctus autem Doctor in respons. ad penultimum negat expresse violentiam simpliciter posse à Deo inferri. Ex Thomistis Medina, Joann. à S. Thoma, Bañez, Curiel, Cornejo, & alij docent, quòd Deus ut Author universalis nulli creaturæ potest violentiã inferre; benè tamen ut motor particularis.

Probatur 1. hæc sent. Quia quid quid fit à creatura in genere causæ efficientis, potest fieri à Deo: sed creatura in genere causæ efficiẽtis potest alteri inferre violentiam, ut patet in projiciente sursum lapidem, & in alijs sexcentis: ergo Deus potest creaturis inferre violentiam.

Confirmatur. Si Deus non posset creaturis inferre violentiam, non posset cõcurrere cum creaturis illam inferentibus: ergo vel creatura alteram violentans, concurreret sola sine Deo cooperante; vel nulla causa secunda posset inferre violentiam. Primum est plenè falsum, cùm nulla creatura possit agere sine consortio Dei. Secundum etiam falsum esse patet in homine, qui ducitur ad patibulum, qui sine dubio patitur violentiam.

Secundò probatur eadem sententia. Ideò creatura potest ab alia violentiam pati, quia potest ab illa recipere terminum contrarium suæ naturali inclinationi: sed ita ignis v. g. potest recipere à Deo formam frigiditatis contrariam suæ naturali inclinationi calefaciendi: ergo potest à Deo pati violentiam. Minor cũ consequentia certa, & major patet ex diffinitione violenti.

Confirmatur. Deo projicienti sursum lapidem, nil deficit, ut ei cõpetat diffinitio violenti: ergo idem. Probatur antecedens, nam in primis est principium extrinsecum motus lapidis sursum; aliunde verificatur lapidem nullam conferre vim motui illi, sed potiùs opposito; nam tunc ascenderet gravitando non secùs, ac si ab homine projiceretur: ergo.

Confirmatur 2. Damnati sunt violenti in inferno, ubi torquentur; sed hanc violentiam infert Deus: ergo Deus &c. Maj. patet: Quis enim dicat dæmones, & damnatos ibi detineri juxta suam inclinationem? Hoc videtur tradidisse B. Ægidius in 2. Sent. dist. 25. q. 1. art. 3. dub. 1. lat. ubi in solutione argumentorum docet, quòd voluntas nostra non potest à Deo cogi; cetera autem possunt à Deo cogi, & violentari.

3. 3. Probatur eadem sent. Ex eo quòd creatura sit capax omnis motus, quem Deus voluerit, non sequitur quòd non possit pati violentiam à Deo: ergo potest violentari. Probatur antecedens. Lapis sursum projectus à creatura, capax est illius motus sursum: & tamen hæc capacitas non tollit violentiam: ergo.

Confirmatur 1. Ideò creatura non posset violentari à Deo, quia violenti esset resistentiam pati; Deus autem est agens ita forte, ut ei creatura non possit resistere, ut dicitur Sapientiæ 12. at hæc ratio nil valet: ergo &c. Probatur min. In omni motu violento contingit quòd agens est fortius

tius passo, & ei passum non posit resistere; alioquin agens non induceret terminum violentum: ergo quòd Deo nulla creatura posit resistere &c.

Confirmatur 2. Ideò Deus non posset violentare, quia licèt agere possit contra particularem inclinationem creaturæ, non tamen contra universalem inclinationē, qua omnis creatura nata est obedire Deo: at hæc ratio est nulla: ergo &c. Probatur min. Hac ratione utitur D. Thomas locis infrà landis, eamō confirmat exemplo aquæ, quæ licèt contra inclinationem suam particularem ascendat sursum ad vitandū vacuum, non tamen violentatur, quia ascendit conformiter ad inclinationē universalem, qua omnis creatura inclinatur ad vitandum vacuum. Sed exemplum hoc non tenet: ergo ec ratio solida est.

Minor multis probatur à P. Vazquio ubi suprà, dicente hanc duplicem inclinationem in aqua tradi solùm à vulgaribus Philosophis; & quòd asserere motum aquæ sursum esse naturalem ob illam inclinationē universalem, merum figmentum est. 2. Nam si in aqua est illa duplex inclinatio, illa erit ab eodem principio, nempe à natura: sed duplex & opposita inclinatio tendendi deorsum, & sursum, non potest venir ab eodem principio: ergo in aqua non est. 3. Nā aqua sic per fistulam ascendens, ascendit gravitando; gravitare est reniti, & sūo modo vim conferre motui opposito. Ergo non ascendit naturaliter, sed violenter.

§. II.

Sententia negans traditur, & probatur ex P. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio.

4. SENTENTIA negans Deū posse creaturis violentiam inferre, communis est inter Thomistas, & Ægidianos; quare licèt Deus aliquando det rebus terminum contrarium suæ naturali inclinationi, ut dum Sol retrocessit decem lineis in horologio Achaz; vel interdum deneget terminum naturalis inclinationis, ut dum Sol stetit ad imperium Josue, & ignis Babylonicus non combusit, nec tetigit omninò sanctos pueros; in his, & alijs à solo Deo effectis, nulla illata est violentia simpliciter, quoniam talem nunquam potest Deus creaturis inferre.

Hæc sententia est expressa in P. Augustino lib. 26. contra Faustū Manichęum cap. 3. ubi dicit: *Deus creator, & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit: id enim erit cuique naturæ naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis numerus, & naturæ ordo.* Hæc ferè verba sua fecit D. Thomas 1. 1. q. 104 art. 4. ad 2. dicens: *Deus nihil operatur contra naturā, quia hoc est natura uniuscujusque rei, quod Deus in ea operatur.*

Eandem sententiam tenuit D. Thomas ubique, sed præcipuè 3 p. q. 44. art. 2. ad 1. ubi dicit: *Sicut inferioribus corporibus naturale est moveri à cœlestibus corporibus, quæ sunt superio-*

per ra ſcundùm natur di em; i e iam naturale ſt cui ibet creatur æ, ut tranſmutet r à Deo ſec ndùm jus volũtatem: unde A guſt nus d c t &c. Hìc reponit D. Thomas authoritatem au daram P. Auguſtini. Vide in tabula aurea verbo *natura* plura loca D. Thomæ, conſtanter docentis ſententiam Auguſtinianam.

5. 2. Probatur ex P.N. ſ nté-tia 283. ex decerptis, ubi ait: *Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit.* Rationem aſſignat, & noſtram intelligentiam ſimul corrigit, ſubdens: *Nobis ergo videntur contra naturam inſolita, quibus aliter naturæ curſus innotuit; n n a tẽ Deo, cùm hoc ſt natura, quod ipſ fec r it.* En in miraculis putamus Deum agere contra nat ram, quia git cont a ſolitum naturæ curſum: ſed co rigendũ eſt judicium noſtrum, & debemus generaliter putare, id eſſe conforme cujuſcumque naturæ, quod ipſe conditor feçerit.

Sententiam P. noſtri tenuit, & de mente illius explanavit B. Ægidius 2. Sentent. diſt. 28. q. 1. art. 2. per omnia dubia lateralia. Et 1. Sentent. diſt. 42. princ. 2. q. 2. (in nova impreſsione q. 2. art 2.) ad 4. ubi aſt: *Dicẽdum, quòd licèt Deus aliqua faciat, quæ natura facere nequit, non tamẽ propriè facit contra naturam, ſed præter, vel ſupr naturam. Diſtinguuntur enim duo genera rationum, quas Deus naturæ indidit, ſcilicet ſeminales, & obedientiales: & Author nat ræ nunquam facit contra naturam, quia nunquam facit cõtra rationes obedientiales, ipſi naturæ inditas, licèt videa ur a iquomodo agere contra rat ones ſem nal s.* Quæ doctrina ſt P. A guſtini lib. 9. de G n. ad litt. cap 18. ubi aſsignat duas iſtas rationes ſem n les, & obedi ntiales, ſeminales ad effectus uſitatos naturæ, obedientiales ad miraculoſos, & inſolitos.

Hæc doctrina, quam à P. Auguſtino accepiſſe vidimus Beatos Doctores noſtros, inſinuatur in libro Sapientiæ, unde à Protoparente Auguſtino aſsumpta eſt, ut pa et x ejus lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 32. ubi allegat verba illa, *Attingit à fine uſque ad finem fo tite, & diſpo it om ia ſuaviter.* Si ſuaviter: ergo non violente, & co a a u am, ſed juxta rationes na uræ inditas, ſeminales, vel obedientiales.

6. A ratione pr batur eadem ſententia ex dict s ſic: Nequit viol tia inferri ab eo agente, à quo quidquid eſt, naturale eſt: ſed quidquid Deus agit in creaturis, eſt eis naturale: ergo Deus nequit per ſe ipſum ullam creaturis violenti m inferre. Major patet, nam quod eſt naturale, nequit eſſe violentum; quare ab agẽte ſemper agente naturaliter, nequit inferri violentia. Minor ſt exp ſſa in P. Auguſt. D. Thoma, & B. Ægidio laudatis. Quibus adde Scripturam docentem, Deum omnia diſponere ſuaviter; ſi ſuavite : ergo nihil v olenter. Conſequentia eſt legitima in *Celarem.*

Confirmatur. Quod non eſt cõtra omnem inclinationem naturæ, nõ eſt violentum: ſed quidquid Deus fa-

cit

cit in miraculis, non est contra omnẽ inclinationem rerum; ergo in miraculis non infert Deus rebus violentiam. Major patet ex diffinitione violenti, quod dicitur *A principio extrinseco, passo nullam conferente vim*: quod autem est juxta aliquam inclinationem passi, taliter est, ut per illam passum conferat aliquam vim. Minor probatur: In creatura est duplex inclinatio, una in terminum à Deo præscriptum juxta istum ordinem usitatum naturæ v.g. quòd ignis calefaciat, aqua infrigidet: alia est inclinatio ad obediendum Deo volenti, & agenti: sed licèt Deus in miraculis operetur contra primam inclinationem, non tamẽ cõtra alteram: ergo nunquam operatur contra omnem.

7. Vrgetur. Quod est secundùm rationes seminales, vel obedientiales, inditas naturæ, dũ primò creata est, id est naturale, & nequit esse violentũ: sed quidquid Deus agit, etiam operans miraculosè, supra, vel præter usitatum cursum naturæ, id est secundùm rationes saltem obedientiales: ergo est naturale, & non violentum. Consequentia tenet, & major, & min. sunt P. Augustini, ex quo traduntur à B. Ægidio ubi supra.

Vrgetur 2. Author naturæ dãs naturam, & inclinationes naturæ, non agit violenter, nec contra naturam: ergo author naturæ agens semper juxta inclinationem à se ipso datam rebus, nunquam agit violenter. Sed Deus ut author naturæ non solũ dedit rebus rationes seminales ad effectus usitatos naturæ, sed obedientiales etiam ad effectus miraculosos: ergo dum in miraculis Author naturæ agit juxta rationes obedientiales, non agit violenter. Ob id est cuilibet naturale, quod Deus fecerit, ut docet Augustinus.

3. Licèt aqua ascendens per fistulam ad vitandum vacuum, ascẽdat contra propriam inclinationem tendendi deorsum; quia tamen motus sursum est conformis inclinationi superiori vitandi vacuum, ideò motus ille violentus non est: ergo in igne babylonico non comburente pueros, licèt se continuerit contra particularem inclinationem, non tamen violenter, quia cãrẽtia combustionis fuit juxta inclinationem superiorem obediendi Deo volenti, & agenti.

8. Respondet Arriaga negãs dari in creatura inclinationem ad obediendum Deo volenti, & agenti; in aqua etiam negat inclinationem ad vitandum vacuum; addens has non esse inclinationes, sed capacitates obediendi, & ascendendi, quæ non sufficiunt vitare violentiam, cùm omnis violentia supponat capacitatẽ in subjecto ad motum violentum. An autẽ hæc capacitas dicenda sit inclinatio, quæstio est de nomine.

Fatemur hoc ultimum esse dissidium de voce, sed tale suscitat Arriaga, ut in contraria opinione persistat, & nostra fundamenta dissolvat. In hoc dissidio tenetur dicere Arriaga: *Creaturam violentari, dum Deo agenti, & volenti obedit*, quia ad talem obedientiam creatura non inclinat, sed ejus capax est, quod non sufficit ad vi-

vitandam violentiam. Nos tamen, qui agnoscimus in creatura inclinationé ad obediendum Deo, *Negamus creaturam violentari in tali obedientia.* Vide ex quæstione de voce nostram, & aliorum assertionem.

Longè aliter de creaturis discurrit D. Thomas 1. p. q. 60. art. 5. ubi directè probat inclinationem in omni creatura ad obediendum Deo. Probat sic: In rebus naturalibus unumquodque, quod secundùm naturam id quod est, alterius est; principaliùs inclinatur in id, cujus est, quàm in se ipsum: hac causa manus sine deliberatione exponitur ictui ad conservationem totius corporis. Sed omnis creatura secundùm id quod est, Dei est: ergo magis in omni motu suo inclinatur in Deum, quàm in se ipsam. Ergo quicumque motus in ea causatus à Deo volente, & agente, est secundùm inclinationem prædominantem, & præponderantem. Ergo nullus est ei violentus; nec ad parendum Deo adest sola capacitas, sed insuper inclinatio, & non quælibet, sed quæ superat proprias ipsius creaturæ inclinationes.

9. Præterea: Capacitas est ad bonum, vel malum; inclinatio ad solum bonum subjecti, quod inclinatur. Hinc creatura capax est essendi, vel non essendi, sed non inclinat, nisi in esse, quia solùm esse est ei bonum. Lapis est capax motus sursum, sed nō inclinat in talem motum, quia motus ille non est bonus lapidi, sed contrarius suæ gravitati. Ergo ut obedientia creaturarum, & vitatio vacui in aqua ascendente oriatur ex inclinatione, aut ex sola capacitate, videndum est, an utraque sit perfectio creaturæ obedientis, & aquæ ascendentis. Atqui utriusque perfectio est: ergo nedum capacitas, sed inclinatio adest in creatura ad obediendum Deo, & in aqua ad vitandū vacuum.

Hæc minor probatur. Vacuum est malum naturæ, quo dato, non possunt conservari res sublunares: ergo vitatio vacui est perfectio cujuscumque sublunaris, sicut est conservatio sui esse. Antecedens patet tum experientia tot mirabilium, quæ videntur in creaturis ad impediendum vacuū, inimicum naturæ. Tum quia cùm res sublunares pendeant ab influxu cœlesti pro sui motu, & conservatione; & hic descendat per contactum spatij intermedij; si daretur vacuum, non descenderet; & sic omnia sublunaria perirent.

Quòd autem obedire Deo sit perfectio omnis creaturæ, inde patet, quòd in creaturis liberis est perfectio moralis: ergo in reliquis est perfectio physica. Tum quia ordinari in proprium finem, perfectio est; tunc autem creatura benè ordinatur, dum Deo obedit, à quo facta est. Tum etiam, quia sicut vitare vacuum est perfectio; quia ex vacuo sequeretur destructio naturæ; cùm etiam ex resistentia Dei conservantis, & frustratione voluntatis illius, sequeretur etiam destructio naturæ; vitare talem resistentiam obediendo Deo volenti, & agenti, perfectio est. Præterea: Si omnis creatura est, quia Deus vult;

quan-

quando erit perfecta, nisi quando agit quod Deus vult?

§. III.

Solvuntur fundamenta contraria.

10. FVNDAMENTA contraria vel nil probant, vel tantũ suadent Deum posse agere contra particulares rerum inclinationes; quod verum est, sed insufficiés pro violétia, quæ petit simpliciter esse contra omnem inclinationem. Ad primum fundam. positum num. 1. dic Deum posse facere se solo quod facit efficienter cum creatura, sed non eodem modo, sed longè eminentiùs, & sine imperfectionibus. Sic cum creatura efficit actum vitalem, sed se solo non potest illum vitaliter efficere, nec sub ratione vitalis, sed sub ratione qualitatis. Quare nostros actus amoris, odij, intellectionis, sensationis &c. qui vitales sunt, fiunt etiam à Deo nobiscum cooperante, sine quo nihil facere valemus; cæterùm tales actus Deus se solo facere non potest, ut vitales sunt. Ergo licèt concurrat cum manu nostra projiciente lapidé, & efficiat motum illum violentum; poterit se solo motum illum efficere; sed non ut violentus est.

Vtriusque est eadem ratio. Deus efficit quidquid perfectionis est, demptis imperfectionibus. In actu vitali datur actualitas efficienter producta; & hæc est perfectio. Datur ratio vitæ accidentalis, constituens principium, à quo oritur, vivens accidentaliter; & hoc est imperfectio repugnans Deo, qui est vita substantialis. Sic in motu violento, datur actualitas motus efficienter producta; & hæc est perfectio. Datur etiam quòd ille motus sit contra omnem inclinationem passi; & hoc est imperfectio agentis, quod ligatur particulari inclinationi partis. Deus autem sic non potest ligari, quia potest quantum vult, nec potest agere contra omnem inclinationem creaturæ, nisi ponendo, quòd Deus agit o ens, vel quòd non est inclinatio in creaturæ ad obediendũ Deo volenti. Horum secùdum est falsum, ut probatum est; primum autem est imperfectio repugnans Deo, qui non nisi volens operatur.

Hinc fit quòd Deus se solo non potest efficere actum vitalem, ut talem, nec violentum, ut violentum. Quòd si instes, per ens c r concurrit cum creatura d ctus violentos, & vitales, ut tales, si eos se solo non potest efficere? Respondeo 1. Quòd titulo causæ universalis dat concursum exactum à creaturis; creaturæ autem exigunt concursum ad actus vitales, quibus vivunt, & interdum ad motus violentos: immò & ad actus peccaminosos, qui sine dubio à solo Deo non possunt effici. Dum autem se solo operatur, gi Deus, ut author specialis, quate non dat concursum violentum: Respondeo 2. Quòd sicut dictum est lib. 1. q. 12. & 14. Deus concurrens cum creatura generante, non generat, nec educit, sed reipsa actio est creativa, qua etiam tunc creat, dum ita concurrit. sic non concurrens cũ

creatura violentante, non violentat, sed ejus actio, & terminus, ut terminat actionem Dei, naturales sunt, licèt relatè ad creaturam violentãtem sint violenti. Per quod patet ad confirmationem.

11. Ad secundum fundamentum positum num. 2. dic unam creaturam posse ab altera violentari, quia non est nata obedire illi, nec relatè ad illam habet rationes obedientiales, sed solas seminales per particularem inclinationem. Quare semel quòd ab ea recipiat terminum contrarium suę naturali inclinationi, violẽtatur, quia cùm recipit contra rationes seminales, nec habet obedientiales, quibus terminus sit conformis. Deus autem dans igni frigiditatem, ageret contra rationes seminales, sed non contra obedientiales, nec contra superiorem inclinationem obediendi Deo, reperiam in igne, & quocumque ente creato: quare à Deo nequit pati violentiam.

Ad 1. confirm. dic, quòd Deus sursum projiciens lapidem, esset agẽs extrinsecum, sed non violentans: nam tunc lapis ipse aliquam vim conferret motui per superiorem inclinationem obediendi Deo. Nec obstat, quòd tunc lapis ascenderet gravitãdo; quod Prado, & alij negant; sed eo dato, solùm sequitur, quòd particularis inclinatio gravitatis resisteret; at non omnis inclinatio, quia jam assignata est alia, quæ cooperaretur motui. Motus hominis saltantis non est violentus, quia est juxta inclinationem superiorem viventis; etsi saltet gravitando ob repugnantiam suæ gravitatis.

Ad 2. confirmat. dic dæmones esse violentos in inferno, sed talem violentiam non causari à Deo immediatè, sed medio igne, cui Deus dæmones alligavit; & cùm ratione suæ naturæ spiritualis habeant dominiũ in omnia corporalia, dominantur tamen ab igne inferni corporeo, cui sunt alligati, & ob id violentantur. Negamus Deum posse se solo immediatè violentiam inferre; cujus cõtrarium non probat hæc replica.

12. Observa quòd dæmones violentantur moraliter, & physicè. Moraliter, quatenus tristantur, & voluntariè resistunt Dei ordinationi; physicè quatenus alligantur igni, cui debebant dominari. De prima violẽtia, quæ oritur in voluntate eorum liberâ, & est defectuosa, nequit dici, quòd à Deo sit mediatè nec immediatè, quia malum morale à Deo nõ est, nec potest, sed à voluntate creaturæ juxta illud Oseæ 3. *Perditio tua ex te Israël; tantummodo in me auxilium tuum.* Voluntas ut natura est, inclinat ad obediendum Deo, quare physicè non potest à Deo violentari immediatè, & per se. Ut autem est potentia libera non habet istam naturalem inclinationem, sed libertatem, ut obediat, vel resistat; ex abusu dæmonum eorum voluntas resistit Deo, & moraliter violentatur.

Ad doctrinam B. Ægidij, dic ibi non docere creaturas, exceptis liberis, posse violentari à Deo. Ibi enim tantùm docet, cur voluntas non possit co-

cogi nec à Deo, nec à creaturis in suis actibus elicitis, licèt aliæ potentiæ possint cogi, & violentari saltem à creaturis. Ait enim cum D. Anselmo *Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari; torqueri invitus, quia nolens potest torqueri; occidi invitus, quia nolens potest occidi: sed velle non potest invitus, quia nolens non potest velle.*

Observa quòd licèt Deus non possit per se ipsum violentare, potest tamen per se ipsum necessitare creaturas, ut patet in Beatis, qui à Deo necessitantur ad sui amorem beatificum. Necessitas illa opponitur libertati, sed non naturalitati, & sic non est violentia: nam amor ille est à voluntate Beati non resistente, sed potiùs vim conferente cum magna delectatione.

13. Ad 3. fundam. positum num. 3. dic lapidem projectum sursum, violentari, quia ad motum illū non habet inclinationem, sed solam capacitatem: at in creatura non solùm est capacitas, sed inclinatio ad quemcumque motum, aut terminum Deus voluerit, ut contra Arriagam probatum est num. 8. & 9. quare nūquam à Deo potest pati violentiam.

Ad 1. confirm. dic nos nō probare Deum non posse violentare creaturas, quia est agens fortius, sed quia est Author naturæ, taliter, ut cuilibet creaturæ sit naturale, quod Deus facere vult. Hæc ratio, & altera sumpta ex inclinatione physica omnis creaturæ ad obediendum Deo, non probāt de creaturis invicem comparatis, licèt una sit altera fortior; cùm nulla sit author alterius, nec illi obedire teneatur. Quòd si aliqui DD. nostræ sententiæ probant eam ex impotentia resistendi Deo volenti, & agenti; non debent intelligi de quacumque impotentia, sed de illa, quæ nascitur ex rationibus obedientialibus, quibus creatura inclinatur ad obediendum Deo agenti. Hæc impotentia non est in creatura relatè ad alteram fortiorem; quare de creaturis invicem ratio non instatur.

14. Ad 2. confirm. nego quòd ratio illa non sit solida, & quòd exemplum aquæ non teneat. Ad probationes in contrarium, dicimus illam duplicem inclinationem aquæ, tradi à D. Thoma, B. Ægidio, & alijs Philosophis conformiter ad doctrinam P. Augustini: quos omnes si velis esse Philosophos vulgares, cum his vulgaribus volumus sentire, vel dissentire. Cum eis dicimus etiam, motum aquę sursu— ad vitandum vacuum esse aquæ naturalem, etsi non conformem inferiori inclinationi suæ; nec hoc esse figmentum merū, ut ait Vazquez, sed verum dogma philosophicū, quod testantur res ipsæ naturales, & rationes suprà inductæ.

Et quidem unde cognoscere possumus formas, & naturales earum inclinationes, nisi ex motibus? Atqui videmus naturales motus esque deliberatione in bonum universi contra bonum proprium particulare, ut de manu ictui exposita, & de alijs clarè patet: ergo quia in rebus datur non sola inclinatio in bonum proprium, sed in bonum universi.

Rur-

Rursus: Deus naturarum conditor, eas rebus dedit inclinationes, quæ necessariæ sunt ad earum conservationem: atqui nedum conservantur individua, sed species, & universum constans ex speciebus; ergo dedit non solùm inclinationem particularem ad bonum proprium individui, sed ad conservationem speciei per propagationem; & ad conservationem universi vitando vacuum, & omnia, quæ aliquomodo contrariantur naturæ partium universi.

Nec urgent rationes Vazquij in contrarium. Ad 1. dic, quòd sicut eadem aqua est ens totale, & est pars universi, & sub utraque acceptione est effectus Dei; sic habet diversas inclinationes, ut totum, & ut pars. Nec inconvenit sumi illas ab eodem principio aliter, & aliter accepto. Sicut ab eadem anima, quatenus corpori dat esse, quatenus vivificat, & quatenus intellectiva, diversa, & contraria operatur. Ad 2. admitto aquam ascendere gravitando, & resistendo ratione suæ gravitatis: at hæc resistentia non est violentia simpliciter, sed secundùm quid, quia per alteram inclinationem superiorem vitandi vacuum, vim confert motui sursum, ut dictum est. Et quidem in actibus liberis, etiam meritorijs, voluntas, & spiritus sæpè promptus est servare Dei mandata, non autem sic caro infirma, quæ sæpissimè resistit; nec tamen hæc carnis resistentia tollit voluntarietatem meriti. Ergo nec naturalitatem motus conformis inclinationi superiori infirmat gravitatio aquæ, & renitentia inclinationis particularis.

QVÆSTIO TERTIA

Quid, & quotuplex sit causa?

§. I.

Traditur, & explicatur diffinitio causæ in communi.

1. IN hac & sequenti quæst. doctrinam dabimus vel apud omnes communem, vel si specialem nostræ Scholæ, alibi tamen disputatam, vel disputandam & probandam. Ob id etiam authoritates P. Augustini omittemus, quas infrà invenies, dum sermo erit de causis in particulari. Hoc unum te monitum velim, nempe P. Augustinum non solam causam efficientem agnovisse, ut putavit Suarius in Metaphys. disp. 12. sect. 3. sed omnes, ut suo loco demonstrabimus; interim Suarij fundamentum expendere necesse est.

Probat ex P. Augustino lib. 83.

qq. quæst. 28. ubi ait: *Omnis causa efficiens est.* Quod antea Tullius dixerat lib. de Fato inquiens: *Causa est quæ efficit, cujus est causa.* Quare cum Plato (ut dicitur) nullam nisi efficientem causam admiserit; cum Platone in id inclinasse videtur P. Augustinus.

At venia tam eximij Doctoris, & in doctrina Augustiniana versatissimi, ibi Augustinus docet oppositū; nam loquitur de causa finali, de qua dicit suum etiam efficere effectum. Verba S P. sunt hæc: *Qui ergo quærit quare voluerit Deus mundum facere, causam quærit voluntatis Dei, sed omnis causa efficiens est: omne autem efficiens majus est, quam id quod efficitur; nihil autem majus est voluntate Dei: non ergo ejus causa quærenda est.* En loquitur de causa *quare*, vel *cur*: sed juxta S. P. in Rhetor. cap. 4. *cur, significat causam faciendi*; hoc est finem faciendi, qui est causa finalis: ergo ibi loquitur de causa finali, quam non negat nisi voluntati Dei, quæ major est omni fine creato.

Dicit ibi, omnis causa efficiens est, vel quia tenet causam finalē concurrere etiam efficiendo, ut suo loco videbimus; vel quoniam ly *efficiens* non sumitur strictè, sed latè, ut significat *causare*: quo sensu omnis causa causat, & eo modo efficit; alioquin non esset causa, si non causaret. Nec cum Platone negat alias causas, qui cum Platone docet causam materialē *Vnde factum est* quod *inde factum est*, nempe forma, quæ est causa formalis. Nec de exemplari causa dubitavit, qui tam prolixè ideas Platonis probavit, & explicuit. Hoc notato.

2. Causa in communi, plurifariam diffinitur. Ab Arriaga sic: *Quæ per se influit producendo essentiam.* Suarius, & alij dicunt quòd causa est *Principium per se influens esse in aliud.* Pereira sic: *Principium influens esse in effectum.* Fonseca, & alij sic: *Id, à quo aliquid per se dependet.* Carmelitæ ad mentem D. Thom. sic: *Ad cujus esse sequitur aliud.* Quæ diffinitio traditur à B. Ægidio in 1. Sent. dist. 3. q. 2. art. 2. art. 3. dicente: *Causa est, ad cujus esse sequitur aliud.* Metinero cum Scoto ait: *Causa est principium propter quod alterum est secundùm esse, vel secundùm fieri, aut conservari, aut secundùm aliā dispositionem.* Spinula dicit esse; *Ex qua aliquid fit.*

Non licet expendere tot diffinitiones, sed observa in tribus primis, inde etiam collige, vel quòd sola datur causa efficiens, cùm ea solùm causet influendo; vel quòd omnis causa efficiens est in sensu suprà dato diffinitionis Augustinianæ, ut videas non benè Platoni, nec Augustino platonizanti tribui agnitionem solius causæ efficientis.

3. Hìc observa cum N. Villanovā, apud omnes Authores certū esse, quòd omnis causa est principiū. Ceterùm quia in Divinis datur principium, quod non est causa, cùm Pater sit principium Filij, cujus causa non est; ideò ut assignent differentiā inter causam, & principium, & excludant à Patre æterno rationem causæ sui Filij, in tot itum est sententias, unoquoque pro libito suam assignante diffinitionem.

Patet

Patet hoc ex ipsis diffinitionibus; nam prima excludit Patrem à ratione causæ Filij, quia Pater non producit essentiam Divinam, sed relationem filiationis. Secunda excludit Patrem æternum, quia Filius productus à Patre, non est *aliud ab ipso*, sed *alius*, quia Pater non producit aliud à se, sed aliud, nempe Personam distinctã, sed ejusdem naturæ & essentiæ. Tertia excludit Patrem, quia Filius non est effectus Patris, sed genitus, & productus. Quarta excludit Patrem, quia Filius non dependet, sed sine dependentia procedit. Quinta ob rationem datam pro secunda. Vltima, quia Filius non est *ex* Patre, sed *à* Patre.

4. Dicendum est cum D. Thoma, & B. Ægidio quòd causa est, *Principium, ad cujus esse sequitur aliud*. Ita B. D. loco citato. Hæc diffinitio non convenit Patri æterno respectu Filij, quia ut docet B. Ægidius 3. Sentent. dist. 4. q. 2. art. 1. *In Divinis non est aliud, & aliud, quia non est ibi alietas essentiarum: licèt sit ibi alius, quia est alietas Personarum.*

Quæres quid sit principium? Respondeo quòd est *Illud unde aliquid est, fit, aut cognoscitur*. Sic dictum est libro antecedenti. Sed ex hìc dictis diffiniri potest *Illud ad cujus esse sequitur alius, vel aliud*. Sic comprehenditur omnis causa, & omne principium. Nota quòd tam nostra, quàm reliquæ diffinitiones, explicant quòd causa, & principium debent esse prius principiato. Ceterùm cũ sit multiplex prioritas, nempe ordinis, originis, naturæ, causalitatis, & durationis, de quibus jam dictum est suprà, & uberiùs infrà; ideò in nulla ex diffinitionibus explicatur quæ sit prioritas, ut omnes causæ in communi diffiniantur.

5. Objicies: Ad Auroram sequitur dies, ad punctum linea; ad instans tempus; ad privationem forma; & etiam sequitur, *Est dies: ergo lux est*. Et tamen aurora non est causa diei; nec punctus lineæ; nec instans temporis; nec privatio causa formæ; nec dies lucis: ergo perperam diffinitur à B. Ægidio.

Respondetur quòd dies, tempus, linea, & forma sequuntur ad auroram, instans, punctum, & privationem, sequela ordinis, & durationis, non verò sequela influxus, aut causalitatis essendi ab esse: quare nõ sunt causæ. Rursus dies est causa lucis in inferendo, sed non in essendo, quia potiùs dies sic est effectus lucis. Alias objectiones contra istam diffinitionem omitto, tum quia ex dicendis patefient, tum quia majoris obscuritatis sunt, quàm utilitatis.

§. II

Explicatur quot sint genera causarum.

6. OMISSA morali causa, quæ causat effectũ suadendo, consiliando, rogando, aut præcipiendo: causa realis physica, de qua Philosophi naturales, primò dividitur in causam per se, & causam per accidens; illa est *Ad cujus esse sequitur per se aliud*: *hæc autem ad cujus esse per accidens sequitur aliud*. Talia sunt *fatum*, & *fortuna*,

tima, de quibus in fine hujus libri. Nul li dubium quòd hæc divisio est adæquata : sed dubitatur an sit univoca ? Respond. negativè, quia ratio causæ inæqualiter participatur à causis per se, & per accidens, ut notum est; inæqualitas in ratione communi infert analogiam.

Causa per se dividitur in quatuor genera causarum, quæ sunt materialis, formalis, efficiens, & finalis. De omnibus hìc agendum tam in communi, quàm in particulari : & pro nunc supponendæ potiùs, quàm probandæ sunt earum diffinitiones. Causa ergo materialis est *Ex qua aliquid fit, cùm insit.* Causa formalis est *Actus per quem res in alio esse specifico cõstituitur.* Causa efficiens est, *Id à quo procedit effectus.* Causa finalis est *Id propter quod effectus est.* Omnes istæ continentur his terminis *Ex quo : per quod : à quo: & propter quod.* Hi termini sunt valdè notandi in disputationibus, quia sunt rationes differentiales causarum.

Sit exemplum in generatione equi. Quæris *ex quo* generatur equus? Respondeo generari ex materia prima præsupposita. En causa materialis equi, quia est *ex qua* equus generatur. Petis *per quid* constituitur equus in ratione talis? Respondeo quòd per formam equinam. En forma equina est causa formalis, quia per illam cõstituitur equus in specie determinata. Quæris *à quo* equus generatur? Respondeo produci à Deo, à sole, & ab equo generante. En omnes isti sunt causæ efficientes geniti, quia ab eis fit effectus. Petis *propter quid* Deus, sol, & equus generant equum? Respondeo quòd propter conservationẽ speciei equini, quæ sine successiva individuorum propagatione non posset conservari. En finalis causa hujus generationis. Quare cùm nil ultrà restet sciendum nisi *Ex quo, per quod, à quo, & propter quod* fit equus; signum est quòd ad ejus generationem solùm concurrunt causæ materialis, formalis, efficiens, & finalis.

Observa quòd præter factum, & formalem causa per se, dari etiam (maximè intra genus causæ efficientis) aliæ causæ per accidens. Pro quo observa, quòd illa est causa efficiens per se, à qua taliter dependet actio, ut sine illa non existeret. Causa verò efficiens per accidens est illa, quæ accidit causæ per se, & sine illa daretur effectus. Sic statuarius est per se causa statuæ; quòd autem ille sit musicus, aùt vocetur Petrus, est per accidens, nec ab hoc pendet effectus, cùm statua æquè benè fieret à statuario, non musico, quàm ab artifice callente musicæ præcepta. Idem contingit in causis formalibus. Statuarius formal statuam propter lucrum stipendij; quòd autem pretium accipiendũ sit de manu Petri, vel Francisci, hoc plenè est per accidens.

7. Quæres an istæ causæ conveniant univocè in ratione communi causæ? Ante decisionem ostendo, quòd diffinitio causæ analogicè convenit Deo, & creaturis. Tum quia Deo, & creaturis nihil est univocum, ut in Antepræd icamentis dictum est. Tum quia

cùm omnis causa secunda dependeat in suo esse & operari à causa prima; solùm possunt analogicè convenire in ratione causæ. Ob eandem ferè rationem substantia, & accidens solùm cõveniunt analogicè in ratione causæ. Dubium est, an causa materialis, formalis, efficiens, & finalis conveniant univocè in ratione causæ creatæ?

Affirmat Froylanus lib. 2. Physicæ q. 2. de causis in communi, art. unico §. 3. Probat, quia ratio causæ simpliciter participatur ab omnibus assignatis: ergo est univoca ad eas. Probatur antecedens. Quælibet causa independenter ab alia habet rationem causæ: nam materia independenter à forma habet à se ipsa esse causã receptivam: forma etiam independenter à materia habet per se ipsã actuare subjectum: finis etiam à se ipso habet movere; efficiens à se ipso habet efficienter producere. Ergo quælibet est causa simpliciter.

Hæc probatio est inefficax, teste ipso Magistro, qui ibidem numero præcedenti illam dissolvit. Nam docens quòd ratio causæ est analoga ad substantiam, & accidens, sic arguit contra se. Dices: Accidens in operando non pendet à substantia: ergo divisio causæ ad substantiã, & accidens univoca est. Respondet Froylanus sic: Dicendum hanc replicam probare divisionem causæ non esse analogam ad substantiam, & accidens, analogia orta ex dependentia unius ab alio; non tamen non esse analogam analogia orta ex inæquali participatione, quatenus virtus substantiæ est talis simpliciter, virtus accidentis solùm secundùm quid. Ergo, eo teste, ratio adducta probat non esse inter causas analogiã dependentiæ, sed non probat de analogia inæqualitatis; maximè cùm causa finalis sit impropriè causa.

8. Dicendum cum B. Ægidio hic text. 28. quòd ratio causæ est analoga ad omnes causas. Patet hoc, tum ex Philosopho, dividente causas penes diversos modos causandi; quæ divisio indicat analogiam rationis divisæ, ut patet in ente, quod dividitur penes diversos modos. Tum, quia dividendo causam per diversa genera, non conveniunt in genere univoco, sed in ratione analoga, quæ supra genera est.

Probatur ratione. Quæ differũt potentialitate, differunt genere, & sic solùm conveniunt analogicè, cùm supra genus nihil sit univocum: sed quatuor causæ numeratæ differũt potentialitate: ergo solùm conveniunt analogicè in ratione causæ. Minor probatur. Causa materialis est potentialitas purè passiva; causa formalis non est potentialitas, sed actualitas; idem de efficiente, quæ constituitur activa per formam, quæ est actus: & dato quòd sit potentialis, est talis potentialitate activa, non passiva. Finalis autem constituitur per potentiam, & actum metaphoricum, ut dicemus infrà. Ergo causæ illæ differunt potentialitate. Præterea: Omnia, quibus lib. 1. q. 5. probatum est materiã non habere actum metaphysicum, probant etiam non habere supra se aliquam rationem univocam, ut benè notat

notat hic Froylanus: quare cùm ratio causæ sit quid superius ad materiam, & formam, restat quòd sit ratio analoga.

Quæres, an differentia distingués causam materialem à reliquis, sit positiva? Respondeo, quòd transcendéntaliter est positiva, sed non formaliter. Ratio est, quia causa materialis differt à reliquis per receptionem formæ; materia enim per suam entitatem recipit formam; & cùm entitas materiæ distinguat eam à forma transcendentaliter positivè, & solùm negativè formaliter, ut q. 5. citata dictum est; ideò causa materialis differt à reliquis positivè transcendentaliter, & solùm negativè formaliter.

Quæres, qua analogia sit analoga ratio causæ? Respondeo quòd analogia proportionalitatis. Nam sicut se habet causa efficiens ad suum effectum, sic materialis, & formalis ad suos. Quare omnium causarum analogia fundatur in unitate proportionalitatis.

§. III.

Explicatur, an divisio tradita sit adæquata, & quid sit idea.

9. UT tradita divisio ostendatur recta, & adæquata, primò probabimus necessariò dari in rebus quatuor causas numeratas; deindè quòd præter illas nulla alia est assignabilis: & cùm præcipuè dubium sit de causa exemplari, quæ vocatur idea vel ratio, de illa explicabimus quid sit, & an constituat quintum genus causæ, an verò eductivè spectet ad quatuor genera jam explicata.

Probatur 1, existere in rerum natura causam, jam explicatas. Deficienti sic. Plura denuò fiunt in rerum natura, ut patet oculariter in cótinua rerum sublunarium generatione, & interitu: sed quod fit, ab alio fit, cùm nemo possit efficere se ipsum: ergo datur in rerum natura principium, à quo res fit. Sed principium *à quo* res fit, est causa efficiés: ergo datur causa efficiés.

Hoc argumento sæpè utitur P. Augustinus maximè contra Arrianos, ut ostendat Verbum Divinum non potuisse fieri per se ipsum. Et lib. 7, de Civit. Dei cap. 9. ex effectu non solùm infert causam, sed quòd causa debet esse prior suo effectu. Ait sic: *Semper prior est res, quæ facit, quàm illa quæ fit; sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur, ut fiat, quod non faciens causa præcesserit.*

10. De causa finali sic: Omne agens agit propter finem, vel cognitum à se ipso, si est agens rationale; vel cognitum ab Authore naturæ, si agens irrationale, vel inanime sit, ut infrà ostendemus agentes de causa finali: ergo si datur causa efficiens agens, necessariò datur etiam causa finalis. Advertit S. P. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 9. quòd si daretur causa efficiens sine finali, duceretur fatum in causis, & effectibus; quare ibi reprehendit Ciceronẽ, quòd ex effectibus intulerit causam efficiẽtem, nec meminerit finalis, quę prior

causa est efficiente. De hoc infrà.

De causa mat riali sic : Causa efficiens creata non potest creare , & producere ex nihilo, sed ex præsuppo sito subjecto, ut dictum est lib. 1. q. 3. & 12. & infrà amplius confirmabitur : sed subjectum præsuppositum est materia, & causa materialis : ergo si datur causa efficiens creata, datur & causa materialis.

De formali sic : Materia cù si pura potentia, nullam habés speciem, & actualitatem , non potest effectum constituere in speci d t mina a, ut habeat determina am ssntiam : ergo necessariò astruéda est forma, quæ sit causa formalis , dans actualitatem essentiæ, & co st tuens rem in specie determinata. Observa quòd causa efficiens dat effectui actualitatem ; sed illam d xtr nsecè. ando formam, qua effectus intrinsecè constituitur in actu formali. Has causa novit P. Augustinu , v ca s m te lem *unde fit*, & formalem *inde fit*, ut lib. 1. ostensum est.

11. Probata existentia quatuor causarum in rerum natura, quæ concurr nt necessariò ad quemcumque effectum substantialem, restat videre, s pl es qu`m is æ quatuor? Respondemus negativè; & probatur, quia non est esign bilis causa, quæ non sit reducibilis ad unum ex gen ribus um rat .Hoc ostend tur sigillatim.

Et primò, dispositiones, quibus materia disponitur ad rece tionem formæ, sunt caus re eptio is : eterũ reducũtur ad genus causæ materialis. Nam licèt accidentia disponentia materiam, nõ sint receptiva formæ, quæ in materia recipitur , sed non in dispos i onibus ; a determinant virtutẽ materiæ ad hanc formam præ alia; unde forma rec pitur in materi dispositа: ergo dispositiones illæ non aliter sunt causa, nisi coadjuv ndo c usam materialem ; & sic reducuntur ad genus causæ materialis.

N obstat quòd dispositiones no dan materiæ virtutem receptivam ; unde non sunt de genere ece pt vo, & materiali. Non obstat, quia etiam applicatio ignis ad stupam, non dat igni virtutem effectivam flammæ, sed solùm determinat v rtutem ll us; & tamen hoc sufficit, ut applicatio se teneat ex parte ignis, & reducatur ad enus causæ efficientis : ergo pariter &c.

Dices: Dispositiones sunt formæ accidentales, actuantes materiam: ergo non pe t'nent d genus causæ ma tarialis. Respondeo, quòd formæ accidentales, ut ita actuant materiam, reducuntur ad genus caũsæ formali : ceterùm, ut constituunt mater ã dispositam ad rece ionem formæ, ertinent d c usam m erialem.

12. D us ,quæ dic t - strumentalis, communis Philosophia eam re ucit a illud genus causæ, cujus est instrumentum. Sic accidentia de nere qualitatis, quæ sunt instrumenta substantiæ operativæ, reducũtur ad genus causæ efficientis, in quo est substantia operativa. Sic etiam organa, quibus anima unita corpori, utitur ad suas operationes vegetandi ;

&

& ſentiendi, reducuntur ad genus cauſæ efficientis, quia anima, cujus ſunt inſtrumenta, eſt cauſa efficiens principalis omnium operationum vitalium viventis.

De objectis potentiarum, & habituum, quæ aliquam exercent cauſalitatem in habitus, & potentias, communis ſententia docet reduci ad genus cauſæ formalis extrinſecæ, quia per objectum conſtituitur tam habitus quàm potentia in ſpecie determinata; ob idque dicitur quòd habitus, & potentia ſpecificãtur ab objecto. Specificatio iſta extrinſeca eſt; nam intrinſeca, venit ab ordine, quem potentia, & habitus dicunt ad objectum. Et ratio eſt clara; nam ſpecifica ivũ intrinſecum, eſt diſtinctivum intrinſecum; diſtinctivum intrinſecum eſt conſtitutivum intrinſecum: ſed conſtitutivum intrinſecum nõ diſtinguitur à cõſtituto: ergo nihil diſtinctum à potentia poteſt eſſe ſpecificativum intrinſecum ejus. Objectum autem potentiæ diſtinguitur à potentia, ſecùs ordo potentiæ ad objectum: ergo licèt intrinſecè ſpecificetur ab objecto, intrinſecè autem ſolùm ab ordine, quem dicit ad objectum.

Obſerva, quòd aliqui reducunt objectum ad genus cauſæ finalis, quia ſcientię, potentiæ, & habitus ſunt propter objectum, ut propter finem. At quia non inconvenit objectũ duas diverſas cauſalitates exercere reſpectu ſcientiæ, vel potentiæ, ideò poteſt reduci ſub diverſis conſiderationibus ad utrumque genus cauſæ formalis, & finalis.

13. In ſententia B. Ægidij æquè philoſophantis de objecto voluntatis, & intellectus, dicendum eſt, quòd ſicut objectum intellectus juxta communiorem ſententiam, de qua in lib. de Anim. c. 11 urrit per modum ſpeciei, vel per ſpeciem impreſſam efficienter ad intellectionem, quę nõ à ſolo intellectu efficitur, ſed ab objecto etiam juxta id ex P. Auguſt. deſumptum proloquium *Ab objecto, & potentia paritur notitia*: ſic etiam objectum voluntatis apprehenſum concurrit media intellectione cum volũtate efficienter ad actus voluntatis. Quare ſicut objectum intellectus duo exercet munera, unum cauſæ formalis reſpectu intellectus, quem actuat, & fœcundat; aliud cauſæ efficientis reſpectu intellectionis, cujus eſt com principium: ſic objectum voluntatis eſt cauſa formalis reſpectu volũtatis, & efficiens reſpectu volitionis.

14. Majus dubium eſt de idea, vel cauſa exemplari, an ſcilicet conſtituat diviſum genus cauſæ à relatis? Affirmativa ſententia videtur cõmunis in Schola Platonica, de cujus mente Seneca major Epiſt. 65, dicit ſic: *Quinque cauſæ ſunt, ut Plato dicit: Id ex quo; id à quo; id in quo; id ad quod; id propter quod; noviſſimè id, quod ex his eſt*, nempe effectus. Et ponens exemplum in ſtatua ærea, ſubdit: *Id ex quo, æs eſt; id à quo, artifex eſt; id quo, forma eſt, quæ aptatur illi; id ad quod, exemplar eſt, quod imitatur is, qui facit; id propter quod, facientis eſt propoſitũ; id quod ex iſtis, eſt ipſa ſtatua.* Vide dicta à nobis in Logica lib. 3. q. 2. §. 2.

Ex

Ex his colliges, quòd exemplar, vel idea est quinta causa, distincta à reliquis quatuor enumeratis in sententia Platonis : quare cùm P. Augustinus in hoc & alijs platonizaverit, dicendum erit de mente P. N. quòd divisio causæ in solam materialem, formalem, efficientem, & finalem, non est adæquata, sed restat addere causã exemplarem. Colliges etiam quàm immeritò tribuitur P. Augustino de mente Platonis, quòd non sit alia causa, quàm efficiens : nam quomodo de mente Platonis ponere potest solam causam efficientem, qui quinque genera causarum dissertè statuit, & exponit?

15. Pro decisione explicandum est quid sit idea, vel exemplar. De hoc vide P. August. lib. 83. qq. quæst. 46. per totam. Vide etiam in nostra Logica loco cit. Est ergo idea *Species rei existens in intellectu, ad cujus similitudinem res producitur*. Ita B. Ægidius in 1. Sent. dist. 36. q. 2. art. 1. cum D. Dionysio, qui 5. de Div. nomin. appellat ideas *Exemplaria, & rationes existentium determinativas, & effectivas rerum.*

Pro hujus intelligentia, observa quòd omnis Artifex suum format artificiatum conformiter ad ideam, vel exemplar, quod habet in mente : ob id ars diffinitur *Habitus cum ratione factivus*, hoc est habitus cum idea factivus, quia juxta P. Augustinum idea vocatur *ratio* ; vel quia est effectivus conformiter ad rationem priùs formantem in mente exemplar operis, quod exterius faciendum est. Deus autem, qui supremus est artifex, de quo in Script. dicitur *Omnia in sapientia fecisti* ; omnia facit conformiter ad exemplar, quod habet in mente ; & hoc sunt ideæ factibilium.

Sicut à Deo oritur omne esse creaturarum, sic ab illo est omnis virtus effectiva, & ordo rerum ; quare omnia agentia creata in operibus naturæ operantur artificioso modo, & ordinatè, conformiter ad rectam rationem, à Deo derivatam per ideas, & exemplaria, rebus indita. Non descendunt uniformiter ad omnes causas creatas. Nam Angelis Deus infudit species omnium cognoscibilium in instanti creationis, & eas observãt Angeli ut à Divinis ideis derivatas, ad operandum conformiter ad illas. In hominibus sunt species rerum representative; sed non infusæ, sed propriis laboribus acquisitæ per sensus cum derivatione etiam à Divinis ideis. In alijs autem creaturis sive animatis, sive inanimatis, quæ vel operantur cõformiter ad instinctum naturæ, vel naturalem inclinationem, sunt etiam ideæ metaphoricè ; quia sunt in eis rationes seminales, de quibus egimus lib. 1. q. 2. ubi dictum est qualiter vocãtur rationes, & quomodo ab ideis Divinis derivantur.

16. His notatis dicendum est quòd tantùm sunt quatuor genera causarum, eò quòd exemplar reducitur ad unum ex illis. Quæris ad quod? Si teneas quòd ars concurrit effectivè ad artificiata, ut docet N. Villanova, dic quòd exemplaris causa reducitur ad genus causæ efficientis. Quia tamen

tamen in Proœmialibus Logicę lib. 1. q. 4. §. ulti...o nu... 32. defensavimus quòd ars solùm concurrit dirctivè, quod ibi ostendimus de mente P. August. D. Thom. & B. Ægidij; ob idque diximus Logicam solùm directivè concurrere ad actus aliarum scientiarum: dic quòd exemplar reducitur ad gen..s causæ formalis extri secæ. Ita B. Ægidius in 1. Sent. dist. 8. p. 1. quęst 1. art. 1. & q. 2. art. 5.

Probatur. Nam idea est mensura ideati: sed mensura est causa formalis extrinseca mensurati, cui tribuit speciem saltem extrinsecam: ergo idea est causa formalis extrinseca rerum. Poteris etiam dicere ideam reduci ad genus causæ finalis. Hoc innuit N. F. D. in 2. Sent. dist. 1. p. 1. dub. 5. litt. ubi Divinas rerum ideas reducit ad triplicem causam assignatam, dicens: *A pulchritudine Creatoris sit pulchritudo creaturæ, à fortitudine fortitudo, & sic de alijs; hoc potest dicere & causam efficientem, & formalem exemplarem* (idest extrinsecam) *& finalem.*

Hæc sententia de quatuor tu generibus causarum, communis est, nec adversatur sententiæ Platonis suprà inductæ, quia ipse tantùm contendit causam exemplarem concurrere ad effectus, nec hoc negatur ab Aristotelicis; si quod dissidium est, an sit quinta causa à reliquis distincta? Sed concede quintam, & distinctam, sed reducibilem ad unam ex quatuor; quare est quinta materialiter, & numeraliter, sed non formaliter.

QVÆSTIO QVARTA.

Quot sint, & qualia requisita in causis ad causandum?

§. I.

Explicatur quid sit causa in actu primo.

1. MATERIA hujus quęstionis est fer à doctrinalis, nec in utramque partem disputanda, sed ex dictis, & dicendis ferè supponenda: utilis maximè, quia est fructus collectus ex disputationibus hujus, & præcedentis libri. Omnes ergo causas possumus considerare in actu primo, & in actu secundo causandi. De actu secundo causæ ferè nō est dubium, quia apud omnes causa in actu secundo est causa actualiter exercens suam causalitatem. Sic materia actu recipiens formam, est causa materialis in actu secundo. Forma actu informans materiam, est causa formalis in actu secūdo. Agens actualiter producens, est causa efficiens in actu secundo: ac tandem bonitas apprehensa actualiter movens, & attrahens, est in actu secundo causa finalis.

Du-

Dubium est de his causis in actu, primo, quid sint? Villanova hic respondet breviter, quòd est potentialitas, qua causa est potens producere suum effectum. Respondet benè; si demas verbum *producere*, quod soli causæ efficiéti videtur adaptari. Loco ejus substitue verbũ *causare*, quod omnibus causis cõvenit, sicut nomẽ *causa*. Sicut ergo causa actu causans, est causa in actu secundo causandi; ita causa potens causare, est causa in actu primo; quare potentialitas causę erit causa in actu primo.

2. Quæres, quid sit hæc potẽtialitas? Respondet iterùm N. Villanova, quòd in materia est virtus passiva, qua potest formam recipere: in forma est actualitas: in causa efficiẽte est potentialitas activa: in fine autem est bonitas objecti. Hæc ille: cui non sentior in causis formali, & finali. Nam conceptus causæ in actu primo, est conceptus causæ potentis causare: ergo est conceptus causæ in potentia ad causandum. Sed causa formalis nequit constitui in potentia per actualitatẽ, sed per potentialitatẽ: ergo causa formalis in actu primo non est actualitas, sed potentia ad actuandum formaliter. Hæc sanè potentia fundatur in entitate formæ, quæ ex se est actus; at est actus in se, & signatè, sed non exercitè relatè ad materiã, usque dum actu informat.

Contra causam finalem obstat, quòd hæc non movet, nec finalizat, nisi per bonitatẽ apprehensam, ut dicemus: ergo bonitas objecti est causa finalis radicalis in actu primo; uõ autem proxima nisi quando jam intelligitur apprehensa. Quidquid sit.

Dicemus quòd causa materialis constituitur per potentialitatem passivam ad recipiendum: causa formalis per potentialitatem activam ad informandum: causa efficiens per potẽtialitatem activam ad efficiendũ: causa finalis per potentialitatem ad attrahendum, & finalizandum.

3. Pro explicatione harũ potentialitatum, nota quòd potentia est duplex, una remota & radicalis; altera proxima & immediata. Sit exemplũ in homine intelligente. Hic dum actu intelligit, est causa efficiens in actu secundo; quia actu exercet intellectionem. Dum tamen est potens intelligere, sc. est causa efficiens in actu primo: sed habet duplicem potentiã ad intellectionem; unã remotã, radicalem, & mediatã; & talis est anima rationalis; alteram proximam & immediatam, & ista est intellectus. Quando ergo dicimus quòd causa in actu primo constituitur per suã potentialitatem, intelligendum est de potentialitate proxima, quæ tunc datur, quando ex parte causæ nil ultra requiritur, ut sit plenè potens causare.

Et ut descendamus ad causas in particulari, incipio à materiali. Causa materialis, si est prima in eo genere, ut est materia prima, identificat secum suam virtutem receptivã; quare potentialita materię est entitas ipsius, unde per se ipsam constituitur causa materialis in actu primo. Sic Deus, qui est causa prima efficiens, per se ipsum constituitur causa in actu primo;

&

pè per virtutem activam secum identificatam.

Dices : Materia non est potens proximè causare, & recipere, nisi sit dispositа per dispositiones, realiter à materia distinctas : ergo virtus proxima materiæ constituitur per aliquid realiter distinctum. Respondeo, quòd dispositiones alterãtes materiam, non dant ei virtutem receptivam, sed unitè subjiciunt virtutem̃ materiæ agentibus creatis, quæ non possunt operari in materia, nisi per transmutationé factam dispositionibus. Hinc est, quòd materia est cõpleta in actu primo per se, & ob id potest proximè recipere formam à Deo agente sine transmutatione. Quare dispositiones, potiùs sunt exactæ ab agente creato, quàm à materia pro sui complemento.

Si tamen sit causa materialis secunda, quale est compositum substantiale respectu accidentium, tunc in ista causa materiali datur duplex potentialitas, & virtus receptiva; una radicalis & mediata, & hæc est materia prima compositi, ratione cujus totum compositum est receptivum accidentium. At materia non est immediatè receptiva nisi formæ substantialis: ergo solùm est radicalis & mediata potentia receptiva accidentium. Totum autem compositum est potentia proxima receptiva accidentium: cùmque compositũ realiter differat à sola materia; ideò potentia proxima receptiva accidentium realiter differt à materia.

4. De causa formali idem dicendum est: nam si sit prima, identificat secum suam virtutem proximam, & remotam informandi: quare forma substantialis per se ipsam constituitur causa formalis in actu primo. At omnis causa formalis secunda (qualia sunt omnia accidentia respectu compositi substantialis, in quo recipiuntur) habet duplicem potentiam, unã proximam, alteram remotam. Accidentia omnia informant ratione formæ substantialis, à qua participant quòd sint actus formales: quare potentia proxima informandi est quid distinctum à formis accidentalibus, & participatum de forma substantiali.

At quæres, qua distinctione? Hoc assignare difficile est: nam si ponitur distinctio entitativa, dabitur processus in infinitum in formis accidentalibus; si nullam distinctionem ponimus, destruitur solidum Philosophiæ principium, distinguens in quocumq; genere causæ, primam, & secundam, per hoc quòd prima habet à se & per identitatem, perfectionem illius generis; secùs secunda.

Dicendum tamen, quòd virtus informativa accidentis, v. g. qualitatis, est ipsa qualitas entitativè, & quoad rectum; sed est quid distinctum de cõnotato, & participatum intransitivè, quatenus qualitas solùm est potens proximè recipi in materia, jam actuata per formam substantialem: quare virtus informativa qualitatis componit formam substantialem, in materia præsuppositam, à qua participat intransitivam virtutem informandi.

5. Circa causam efficientem patet, quòd Prima, quæ Deus est, sec-

cum identificat ſuam virtutem tã proximam, quàm remotam : unde per ſe ipſum Deus conſtituitur cauſa in actu primo; immò & in actu ſecundo, quia etiam ſecum identificat ſuam operationem. De cauſa autè efficienti creata patebit, dum tractemus de ſubſtantia immediatè operativa; ubi dicemus quòd virtus proxima, qua ſubſtantia operatur, eſt accidens; quare ſubſtãtia creata conſtituitur cauſa in actu primo per aliquid realiter ab ipſa diſtinctum.

De cauſa finali, tum prima, quę eſt Deus finis omnium ultimus, tũ ſecunda, quæ apparet in ſolis creaturis, idem dicendum eſt: nec poſſumus decidere quid ſit virtus ejus proxima movens, niſi ex dicendis quæſtione de ratione formali finalizandi, ubi videbimus, an apprehenſio conſtituat finẽ proximè potentem movere finaliter. Nota quòd creatura vel nunquam eſt finis ultimus, vel ſi aliquando inordinatè apprehenditur, ut finis, tunc erroneè ut finis ultimus apprehenditur, & ut prima cauſa finalis. Quare inter finem creatum, & increatũ, non datur vera diſtinctio primi, & ſecundi, ſed finis verè, & falſi: ultimi, & intermedij.

§.

Explicatur requiſita ad cauſam in actu primo.

6. DIXIMVS cauſam in actu 1. eſſe quæ eſt complètè potens cauſare; nunc quærimus quænam ſunt requiſita, ut cauſa ſit completè potens cauſalitatem ſuam exercere? Pro quo obſerva, quòd quædã requiſita ſunt intrinſeca, & neceſſaria ex parte cauſæ; alia ſunt extrinſeca cauſæ, ſed ei neceſſaria; alia autem ſunt partim intrinſeca, & partim extrinſeca cauſæ.

Requiſita intrinſeca ex parte cauſæ ſunt exiſtentia, potentia remota, & proxima ad effectum. Requiſita extrinſeca ſunt concurſus Dei, item concurſus aliarum cauſarum univerſalium v.g. cœli, ſolis, aſtrorum &c. ſine horum conſortio nullum agens ſublunare poteſt cauſare; at hic concurſus neceſſarius ſublunaribus, non eſt eis intrinſecus, ſed extrinſecus.

Requiſita partim intrinſeca, partim extrinſeca ſũt omnia, quæ reddũt effectum poſsibilem. Nulla enim cauſa poteſt efficere id, quod eſt impoſsibile; quare poſsibilitas effectus, & omnia quæ ad illam conducunt, ſunt extrinſeca cauſæ, quia ſolùm ſunt intrinſeca effectui: at poſſunt dici etiã intrinſeca, quatenus apud cõmuniorem ſententiam virtus cauſæ connectitur cum poſsibilitate effectus; de quo infrà.

De his omnibus agemus ſigillatim, dum de cauſa efficiente tractemus. Interim obſerva, quòd ut cauſa ſit completa in actu primo, debet habere ſequentia. Primò effectus ejus debet eſſe poſsibilis; deinde debet habere virtutem proximam, & remotã; debet habere exiſtentiam, & concurſum Dei, & aliarum cauſarum univerſalium, paratum: debentque adeſſe ra-

ationes seminales, quarum necessitatem lib. antecedenti probatam relinquimus. Quolibet ex his deficiente, causa non est completè potens: unde nec completè est in actu primo. Nunc autem, ut discrimé causæ efficientis à reliquis quoad existentiam prę habendam dignoscas, sit quæstio sequens.

QVÆSTIO QVINTA.

An in omni causa prærequiratur existentia ad causandum?

§. I.

Probatur solam causam efficientem prærequirere existentiam.

1. SIT prima conclusio: ut materia recipiat formam, non requirit esse existentiæ; nec ité esse specificum, & formale, sed solùm esse essentiæ potentiale, sibi proprium. Hæc conclusio quoad primam partem probata est suprà lib. 1. q. 7. ubi vidimus quòd materia non habet existentiam propriam; idque non probari à contrarijs ex eo, quòd causa materialis debet existere ante suum effectum. Vide ibi dicta. Probatur 2. Nam potentia receptiva alicujus actus, nõ debet illum habere, antequam illum recipiat: sed materia est potentia receptiva formæ, & existentiæ mediante forma, ut probatum est loco citato: ergo materia ante formam, non debet habere existentiam, ut formam recipiat.

Eadem ratione probatur conclusio quoad secundam partem. Nã materia recipit esse formale à forma: sed ante formam non debet habere esse illud, quod recipit à forma, ut patet: ergo antè forma non debet materia habere esse formale, & specificũ; sed solùm esse essentiæ potentiale, sibi proprium. Vide dicta lib. 1. q. 5. ubi totum hoc comprobatum est. Et observa quòd prima pars cõclusionis est contra Scotistas, DD. Societ. & alios, qui agnoscunt in materia propriam existentiam. Secunda est contra eos etiam Thomistas, qui docent in materia actum metaphysicum, & speciem positivam formalem: contra quos omnes locis citatis disputatum est.

2. Dices: Compositum non existens, nequit esse causa materialis accidentium: ergo nec materia sine existentia poterit esse causa materialis formę. Pro solutione observa, quòd apud omnium sententiam materia existit in toto instanti reali, quo recipit formam; sed dissidium est, an habeat existentiam pro signo illo priori, quo causa materialis præcedit formã, & effectum? Respondemus negativè, & ad præsens argumentum admisso antecedenti, nego consequentiam.

Disparitas est, quòd linea accidentalis sequitur ad substantialé, quã debet supponere completam, & adæquatè constitutam: cùmque existẽtia, & subsistentia sint complementũ substantiæ; ideò accidentia petunt supponere in composito existentiam, & sub-

sistentiam. Non sic forma substantialis, quæ cùm tribuat materiæ primum esse formale de linea substantiæ, non petit supponere in materia, nisi solùm esse potentiale, ut dictum est. Vide reliqua argumenta quæst. 7. citata.

3. Sit secunda conclusio. Causa formalis, qualis est forma respectu materiæ, non indiget ad causandum præsupponere existentiam, sed prærequirit actualitatem essentiæ. Hæc conclusio est contra ponentes existentias partiales in composito pro materia, & forma; & contra identificantes essentiam cum existentia in creatis.

Probatur ex dictis lib. antecedenti. Existentia est actus compositi, subsecutus ad compositum ex materia & forma; priùs enim intelligitur forma in materia, quàm existentia in composito, ut q. 7. ostensum est: ergo pro illo priori, quo in genere causæ formalis forma præcedit materiã, non indiget existentia præsupposita ad exercendam suam causalitatem formalem. Requirit tamen actualitatẽ essentiæ, quia dat illam materiæ: sed nemo dat quod non habet: ergo causa formalis debet præhabere actualitatem essentiæ, ut possit causare formaliter.

4. Dices: Causa efficiens debet præhabere existentiam, ut causet, quia ejus causalitas est activa, & per illam dat esse effectui: sed etiam causalitas formæ est activa, & per illam dat esse materiæ: ergo causa formalis debet præhabere existentiam.

Respond. Nullam esse pari-a-tẽ. quia causa efficiens ita est activa, ut det effectui esse existentiæ; quare debet illud præhabere, cùm nemo dare possit, quod non habet. At forma per suam causalitatem activam solùm dat esse formale specificum, & essentiale; quare hoc solùm debet præhabere.

5. Tertia conclusio. Causa finalis, ut causet, non petit existere in re, sed in sola apprehensione, secũdùm esse, quod habet in cognitione appetẽtis. Conclusio est cõmunis, & habetur in P. Aug. multis locis, præcipuè lib. 19. de Civit. Dei cap. 11. ubi de Ecclesia militante, quam vocat Civitatem Dei, dicit: *Finis civitatis hujus ubi erit summum bonum ejus, vitam æternam cõmemorare maluimus.* Vbi nota, quòd beatitudo objectiva est ipse Deus, qui de facto existit, sed beatitudo formalis sunt actus nostri, quibus Deum cognoscimus clarè, & amamus perfectè, ut dixit Christus Dñus Joan. *Hæc est vita æterna ut cognoscant te verum Deum &c.* Hæc vita æterna nunc non existit, dũ vivimus mortaliter; quare Apost. dicit: *Non habemus hìc manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

En argumentũ. Finis omniũ nostrorũ meritorũ est vita æterna, quam futurã inquirimus: sed hæc vita futura non est existens; existit autẽ in Spe, & cognitione nostra per Fidẽ: ergo de ratione finis non est existere in re, sed in apprehensione.

Probatur ratione experimentali. Dũ quis ligna, lapides, calcem, & alia præparat, ut domũ fabricare possit, hęc agit propter finem, nẽpe propter domũ ipsam. Rursus dũ infirmus potionẽ sumit amarã, ut sanetur, agit propter finẽ, nempe propter salutẽ; & tunc sa-

lus

lus causat movens finaliter ad potionẽ sumendã : at tunc salus non existit in re; sed in apprehensione infirmi ; nec domus existit in re , sed in mente fabricantis:ergo ut finis moveat,non requiritur existentia in re,sed in apprehensione.

6. Dices: Id,quod non existit, nec est ens,nec bonũ: sed quod nõ est bonũ, nequit amari,nec movere finaliter appetitũ: ergo causa finalis petit existentiam in re. Respondemus,quòd id,quod non existit,nõ est bonũ in re, sed est bonũ in apprehensione , si apprehenditur:&cũ hęc bonitas in apprehẽsione sufficiat movere appetitũ,ideò causa finalis non eget existẽtia in re.

7. Quarta concluſ.Causa efficiens,ut causet,prærequirit existentiã, ita ut nec divinitus possit res non existens efficienter causare.Conclusio est cõmunis,&expresse habetur inP.Aug. lib.7. de Civit.Dei cap.9. ubi ait: *Sẽper prior est res, quæ facit; quã illa,quæ fit; sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur ut fiat , quod non faciens causa præcesserit.* Vbi nota,quòd cùm multis modis possit causa præcedere,quia prioritas altera est naturæ, alia originis,alia causalitatis,alia temporis,ut videbis in nostra Logica lib.6.q.14 n.3. ubi omnes prioritates explicatæ sunt, & traduntur à P. Aug. lib. de Categ. cap.19. petit causa efficiens præcedẽtiam naturæ,& causalitatis,sed non tẽporis ; id,ut alia omittamus, patet in sole, & stellis, quæ in eodem instanti, quo creatæ sunt, emiserunt lucẽ ; Angeli etiã in instanti quo creati sunt,effecerũt suos actus intelligẽdi,&volẽdi.

Ratione probatur concluſ. Causa efficiens per verũ influxũ , dat esse effectui, hoc est existentiã : at nemo dat quod non habet: ergo causa efficiens, ut causet, debet præhabere existentiã. Vrgetur. Existentia effectus ab aliqua ex causis debet dari: sed non à finali, materiali,aut formali,quę vel non dãt esse,ut finalis;vel solùm dant esse materiale,aut formale,ut materia,& forma:ergo existẽtia effectus venit à causa efficiente : sed non potest venire, à causa in qua non est:ergo venit à causa efficiente præexistente. Vide B. Ægidium in lib. de Gener.q.13.

8 Dices : Humanitas Christi antequam existeret causavit gratiam collatam sanctis Patribus veteris testamenti:ergo non est necessaria existentia ad causandum efficienter.Respõd. negando conseq. Nã Christus Dominus meruit Gratiam sanctis Patribus, & hoc modo fuit causa moralis meritoria gratiæ.Hujusmodi meritũ est de genere causæ efficientis , sed moralis, quatenus Christus caput hominum,& Angelorũ præstitit influxum Gratiæ in membra. Ad efficientiam moralẽ non requiritur existentia physica,sed moralis,quæ datur sufficienter in prævisione æternaDei,ubi antequã Christus physicè in tempore existeret,ejus merita erant à Deo prævisa,& eorum intuitu Gratia collata est sanctis Patribus.Nostra conclusio non est de causa efficiente morali , sed de physica ; unde nil contra nos.

Dices : Probabilis est sententia præcipuè Thomistarum quòd in entibus successivis causa causare potest ?

eo

eo instanti, quo non existit: ergo quia non requiritur existentia ad causandũ efficienter. Respond. admittẽdo illam sententiam, de qua §. seq. negando cõsequentiam. Quia adhuc in ea sentẽtia causa efficiens entis successivi petit existentiam ante effectũ, sed non in instanti effectus, sed in immediatè antecedenti. Pro cujus intelligentia sit.

§. II.

An causa efficiens debeat existere in instanti, quo causat?

9. DOcent Thomistæ citati à Prado in Metaphysica controv. 13. art. 1. §. 3. & in Physica lib. 2. q. 15. §. 2. quòd in entibus successivis non solùm est possibile, sed omninò necessariũ, quòd causent in instanti, in quo non sunt, immediatè sequenti ad instans, in quo fuerunt. Quam sententiam aliqui ex nostris tenent, ut Coquæus lib. 2. de Gratia disp. 6. cap. 5. & probabilem reputat N. Villanova in præsenti eo maximè si Sacramenta legis gratiæ causant physicè gratiam, quod sæpè docuit D. Thomas citatus à Prado, nam eam causant in eo instanti, quo jam cessavit usus Sacramẽtorũ.

Probatur hæc sententia, nã dispositiones antecedentes introductionem formæ, sunt verè causa illius: sed non existunt in instanti intrinseco, quo forma introducitur: ergo causant, quando non existunt intrinsecè. Major patet, nam dispositiones prævíæ ideò sic dicuntur, quia non existunt, quando existit forma introducta.

Idem argumentũ fit in generatione substantiali, quæ est effectus alterationis, sed accedente generatione, jã non existit alteratio, cùm motus cesset quando datur terminus: ergo ut alteratio sit causa generationis, & formæ substantialis, non requiritur quòd existat in eo instanti, quo causat, sed in immediatè antecedenti.

10. Dices cum DD. contrariæ sententiæ, quòd illæ dispositiones prę-viæ nõ sunt causa introductionis formæ: vel si causant, est tamẽ moraliter, non physicè: ad causam moralẽ nõ requiritur existẽtia physica, ut dictũ est.

At contrà. Nã substantia nõ est operativa alterius substantiæ, nisi mediis qualitatibus alterantibus, ut infrà suo loco dicemus. Ergo cùm non sit generatio sine alteratione; forma est effectus etiam dispositionũ alterantium, & præcedentium. Secũda pars solutionis impugnatur: benè à Prado, quoniã dispositiones non causant formã merito, prece, consilio, præcepto &c. quę sunt media, & modi causandi moraliter.

11. 2. Probatur eadẽ sententia. Nam sol producens aurũ in viscẽribus terræ media virtute sua diffusa per lucẽ, agit in distans secundùm locum: ergo in agentibus successivis sufficiet eadẽ virtus diffusa, ut agant in distans secundùm tẽpus. Quare licèt in diversis instantibus existat causa, & existat effectus, poterit virtus causæ extẽdi ad tempus, vel instans, in quo non est.

Et confirmatur. Nã impellens lapidẽ est causa totius motus per impulsum, quare causat [illegible] to tẽpore quo motus durat, ut docet D. Thomas q. 3. de potentia art. 11. ad 5. sed motus potest dur[illegible]re tota die, ut in horologio, cùm tamen impellens possit mori statim

tim ac impellit, quod etiã in generatione animalis contingit: ergo proficiens tunc in se non existens, sed in sua virtute diffusa, potest, & de facto causat.

12. 3. Probatur eadé sentétia: Nã Sacramenta novæ legis sunt causa instrumentalis physica Gratiæ; nã juxta Concilia & Patres varè efficiunt Gratiam, quã significãt, ad differentiam legis scriptæ, ubi Sacramenta erant tantùm signa Gratiæ: sed Sacramenta causant Gratiã in eo instanti quo non existunt, sed desinit esse usus Sacramenti: ergo &c. Probatur min. Sacraméta causant, quatenus verba eorũ significãt ex institutione Christi D. sed significatio non perficitur usq; dũ ultima syllaba profertur, dum autem ultima profertur, jam reliquæ non existũt: ergo.

13. Contrariã sententiã tenuit P. Suarius in Metaph. disp. 14. sect. 3. cum quo Hurtado, Arriaga, & alij Societatis; quibus addè ex nostris Argét. in 4. Sent. dist. 2. q. 1. & ferè omnes, qui cum B. Ægid. ibidem negant Sacramenta causare Gratiã, quæ fit per creationem in ejus sentẽtia. Probatur à Suario, quia quod non est, non potest esse instrumentũ agendi: sed illa dispositio vel motus in illo instanti jã non est; ergo non potest effectivè causare nec principaliter, nec instrumẽtaliter.

Quod verò proximè præcesserit, non sufficit ad causandũ; quia præcessisse solùm est extrinseca denominatio: sed existentia in causa est requisitũ intrinsecũ ad causandum: ergo non sufficit extitisse, sed requiritur actu existere ad causandum.

Præterea: Licèt sit naturalis sequela inter illam dispositionẽ, & formã, hæc sequela necessariò causatur ab alia causa efficiente. Nã illa sequela non est dimanatio; cùm forma non dimanet ab eo, quod jã non est: ergo illa successio formæ post dispositionẽ, venit ab alia causa, quæ unum efficit immediatè post aliud.

14. Hurtado multis probat eandẽ sententiã. 1. ex Arist. 2. Physic. textu 36. & 37. docente effectũ interire perẽunte causa. 2. Quia causa materialis non existens, non potest accidentia recipere: ergo nec causa efficiens non existens, poterit effectum causare. Patet conseq. Quia magis petit existentiam causa efficiens ad causandũ, quã causa materialis. 3. Nã res in instanti initiativo antequã existat, non potest producere effectũ: ergo nec in instanti terminativo postquam extitit.

Confirmatur. Nã si res, quæ extitit in instanti immediatè antecedenti, potest operari in instanti seq. quo jam non existit, poterit etiã operari in sequentibus, & tẽpore sequenti: cave igitur (ait Hurtado) ne te mordeat canis mortuus. Ad idẽ inferũt alij, quòd post instans mortis poterit homo videre, sentire, peccare, & damnari, etiam si in Gratia decesserit, quod est sanè ridiculum.

15. 4. Alij probant sic. Actio est modus realis, præsupponẽs causam realẽ: sed causa non existẽs simpliciter non est realis; quia nihil est: ergo causa non existens, non potest causare. Cõfirmatur. Nã *agens existere* addit supra existentiã agentis ejus actionẽ: sed si agens nõ existit, non potest addi actio supra existentiam: ergo.

§. III.

Nostra sententia proponitur, & fundamenta aliarum expenduntur.

16. NON est animus sententiam nostrã plenè comprobare, quoniã pendet ex difficili doctrina, dã da lib. 6. seq. de inceptione, & desitione rerũ successivarũ. Præcipuũ sententiæ Thomisticę fundamentũ, desumptum ex Sacramentis legis Gratiæ, quæ causant physicè Gratiã, quã significãt: hoc ergo fundamentum nil probat in sententia B. Ægidij, tenentis Gratiam fieri à Deo per creationẽ; & quòd nulla creatura adhùc instrumentaliter potest creare; quare Sacramenta non sunt causa adhuc instrumentalis Gratiæ nobis collatæ, sed solus Deus est unica causa illius intuitu Sacramẽtorũ. De quo vide N. Argent. loco cit. & N. August. Arpe in summa Theologiæ B. Ægidij p. 5. q. 6.

Hæc videtur mens P. Aug. Epist. 23. ad Bonifacium dicentis: *Aqua extrinsecùs exhibens Sacramentum Gratiæ, & Spiritus sanctus operans intrinsecùs beneficium Gratiæ.* Item lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Neque enim aliquis discipulorum Christi dedit* (intellige physicè) *Spiritũ S; orabant ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eũ dabãt.* En solùm moraliter erãt discipuli causa Gratiæ, & ministri dispensatores Spiritus S. orando nempe nõ physicè dãdo.

Quid? Quòd P. Aug. inde videtur probare quòd Sacramenta nostra non sunt causa Gratiæ physica, quia transit Sacramentum, & manet virtus causativa Gratiæ, quæ debet existere in instanti, quo datur Gratia. Cũ enim S. P. tract. 80. in Joan. dixerit: *Quæ*

est virtus aquæ, ut corpus tangat, & ablnat. Itẽ in serm. de Epiphania, ubi similia habet, posteà subdit: *Hoc non facit sonus transiens, sed virtus manens.* Quasi dicat, hoc non faciunt verba, quæ transeunt, sed virtus Dei semper manens. Expressiùs in lib. contra Faustũ citatur à N. Argent. dicens: *Transeunt verba, & ablutio, & actio corporalis; & manet virtus quæ operatur.* Quasi diceret Gratiã nostrã non posse nunc effici à verbis, actione, & materia Sacramentorũ, quæ transijt, & jã non est, sed à virtute nempe Dei, quæ manet trãsacto Sacramento. Vbi vides P. Aug. ita loqui de Gratia sacramentali, ut non pro Thomistis, sed contra videatur debere allegari.

Nec fugies difficultatẽ, si cum N. Gavardi de mente B. Ægidij teneas, quòd Sacramenta non producunt physicè in anima Gratiã, ob rationẽ datã, quia nempe creatur à Deo; producunt tamen quẽdam ornatũ animæ, ad cujus cõspectũ Deus Gratiam creat, & animę infundit. Non evadis; nã pro præsenti quæst. eadẽ est difficultas de Gratia, ac de illo ornatu, quomodo scilicet causatur in eo instãti, quo jã Sacramentũ non exititit, & verba finita sunt?

17. Alterũ fundamentũ Thomisticũ, positũ n. 11. non videtur tenere; quia sol agens in distans, agit in medio, diffundendo per illud virtutẽ suã. Impellẽs etiã est causa motus lapidis, quia existit virtualiter in suo impulsu. At causa nunc non existens nec in se, nec in suo effectu, quomodo potest causare? Quomodo si virtus ejus finita est in instanti præcedenti, poterit agere in hoc, ad quod nullam virtutẽ diffudit?

Quod

Quod dicitur de dispositionibus alterantibus, quæ præcedunt introductionem formæ; illæ relinquunt materiam sigillatam ad novam formam substantialem; quare vi sigillationis relictæ causant introductionē formæ, sicut sol distans causat aurum vi suæ virtutis diffusæ. Quare præcipua ratio philosophica Thomistarū posita n. 9. nō videtur cōgruere.

18. His tamen non obstantibus, veriorē puto sententiā Thomistarum, quam N. Villanova sequitur ut probabiliorem hic disp. 2. dub. 5. & N. Cœlestinus quodl. 10. disp. 1. §. 10. Lusitanus lib. 1. de Fine q. 8. art. 6. & eam confirmo ex dicendis lib. 6. circa inceptionē, & desitionē rerum de mente P. Augustini, & B. Ægidij in 2. Sent. dist. 1. p. q. 4. art. 3. ad 4. ubi distinguens inter res permanentes, & successivas, quoad esse, incipere, & desinere, habet sequentia.

Aliter incipiunt esse permanentia, & aliter successiva. Nā permanentia tūc incipiunt esse, cùm tota sunt: ut tunc incipit esse domus, quando cōpleta est domus. Successiva verò, cùm tota sunt, nihil sunt juxta illud Augustini 11. Confes. tunc omnes anni nostri erunt, cùm nulli erunt. Et sicut successiva, cùm tota sunt, nihil sunt; sic cùm incipiunt, nihil sunt. Motus ergo incipit in instanti: sed in illo instanti nihil est de motu. Sic & tempus incipit in instanti, sed in illo instanti nihil est de tempore.

En natura entis successivi, ut sunt motus, tēpus, & annus, talis est, ut quandō tota est, jā non est; & dū tota non est, tunc non est. Ergo vel dicendū est, quòd nullum ens successivū est causa efficiens alicujus effectus; vel quòd est causa effectus, quando ens successivū non est. Probatur conseq. Quia ens successivū vel non est causa effectus, vel solùm est causa quando completur in esse tale ens successivū: sed juxta P. Aug. & B. Ægid, ens successivū quandō cōpletur in esse, & totū est, jā non est: ergo vel ens successivū nullius effectus potest esse causa, vel est causa ejus in eo instanti, quo non est. Negare autē quòd ens successivū sit causa effectus, est negare omnē alterationē, deservientē generationi substātiali; omnes motus intēsionis, & remissionis in qualitate; omnes etiā successivos motus augmentationis, & diminutionis, & ferè omnē Philos. quæ agit de talibus successivis. Ergo standō rectē Philos. tenendū est, quòd in successivis causa est effectiva in eo instāti, quo jā nō est.

19. Nec urgent fundamenta contraria. Ad illud Suarij positū n. 13. dist. maj. Quod non est, non potest esse instrumentū agendi, quod non est simpliciter, & formaliter, concedo; quod non est adhuc secundū quid, & virtualiter, nego maj. causa instrumentalis, & dispositiva, quæ solū est causa secundùm quid, non petit, nisi existentiam secundùm quid. Talis est illa, quā habet motus, & dispositio prævia, in ea sigillatione, quæ remanet in materia transacto motu & alteratione. Sicut omnis causa manet in suo effectu; & vis projicientis lapidē durat, & manet in impulsu impresso lapidi. Quare sicut agens, jā mortuū post projectū lapidē, est causa motus, quia existit vir-

tualiter in impulsu, à se impresso ; sic alteratio prę via disponens ad generatione, est causa generationis; vi sigillationis relictæ in materia , in qua virtualiter,& secundù quid existit alteratio præcedés,quæ jã formaliter nõ est.

Vel dic,quòd in ente permanéte, quod solùm est, quando totú est, verificatur maj. argum. sed non in entibus successivis, quę solùm tunc tota sunt, quando nõ sunt. Quare ut sint totaliter in esse cõpleto,debẽt nõ esse. At ut causent debent habere esse cõpletũ: ergo debent causare in instanti,quonõ sunt immediato ad instans,quo fuerũt. Nec hoc est extrinseca denominatio,ut reponit Suarius; sed est natura intrinseca entis successivi,quod nequit habere cõpletã existentiam,nisi in instanti, quo jã non est,ut ex P. Aug.& B. Ægidio vidimus: ergo cùm causet,quando habet completam existentiã,causare debet in instanti,quo jãm non est.

Ad aliud de sequela formæ ad dispositionẽ,quæ jã non est: dic eã sequelã non esse dimanationẽ, quoniã forma substantialis ab accidentalibus non potest dimanare, cùm non possit esse earũ proprietas;& dimanatio solũ cõpetit proprietatibus ortis ab essentia, ut dicemus agentes de substantia operativa. Est ergo sequela illa ordo naturalis generationis,quæ incipit ab alteratione , & terminatur in productione formæ substãtialis. Vtrumq; fit ab agente naturali, quod nequit formam inducere, nisi alterando,& disponendo materiã. Ceterũ cùm dispositiones alterantes sint instrumentum agentis,etiã sunt causa instrumẽtalis, & secundùm quid formæ genitæ: pro qua causa secundùm quid sufficit existentia secundùm quid , ut in prima solutione dictum est.

2o. Ad fundamenta P. Hurtado, posita n. 14. dic Arist. ibi loqui de entibus permanentibus; vel si de successivis,dic intelligi de nõ existentibus in hoc instanti,nec in immediatè antecedenti. De primis nõ est quæstio nunc: de alijs nil probatur cõtra Thomistas.

Ad 2. neg. conseq. Disparitas est, quòd causa materialis est intrinseca, & cõstituit intrinsecè unũ cõpositũ cũ forma recepta: quod autẽ jam non est, nequit sic constituere; quare causa materialis,quæ jã non est,nequit causare & recipere. At causa efficiẽs est extrinseca effectui; quare sufficit quòd exteriit in instanti antecedenti, ut suam virtutem diffundens, causet in instanti, quo non est formaliter.

Ad 3. nega conseq. Nã existẽtia futura non conducit ad causandũ de præsenti; benè tamen existentia præterita, nẽpe in entibus successivis, tum quia talia entia tunc habent esse completũ,quãdo præterita sunt; secùs quãdo futura,quia nec cõpletũ, nec incõpletũ esse habẽt: tũ etiã,quia cùm ens successivum sit causa per modũ termini *à quo*, & derelicti; pro isto conducit existentia præterita, nec conducit futura, sed obstat.

Ad confirmationẽ dicimus sequelã non tenere. Licèt enim causa successiva possit causare in instanti immediatè sequẽti; non verò in reliquis, aut secuto tẽpore. Ratio est, quia sigillatio relicta ab ente successivo, solùm du-

durat, & activa est pro instanti immediatè sequenti. Nec timemus morsum canis mortui, quo deterret nos P. Hurtado; scimus enim canè mortuũ nec latrare posse. Miramur tamè, quòd cùm quæstio sit de entibus successivis, nobis opponatur canis, qui est ens, & causa permanens.

Eadè ferula vapulat aliorũ illatio. Petit quidè forma esse post alterationè; Gratia sacramẽtalis esse post cõpletũ usum Sacramenti, qui successivus est: an ne visio, & sensatio petunt esse post mortè hominis? Sunt ne ista effectus causæ successivæ, an permanẽtis? Ergo licèt deficiente alteratione, inducatur forma substãtialis; deficiente hominis vita, non erit visio, sensatio &c.

21. Ad ultimũ fundam. positũ n. 15. dic quòd actio non est modus causæ, quia tunc nõ posset existere in instanti, quo non est causa; alioquin existeret naturaliter modus sine subjecto, & re cujus est modus. Est ergo actio quidditas identificata cũ termino producto. Quare cũ effectus, & terminus existant in instanti, quo desijt causa, benè existit etiã actio. Ad confirm. cõcede totũ de agente permanente; & ne

ga de successivo, quod addit actionem supra existẽtiã, quę fuit, sed jã nõ est.

Hæc dicta sunt in gratiã sentẽtiæ Thomisticæ de efficiẽtia physica sacramentali Gratiæ: quę etiã applica ad explicandũ de mente B. Ægidij quomodo Sacramenta nostra causent illũ ornatũ in anima, ad quẽ Gratia sequitur; (ut vidimus) sive Gratiã, sive ornatũ prævium ad Gratiã, nõ possunt Sacramẽta causare, nisi quando cõpleta sunt; & tunc jam non sunt. Hoc explica ex doctrina hic data pro Thomistis.

Ad authoritates P. Aug. inductas n. 16. in fine, quatenus excludũt omnẽ causam transeuntẽ, & denotãt virtutẽ permanentẽ effectivam Gratiæ, & ornatus, quæ non est sonus transiens verborũ; dic ibi S. Parentẽ loqui de virtute principali, & hæc est Divina, & permanẽs; at in præsenti loquimur de virtute instrumentali; & hęc est in verbis, nõ ut sonãt, sed ut faciunt sensum, quẽ Christus Dñs instituit pro forma Sacramentorũ. Hic sensus adhuc transacto sono priorũ verborũ, existit quãdo ultimũ verbũ profertur, & tũc agũt verba, quod significant non principaliter, sed instrumentaliter, sed de hoc Theologi.

QVÆSTIO SEXTA.

An causa materialis, & formalis sint veræ causæ; & quid sunt earum causalitas?

§. I.

Explicantur quæ pertinent ad causam materialem.

1. EGIMVS lib. 1. de materia prima sub ratione principij entis, & partis intrinsecæ compositi substantialis, nũc agimus de materia, quatẽ-

tenus est causa materialis; sed parum, aut nil dicēdum restat ultra dicta hic q. 4. §. 1. ut ergo probemus materiā primā esse verā causam materialē, videndum est priùs an habeat omnia requisita ad rationem causæ? Hæc tria sunt: primū est id, quo causa constituitur potens in actu primo; aliud est, quo constituitur causans in actu secūdo, & hoc est causalitas; tertiū est ipse effectus causatus per illā causalitatem.

Sit 1. concluſ. Virtus constituens causam materialē in actu primo, consistit in ratione potētiæ receptivæ formarū. Probatur. Materia per suā entitatem habet vim causandi, ut probatū est q. 4. §. 1. sed entitas physica materiæ, & ejus essentia metaphysica consistit in ratione puræ potentiæ receptivæ formarū, ut lib. 1. dictum est: ergo virtus constituens causam materialem in actu primo, est potentia receptiva formarum.

Hinc benè diffinitur ab Aristot. causa materialis hìc text. 28. *Ex quo aliquid fit, cùm insit.* Et sive consideres materiā ut principiū entis, vel ut causam materialem, semper est eadē ejus diffinitio. Nota quòd ly *ex quo*, distinguit causam materialem à reliquis, ut dictū est, nā efficiēs est *à quo*; formalis est *per quod*; finalis *propter quod*.

2. Dices: Ex vino fit acetū, ex cibo sanguis &c. & tamen nec vinū, nec cibū sunt causę materiales acceti, & sanguinis, cùm acetū non recipiatur in vino, nec sanguis in cibo: ergo causa materialis non est id, ex quo aliquid fit.

Respondeo causam materialem nō esse solū ex quo aliquid fit, sed per ly *cùm insit*, denotatur, quòd materia ex qua, debet permanere cum eo, quod ex ea fit. Vinū non permanet cum acето, quod fit ex illo, nec cibus cum sanguine; & ideò non est materia permanens, quæ hìc solùm diffinitur, sed est transiens, quæ causa materialis nō est.

Nota cum B. Ægidio in 2. Sent. dist. 12. q. 2. art. 2. ad 4. Quòd materia est triplex, nēpe *Circa quam*, *in qua*, & *ex qua*. Dicitur circa quā, & ex qua, respectu agentis; quia circa materiam, & ex materia operatur agens. Dicitur in qua respectu agentis, & formæ, quia in materia recipitur forma, & in materia agens operatur. Hoc non denotat diversas materias, sed diversa munera ejusdem materiæ.

3. Sit 2. concluſ. Causalitas materiæ est actualis receptio formæ. Probatur. Causalitas causæ, est actus secundus, & actuale exercitium virtutis causæ: sed actuale exercitiū virtutis receptivæ formarum, est actualis receptio formæ: ergo ista est causalitas causæ materialis.

Quæres: An hæc causalitas sit distincta à materia prima? Negat Bajona hìc q. 10 art. 1. §. 1. cū omnibus, q. docent unionē materiæ, & formæ, ab eis non distingui. Et probatur. Nam si materia reciperet formā medio aliquo distincto, illā reciperet vi alicujus superadditi, & accidentalis: ergo totum resultans ex materia, & forma nō esset unum substantiale, & per se.

Nos verò qui lib. 1. q. 18. diximus cum B. Ægidio unionē illā esse quidditativè distinctā ab extremis, debemus eisdē rationibus asserere, causalita

sitatem materiæ, distingui à materia quidditativè. Vide loco citato. Nec ob est argum. Bajonæ, nã licèt quidditas causalitatis conveniat materiæ accidentaliter prædicabiliter (ut de unione dictum est) nõ tamẽ est accidens prædicamentale: unde compositum ex materia, & forma, semper manet unum substantiale, & per se.

Quæres 2. An causalitas materię sit idẽ ac unio ejus cum forma? Respõdeo negativè. Probatur. Nã ideò materia unitur formæ, ut formã recipiat; unde receptio est finis, & ultimũ in executione, cùm sit primũ in intentione; unio verò est conditio, & veluti mediũ ad receptionẽ. Quare sicut in causa efficiente applicatio ejus ad passum, distinguitur à causalitate efficiẽtis; sic in materia & forma unio earum, quæ est veluti applicatio, debet distingui ab earũ causalitatibus formali, & materiali: At non æquali distinctione, sed longè minori, nempe quidditativa; quatenus unio essentialiter cõsistẽs in actuali exercitio uniendi, distinguitur ab actuali exercitio recipiẽdi, & informãdi.

4. Sit 3. concluſ. Effectus materiæ sunt forma, cõpositum, & generatio substãtialis. Ita omnes cõmuniter. De forma probatur sic. Effectus causæ causantis recipiẽdo, est id quod recipitur: sed forma est id, quod recipitur in materia: ergo est effectus ejus.

De cõposito probatur ex Philosopho hic text. 31. dicẽte: *Partes sunt causa totius*: sed partes compositi sunt materia, & forma: ergo sũt causa cõpositi. De generatione etiã patet: nã sive distinguatur à termino genito, sive nõ distinguatur, super verificatur materiã esse subjectũ generationis; sed esse subjectũ, est esse causã materialẽ: ergo materiã est causa materialis generationis.

5. Hæc inveniẽs cõmuniter apud DD. sed ecce ex specialibus B. Ægidij principijs dandis circa effectũ formæ, aliã conclusionẽ. Effectus proprius materiæ est illud esse potẽtiale, quod forma participat à materia. Probatur. Nã effectus formalis formæ est quoddam esse actuale, quod à forma participat materia, ut dicemus infrà: ergo effectus proprius materiæ est esse potentiale, quod forma participat à materia. Patet conseq. nã sicut materia actuatur per formam, sic forma potentializatur per materiam.

Quæres: An hoc esse potentiale quod habet formã à materia, distinguatur ab ipsa materia, ut recipiente formã? Respõdeo distingui entitativè & quidditativè. Probatur. Esse actuale, quod materia recipit à forma, est ratione sui quidditas distincta à forma; & cùm nõ habeat entitatẽ nisi materiæ, est entitas distincta à forma: ergo cùm sic dicendum sit de esse potẽtiali, quod forma derivat à materia, erit ratione sui quidditas distincta à materia, & ratione formæ, à qua habet entitatem, erit entitativè distinctum à materia. Vide dicenda de effectu formali formæ.

6. Sit 4. concluſ. Materia est vera causa materialis physica. Probatur ex dictis. Vbi datur vera & realis virtus causandi, vera causalitas, & effectus verè realis & physicus; ibi datur vera & realis causa physica: sed hæc omnia dantur in materia, ut probatum est in

1. 2. & 3. conclus. ergo est vera, & realis causa, nec altera, nisi materialis, ut constat ex diffinitione data.

7. Objicies contra communē doctrinā. Omnis causa est perfectior suo effectu, vel saltē æquè perfecta: sed materia non est perfectior, sed imperfectior forma: ergo forma non est effectus materiæ. Major docetur à P. Aug. lib. 83. qq. q. 28. dicente: *Omne efficiens majus est, quàm id quod efficitur.* Quod probat, quia efficere est dare, effici est recipere; melius est dare, quàm accipere; ergo causare majus, vel melius est, quàm causari. Min. patet ex dictis lib. 1. de mente ejusdem P. Augustini circa materiam primam.

2. Materia solùm est causa respectu ejus, quod terminat illius causalitatem: sed compositum non terminat causalitatem materiæ; nā compositum non recipitur in materia, ut patet: ergo materia, non est causa compositi.

3. Si generatio non distinguitur à termino, nempe cōposito, quod generatur; sicut materia non est causa receptiva cōpositi; sic nec erit receptiva generationis. Si generatio distinguitur à termino, sic est accidens; & accidentia non recipiuntur in materia prima, sed in toto cōposito: ergo nullo modo materia est causa materialis generationis.

4. Materia nullū dat esse formæ, sed potiùs illud recipit à forma: ergo nō est causa formæ. Patet conseq. quia causare, est dare esse effectui eo modo, & in eo genere causæ, quo causa est causa.

8. Respond. ad 1. majorem esse verā in alijs causis, sed non in materia. li. P. August. ibi loquitur expressè de causa efficiente, de qua certissimū est, debere esse nobiliorem, vel æquè nobilem, ac est effectus. Immò quia dare est melius, quàm accipere; ideò etiam dum causa est entitativè æqualis effectui, ut est homo generans hominem; tunc in ratione causæ dantis, agens præstantius est recipiente.

Ad 2. dic quòd compositum inadæquatè sumptum, ut dicit formā, recipitur in materia; & sic est effectus ejus. Ad 3. dic, quòd in nostris principijs generatio non distinguitur entitativè à termino producto, ut dicemus lib. 3. Quare sicut compositū inadæquatè sumptum, recipitur in materia, sic generatio. Ad 4. dic juxta nostra principia, quòd materia dat formę illud esse potentiale, suprà explicatum; unde est vera causa dans esse. In aliorū principijs dic, causā materialē causare recipiendo, unde non debet dare esse, sed recipere. Vel dic, quòd materia dat se ipsam formæ, cum qua facit cōpositum. Hic debebat disputari de causa materiali accidentium, sed de hoc me vide infrà q. 9.

§. II.

Explicatur vis, causalitas, & effectus causæ formalis.

9. SIT 1. conclus. Virtus, qua causa formalis cōstituitur in actu primo, est virtus activa ad dandū formaliter esse formale materiæ. Probatur. Nam sicut materia est principium passivum; sic ab opposito forma est prin

principium activum: ergo sicut virtus materiæ est passiva ad recipiendū: sic virtus formæ est activa ad informandum: sed informare est dare formaliter esse formæ; quod est formale: ergo virtus, qua causa formalis &c.

Nota quòd virtus formæ, & virtus causæ efficientis, est virtus activa ad dandum esse; sed aliter, & aliter. Discrimē est, quòd forma dat esse formaliter per intrinsecā sui exhibitionē se communicando materiæ; at causa efficiens causat extrinsecè efficienter per sui diffusionē, producēdo esse, à se realiter entitativè distinctum.

Quæres: An virtus informativa distinguatur à forma? Resp. negativè. Probatur eisdē rationibus, quibus suprà dictum est nō distingui à materia virtutem ejus receptivā: Vtraq; enim est causa prima in suo genere, & utraque per suā entitatē recipit, vel Informat.

10. Notandū quòd causa formalis est duplex, altera intrinseca, alia extrinseca. Prima causat informando; quia est ipsa forma recepta in subjecto. Secunda non causat informando, sed terminando; quare ejus causalitas est terminatio, nō autem informatio. Deo autem repugnat informare, aut recipere; quare ei repugnat esse causā materialem, aut formalem intrinsecā. Potest tamē esse causa formalis extrinseca, quia potest uniri per modum termini sine informatione; ut patet quando per modum speciei impressæ unitur mentibus Beatorum; & per modū subsistentiæ unitur physicè humanitati Christi D. quā terminat. Vtrobique unitur per modum formæ purè terminātis; quare utrobiq; est causa formalis extrinseca, vel purè terminans.

Circa effectum formalem formæ dicunt cōmuniter AA. quòd est materia, & compositum: & hoc probāt eisdem rationibus, quas suprà posui prò effectu materiæ n. 4. At isti DD. ut benè observat Villanova, solùm assignāt effectum *qui*; non autem effectū *quo*, ideſt, id, ratione cujus materia dicitur effectus formæ. Quare ex nostris principijs.

11. Sit 2. concl. Effectus *quo*, & prius formę, est illud esse actuale, quod materia recipit à forma; v. g. à forma lapidis esse lapideum, à forma ligni esse ligneum &c. De hoc q. seq. prolixius.

Nota quòd hic effectus est primarius in forma. Qualis autē sit effectus secundarius, jā explicatum est lib. 1. q. 16. ubi diximus, quòd expellere aliā formā à materia, est effectus formalis secundarius formæ. An autē impedibilis à Deo, necne? Ibi ostensū est.

Dices contra cōmunem doctrinā. Materia non dependet à forma, sed unicè à Deo, qui est causa entitatis materiæ & unica, cùm materia solùm sit creabilis, & solus Deus creare possit: ergo materia non est effectus formæ. Patet conseq. quia omnis effectus pendet à sua causa. Respondetur quòd materia quoad suā entitatem nō pendet à forma, nec est effectus ejus ob rationem datam in argumen o: pende tamen à forma quoad esse specificum, & formale, quod recipit à forma; & sic est effectus ejus.

12. Sit 3. concl. Causalitas formæ est actualis ejusdem informatio.

Pro-

Probatur. Nã per actualem informationem ponitur in exercitio virtus formæ informativa: ergo est ejus causalitas, & actus secundus.

Quæres: An causalitas formæ distinguatur à forma? Respondetur consequenter ad dicta de materiæ causalitate. Distinguitur quidem non entitativè, sed quidditativè. Prima pars probatur. Nã causa, quæ est prima in suo genere, in eo identificat ultimum exercitium sui generis: sed forma substantialis est prima causa formalis: ergo non distinguitur entitativè à sua causalitate. Omnia constãt ex dictis.

Secunda pars probatur. Causalitas formæ habet quidditatem, consistentem in actuali exercitio informandi: sed quidditas formæ non cõsistit in actuali exercitio informandi: ergo causalitas differt quidditativè à forma. Vide dicta in simili de unione lib. 1. quæst. 18.

13. Argues contra 1. par. Causa identificans suã ultimã actualitatem, est infinita: sed materia, & forma sunt quid finitum: ergo non identificant suas causalitates. Confirmatur. Possunt materia, & forma esse sine suis causalitatibus, ut dum in morte hominis anima separatur à corpore: ergo ab eis distinguuntur. Patet consequentia ex reali separatione.

Ad argum. dic quòd materia, & forma in genere entis sunt finitæ; cetèrum in genere causæ sunt infinitæ, ut probat argumentum. Nec hoc est inconveniens, quia est duplex genus causæ, unum dicens imperfectionem, ut datur in causa materiali, & formali; alterum dicens perfectionem, quale est genus efficientis, & finalis. Sicut ergo in genere dicente imperfectionem materia, & forma apud omnes sunt causæ primæ; sic sunt etiã infinitæ in eo genere. Deus autẽ, qui in solo genere efficientis, & finalis, est causa prima; in eo solo est causa infinita. Ad cõfirm. dic materiã, & formã posse esse sine suis causalitatibus quoad quidditatem, sed non quoad entitatem: ut de unione dictum est.

Argues contra 2. par. Materia, & forma mutantur intrinsecè, quando exercent suas causalitates; sed sola quidditas distincta, nõ potest intrinsecè immutare: ergo causalitates illæ distinguuntur entitativè, & non solùm quidditativè. Resp. quòd materia causans verè mutatur, sed non per suam causalitatẽ, sed per esse actuale, quod recipit à forma. Idem dic de esse potentiali, quod forma recipit à materia, per quod forma etiam intrinsecè mutatur.

QVÆ-

QVÆSTIO SEPTIMA.

An effectus formalis formæ realiter distinguatur à forma communicata subjecto?

§. I.

Relatis sententijs, expenditur singularis P. Vazqui cum suis fundamentis.

1. LIcèt de quæst. ista ferè nihil disputetur à Philosophis extra Scholã Ægidianã, in nostra celebris est, nec uno, vel alio loco à Doct. N. discussa, sed variis, & ex professo pertractata in 2. Sent. dist. 27. dub. 2. Late vali, ubi quærit: *Vtrũ esse, quod dat virtus, sit aliquid distinctũ à virtute?* Respõdet affirmative, quod latè, & urgenter probat. Eandem sententiã docuit quodlib. 5. q. 14. & lib. de Esse & essentia q. 8. & alijs locis, de quibus vide N. Villalovam hic.

Contra istã B. Ægidij sententiam plura objecta sunt ab Antiquis, quæ soluta sunt ab eodem Doct. F. vel ab ejus discipulis Gerardo in 1. Sent. dist. 17. q. 2. art. 9. Argent. ibidem q. 2. art. 2. & in 4. Sent. dist. 13. q. 1. art. 1. cõclus. 3. Quare sententia Doct. N. est, ut verbis ejus locis citatis utamur, *Quòd esse, quod dat forma, est differẽs à forma, & esse, quod dat virtus, est differens à virtute. Et quod dictũ est de qualitatibus corporis, veritatẽ habet de qualitatibus animæ, sive illæ qualitates sint gratuitæ, sive naturales; sive sint in essentia animæ, ut potentiæ, sive in potentijs, ut virtutes.* Hinc vides, quòd in omni forma, sive substantiali, sive accidentali, sive naturali, sive supernaturali & gratuita, esse quod omnis forma dat subjecto, est realiter distinctum ab ipsa forma.

Contraria sententia docent, quot quot tenent in suis scriptis, quòd effectus formalis formæ nihil aliud est, quã ipsa forma communicata subjecto. Hoc est veluti axioma, quod ferè invaluit in Scholis, à nullo probatum ex professo; ab omnibus sine probatione inductum, ut veritas indubitata, quare superfluum est pro hac sententia auctores allegare.

2. P. Vazquius 3. p. disp. 19. cap. 3. ut explicet terminum *à quo*, & *ad quem* assumptionis, qua natura humana in Christo assumpta est ad esse Divinum, & hypostaticum, singularem philosophiã tradit d effectu formali formæ. Docet quòd effectus formalis formæ substantialis est realiter distinctus ab ipsa forma cõmunicata subjecto, sed non effectus formalis formæ accidentalis. Hanc sententiam professò impugnant

nant Hurtado in Physica disp. 6. n. 14. Arriaga disp. 5. n. 8. Oviedo, & alij ejusdem Societatis.

Primum Vazquij fundam. est, corpus hominis v.g. non solùm recipit animam, sed etià vivit, & est principiũ sentiendi : ergo recipit ab anima aliquod esse diversũ. Patet conseq. Quia juxta Arist. *Vivere in vivẽtibus est esse.*

Hoc fundamentum sic propositum, non urget. Nam sicut corpus recipiendo illud esse substantiale, sibi unitum, per illud constituitur vivens, sentiens, &c. cur etiam non poterit sine illo esse, per hoc solùm, quòd anima illi uniatur? Restat hujus rationem àssignare, quod non fecit P. Vazquius.

3. Secundum fundam. est. Cùm anima sit spiritualis, non potest per se ipsam tribuere materiæ esse corporis, animalis &c. ergo debet ab illa derivari aliud esse substantiale distinctum, quo materia compleatur in ratione corporis, animalis &c.

Ceterùm non magis urget. Nam illud esse corporis, animalis &c. quod habet materia ab anima juxta Vazquium, derivatur ab anima purè spirituali : ergo si spiritualitas animæ non obstat, quin ab anima oriatur effectus materialis ; cur obstabit, ut per se ipsam anima communicata, illum præstet materiæ?

Tertium fundam. est. Materia habet ab anima vitam corruptibilem : sed anima rationalis est incorruptibilis, & ejus vita incorruptibilis est: ergo vita materię non est ipsa anima rationalis, sed quid distinctum, ab ea derivatum. Sed nec hoc urget: Nã materia dicitur habere vitã corruptibilẽ, quia unio, qua unitur animæ incorruptibili, corruptibilis est. Ita dissolvunt Vazquij fundamenta DD. allegati pro sententia contraria.

Hæc Vazquij sententia sic proposita, non immeritò rejicitur. Primò, quia nõ benè probatur. Secundò, quia est inconsequens. Si enim juxta Vazquium effectus formalis formæ accidentalis non distinguitur ab ipsa forma, communicata subjecto : ergo nec effectus formæ substantialis. Patet conseq. Quia in ratione causæ formalis forma substantialis non minus, sed magis est potens, quàm forma accidentalis; cùm hæc sit causa secunda in ogè ner_, substantialis autem sit causa prima: ergo si effectus formæ accidentalis non distinguitur à forma, nec distinguitur effectus formæ substantialis.

§. II.

Proponuntur fundamenta ſententiæ negantis.

4. PRImum fundamentum ſententiæ negantis, quo ſibi victoriam pollicentur contra Vazquium PP. Hurtado & Arriaga; ſibi propoſuit & ſolvit N.B. Ægidius Quodl. 5. q. 14. per hæc verba: *Quantitas enim ſeipſa extendit materiam, non autem, inprimit ei quamdam rem tertiam, vel quamdam extenſionem aliam; quia ſic eſſet abire in infinitum. Si enim quantitas non extenderet materiam perſeipſam ſed imprimeret ei quamdam aliam extenſionem; pari ratione & illa extenſio non extenderet materiam per ſe ipſam, ſed imprimeret ei quamdam aliam extenſionem, & ſic in infinitū: ſtandum ergo eſt in primis, ut dicamus, quod forma perſe ipſa perficit, & materia perſe ipſa perficitur.*

5. Eodem fundamento arguunt ſic DD. laudati contra Vazquium: Si effectus formalis formæ in materia, non eſt ipſa forma, erit modus aliquis derivatus à forma in materia: ſed talis effectus non eſt modus talis: ergo quia effectus formæ, nihil eſt niſi ipſa forma communicata ſubjecto. Min. prob. 1. Quia nulla eſt ratio aſtruendi talem modum; nec multiplicandæ ſunt entitates ſine neceſsitate, ut docet natura ipſa, & communis Philoſophia.

2. Prob. min. Nam de illo modo à nobis aſtructo idem dubium venit, an nempe per ſe ipſum perficiat materiam, an medio alio modo diſtincto? Si 2. ergo datur proceſſus in infinitum in aſsignandis modis perficientibus materiam. Si 1. Ergo poterit forma perſe ipſam perficere materiam. Patet conſeq. Quia in genere cauſæ formalis non habet minorem activitatem forma, quàm modus ille: ergo ſi modus ille per ſeipſum &c.

5. Confirmatur ex Peñafiel diſp. 7. q. 2. num. 7. ubi arguit contra talem modum, à forma derivatum. Materia vivit in actu 1. ratione illius, quod participat à forma vitali, vi cujus eſt principium operationis vitalis: ſed modus nequit eſſe principiū operationis vitalis; cùm modus non ſit productivus: ergo id, quod materia participat à forma vitali, non eſt modus, ſed res: ſed non res diſtincta à forma: ergo eſt ipſa forma.

Confirmatur ſecundò. Modus conſiſtit in actuali exercitio, ut patet in unione, & actione: ſed participatio vitæ in actu 1. non conſiſtit in actuali exercitio, ſed in potentia vivendi: ergo modus non eſt participatio vitæ à forma, quæ eſt effectus formæ vitalis.

3. Effectus, quem materia participat ab anima rationali, eſt eſſe principium operationis vitalis vegetandi, ſentiendi, & intelligendi; quæ operationes ſpecie differunt, unde principium illarum eſt cauſa æquivoca, id eſt potens ad effectus diverſæ ſpeciei: ſed modus non poteſt eſſe cauſa æquivoca: ergo id, quod materia participat ab anima rationali, non eſt modus. Probat. min. In cauſis æquivocis non poteſt effectus excedere perfectionem ſuę cauſæ: ſed effectus talis modi, eſt res, & res eſt perfectior modo: ergo modus &c.

6. Secundum fudam. eſt. Effe-

ctus formæ ſubſtantialis non diſtinguitur à forma ipſ cõmunicata materiæ; at idem eſt de alijs formis: ergo in omni forma effectus formalis non diſtinguitur &c. Prob. major. Omne ſubſtantiale vel eſt compoſitum, vel materia, vel forma: ſed effectus formalis formæ non eſt compoſitum, ut patet, quia eſt quid ſimplex, compoſitum autem eſt ens completum ex materia, & forma. Aliunde ille effectus non eſt materia; quia hæc eſt ſubjectum receptivum effectus formalis; materia autem non eſt receptiva ſui ipſius. Ergo reſtat, quòd effectus ille ſit forma, & ſic effectus formalis non diſtinguitur. &c.

Confirm. 1. Per hoc ſolum quòd in materia ponatur forma (ſecluſo quolibet alio diſtincto) intelligitur in materia effectus formalis formæ: ergo quia hic non conſiſtit in aliquo diſtincto à forma communicata ſubjecto Prob. anteced. Per hoc ſolum quòd in Petro ponatur albedo (ſecluſo quovis alio) Petrus eſt & denominatur albus: ergo &c. Patet anteced. Nam album nil eſt aliud, quàm ſubjectum habens albedinem: ſed poſita albedine in Petro, & quovis alio ſeclu ſo, Petrus eſt & dicitur ſubjectum habens albedinem: ergo.

Cõfirmatur 2. Per hoc ſolum quòd corpori uniatur anima (ſecluſo quovis alio) corpus vivit: ſed vivere corpus eſt effectus formalis animę: ergo &c. Prob. maj. Corpus vivere nil eſt aliud, quàm habere vitã ſibi unitam: ſed per hoc ſolũ quòd corpori uniatur anima, habet corpus vitam ſibi unitam: ergo &c. Patent maj. & min. Nam ſola anima eſt vita in actu 1. cùm illa ſola ſit principium vitaliter operandi.

Confirmatur 3. Implicat, quòd anima uniatur corpori capaci vivẽdi, & quòd non conſtituat illud vi ens: ſed hoc ideò, quia anima ſe ſola habet conſtituere corpus viven: ergo vita corporis, quæ eſt effectus formalis animę, non diſtinguitur ab ipſa anima communicata. Min. prob. Nam ſi anima ſe ſola, & ſine alio diſtincto, nõ redderet corpus vivẽs; ſemel quòd anima uniretur, ſine illo medio diſtincto, non redderet corpus vivens: hoc autem inplicat, ſicut implicat, habere vitam ſibi unitam, & non vivere: ergo quia &c.

7. Tertium fundam. eſt. Si effectus formalis formæ eſſet ab illa realiter diſtinctus, nullum eſſet diſcrimen inter cauſam efficientem, & formalem: at hoc eſt contra bonam Philoſophiam: ergo & quòd effectus formalis ponatur diſtinctus à forma. Prob. maj. Vtraque cauſa in omni ſententia convenit in ratione cauſæ, & principij activi; quare ſolùm differunt, quia efficiens cauſat ſe diffundẽdo, formalis autem ſe communicãdo: ſed ſi effectus formalis diſtingueretur à forma, cauſa formalis cauſaret etiã ſe diffundendo: ergo nullum eſſet diſcrimen &c. Prob. min. Ideò efficiens cauſat ſe diffundendo, quia eſſe quod præſtat, eſt realiter diſtinctum ab ipſa cauſa: ergo ſi effectus formalis &c.

Confirm. Licèt eſſe, quod dat effectui cauſa efficiens, ſit intrinſecum

cum effectui; at causa ipsa vocatur,& est extrinseca effectui,quoniã esse prę-stitum est distinctũ ab esse causæ: ergo si esse præstitũ à causa formali est di-stinctũ à forma dante, forma erit causa extrinseca effectui : at hoc est contra communẽ Philosophiam , quæ numerat causam materialem & formalẽ, ut intrinsecas; ergo cõtra Philosophiã ponitur effectus formalis distinctus.

Confirmatur 2. Causa intrinseca, qualis est forma , non causat per verã actionem,ab ipsa distinctam, sed communicando intrinsecè suum esse: sed hoc esse communicatum materiæ, nõ distinguitur à forma;cùm nihil distinguatur à suo esse: ergo tale esse quod est effectus formalis formæ, non distinguitur &c.

Confirmatur 3. Forma non est causa compositi adæquatè sumpti ; quia sic dicit ens completum; & effectus formalis formæ non est ens cõpletum. Aliunde non est causa cõpositi , ut dicentis solam materiam; quia hæc est pura potentia , & effectus formę nõ est esse potẽtiã,sed esse actũ : ergo forma est causa compositi, ut dicentis formã. Sed forma nõ distinguitur à cõposito,dicente formã:ergo non distinguitur à suo effectu formali.

8. Quartum fundamentum est. Subsistentia Verbi Divini non communicat Humanitati Christi Dñi aliquem modum : &tamen dat ei suum effectum formalem : ergo nec quæcumque forma materiæ dat modum aliquem , distinctum à forma. Prob. maj. 1. Quia nullus Theologus talem modum agnovit. Secundò, quia nõ potest expl car , an ille modus esset finitus, an infinitus; nam qua parte identificaretur cum Hu anitate , non esset infinitus,quia Humanitas finita est; qua autem parte ille modus esset effectus formalis formæ infinitę, deberet esse infinitus.

Confirm. Si materia particip r t aliquem modum essendi à forma, materia cum illo modo faceret compositionẽ,& postea cum forma faceret aliud compositum: sed hoc est absurdum ; nam est ponere duplex compositum cõmunic materia,& forma:ergo effectus formalis , quem materia participat à forma, non est modus distinctus à forma.

Confirmatur ultimò.N.B. Ægidius locis à nobis citatis docet, quòd quantitas per seipsam extendit materiã;& materia per seipsam extẽditur à quãtitate:ergo sentit quòd præter quantitatem extendentem, & materiam extensam,non est aliud tertium,quod sit effectus formalis quantitatis extendentis. Sed nos ponimus ex B. Ægidio aliud tertium, nempe modum distinctum à quantitate & materia : ergo vel id non ponimus de mente Ægidij, vel ipse Ægidius sibi ibidem contradicit.

§. III.

Affirmativa B. Ægidij Sententia probatur authoritate, & ratione.

9. NOST. B. Doct. locis laudatis docet, quòd effectus formalis formæ est distinctus realiter à forma communicata subjecto ; quia est esse quoddam in subjecto, deriva-

tum à forma recepta. Hoc esse non est res, sed modus quidã essendi, qui non distinguitur entitativè à subjecto, cetera̅m per illum habet subjectũ realiter distingui à seipso non modificato. Nec hoc solùm est verum in formis substantialibus, sed in omnibus, ut suprà dictum est.

Probatur 1. de formis accidentalibus de genere qualitatis, authoritate P. Augustustini lib. de Categ. cap. 12. dicente: *Sit ergo hæc regula, qualitates ipsas magis, & minus non posse suscipere: ea verò, quæ ex his fiunt, comparata vel magis recipere posse vel minus; ut eloquentiam magis eloquentiam, vel minus, nullus dicere potest; eum verò, qui eloquens dicitur, magis, vel minus ceteris eloquentem possumus dicere. Claret ergo magis vel minus in qualibus invenìri posse, numquam tamen posse in qualitates incidere.* Idest quòd qualitas in abstracto non suscipit magis, & minus, benè tam n qualitates, vel qualitas in concreto. Quæ doctrina est Arist. D. Thomæ, & omnium DD. ut in Logica lib. 6. dictum est.

En argumentum. Qualitas nec in se separata à subjecto, nec ut subjecto communicata, suscipit magis, & minus; non enim eloquentia Ciceronis est magis eloquentia, quàm eloquentia Antonij, aut cujuslibet: atqui effectus formalis eloquentiæ, & cujuslibet qualitatis posi tæ n subjecto, jam est major, jam minor: ergo quia effectus formalis qualitatis distinguitur ab ipsa forma communicata subjecto. Patet conseq. Quia si nõ distingueretur, æquè susciperet magis, ac minus, ac effectus formalis ejus. Minor patet ex dictis P. August. effectus enim formalis eloquentiæ est reddere subjectum eloquentem; at verè dicitur nus magis eloquens, quàm alter: ergo effectus formalis eloquentiæ &c.

Explicatur. Vna eloquentia non est magis eloquentia, quàm altera, ut docet S. P. Rursum unus homo est magis eloquens, quàm alter, ut docet idem S. P. ergo vel quia unus magis habet de eloquentia, quàm alter; vel quia præter eloquentiam formam, datur in utroque aliud esse, & hujus magis est in uno, quàm in alio. Sed si eloq ientia non suscipit magis, & minus, unus non posset habere magis eloquentiæ, quàm alter; sicut quia anima rationalis indivisibilis non suscipit magis, & minus, unus homo non magis habet de anima, quàm alter. Ergo restat unum præ alio dici magis eloquentem, quia habet magis de esse eloquentiæ causato in subjecto, quod est esse magis eloquentem. En homines pares in forma eloquentiæ; dispares in modo essendi eloquentes, qui modus non est solùm habere eloquẽtiã sed habere ab eloquentia simpliciter æquali disparilitatem in modo essendi eloquentes, relicto ab eloquentia.

10. Hæc ratio Augustiniana traditur à D. Thoma omnibus eis locis, quibus docet, uòd intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum, sed per majorem radicationem in subjecto. Sic docet Quæst. 1. de Verit. art. 11. & 12. q. 52. art. 1. & 2. q. 24. art. 5. & alibi sæpius,

qua-

quare omittimus allegare verba. In hac ſententia, quæ eſt omnium Thomiſtarum, verum eſt, quòd ſubjectum jam eſt magis calidum, jam minus: at hoc non eſt, quia habeat magis, vel minus de calore, cùm calor in ſe non ſuſcipiat magis, & minus; nec in ſubjecto ſuſcipit novos gradus caloris; ſed per hoc, quòd ſtante in ſubjecto eodem ipſiſsimo calore, ſubjectum habet jam magis de eſſe calido, jam minus: ergo licèt forma in ſe, nec ſubjecto communicata, ſuſcipiat magis, & minus; eſſe tamen quod ſubjectum habet à forma, ut eſſe calidum à calore; eſſe eloquentem ab eloquentia &c. ſuſcipit magis, & minus. Hoc denotat tale eſſe, quod eſt effectus formæ, diſtingui à forma ipſa cauſante, ut docet B. Ægidius.

Obſerva Thomiſtas, negantes intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum, docere fieri per majorem radicationem formæ in ſubjecto. Quare dum calidum ut duo, fit calidum ut quinque, non ſuſcipit tres gradus novi caloris; ſed calor prius magis radicatur in ſubjecto, quod per illam majorem radicationem, redditur magis calidum. Quòd ſi quæras à Thomiſtis, quid ſit hæc major radicatio? Egrè poſſunt reſpondere, niſi ad Ægidianam veniant ſententiam.

D. Thomas huic quæſito variè reſpondet, & quaſi circumloquitur, ut notant Complutenſes diſp. 4 de Alteratione quæſt. 9. Nam loco citato 1. 2. dicit intenſionem fieri *Per hoc, quòd ſubjectum magis, ac magis terminatur actu illo, ſeu qualitate.* Et dato loco 2. 2. *Per hoc quòd ſubjectum magis, vel minus perfectè participet unam & eandem formam.* Cæterùm quid eſt participare unam & eandem formam, ja magis, jam minus perfectè?

In noſtris principijs clarum eſt, & perſpicuum. Idem calor dat ſubjecto jam eſſe magis calidum, jam minus. Dum dat magis calidum eſſe, tunc magis perfectè participat calorem; dum dat eſſe minus calidum, tunc minus perfectè participatur. Quarè licèt in calore, & alijs qualitatibus nõ admittamus magis, & minus nec in ſe, nec in eis ut ſubjecto communicatis; damus magis, & minus in illo eſſe præſtito à cauſa formali, & dare debent Thomiſtæ, ut ſalvent intenſionem ſive additione gradus ad gradum: ergo quia tenentur nobiſcum dicere, quòd illud eſſe præſtitum, diſtinguitur à forma, illud formaliter præſtante.

11. Secundò probatur noſtra ſententia ex Auguſt. lib. 5. de Trin. cap. 10. ubi diſtinguens in creaturis quantitatem à re quanta, dat rationem, quia effectus formalis quantitatis diſtinguitur ab ipſa quantitate. Verba S.P. ſunt hęc: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ ſunt, ut magna domus &c. aliud eſt magnitudo, aliud ea, quæ participatione magnitudinis magna ſunt. Quæ magnitudo utique primitus magna eſt, multò excellentiùs, quàm ea, quæ participatione magna ſunt.* En quantitas eſt ens primi us, & er ſe extenſu, hoc eſt eſſentialiter, ut notavimus in Logica lib. 6. q. 4. materia autem, & quidquid à quantitate habet eſſe

ex-

extenſum, ſunt extenſa per participationem.

Ex his argue ſic: Effectus formalis quantitatis datus materiæ, aut ſubſtantiæ materiali, eſt eſſe extenſum per participationem: ſed hoc eſſe extenſum eſt realiter diſtinctum ab ipſa quantitate communicata materiæ, aut ſubſtantiæ: ergo effectus formalis formæ de genere quantitatis, realiter diſtinguitur à forma &c. Probatur min. Quantitas ſubjecto communicata eſt extenſa per eſſentiam, unde per eſſentiam habet partes extra partes, imò eſt ipſa extenſio eſſentialiter, ut in Logica oſtenſum eſt: ſed eſſe extenſum per participationem, realiter diſtingitur ab eſſe extenſo per eſſentiam, ut in laudata authoritate docet S. Parens ergo &c.

12. Hæc ratio, ut potiſſima adducitur à N. B. Ægid. locis citatis, quam cum ipſo iterùm urgeo ſic: Effectus formalis quantitatis, quem materia habet à quantitate, eſt materiam eſſe extenſam: ſed eſſe extenſum, quod materia habet à quantitate, realiter diſtinguitur à quantitate, ergo &c. Probatur min. Eſſe extenſum eſt habere partes, ut patet: ſed partes, quas materia habet à quantitate, ſunt diſtinctæ à partibus quantitatis: ergo &c. Probatur min. Quia partes materiæ ſunt ſubſtantiales, partes quantitatis ſunt accidentales: illæ ſunt entitativè ſubſtantia, iſtę accidens. En ſicut quantitas diſtinguitur à re quanta, ut in Logica probatum eſt, ſic dicendum de partibus rei quantæ à partibus quantitatis.

Confirmatur. Effectus formalis quantitatis in materia eſt quid ſubſtantiale; quantitas autem ſubjecto communicata, eſt quid accidentale: ſed ſubſtantiale, & accidentale, realiter differunt, ut patet: ergo effectus formalis quantitatis realiter differt ab ipſa quantitate. Min. cum conſeq. tenet, & major quoad ſecundam partem eſt certa. Quoad primam probatur 1. de mente omnium Thomiſtarum, & eorum, qui docent, quòd principium individuationis ſubſtantialis eſt materia quantitate ſignata, hoc eſt materia extenſa, vel cum effectu formali quantitatis. Probatur ſic. Individuatio formæ ſubſtantialis non poteſt ſumi niſi à principio adęquatè ſubſtantiali: ſed per vos ſumitur à materia ſignata per quantitatem extendentem, vel à materia cum effectu formali quantitatis: ergo iſte effectus eſt quid ſubſtantiale in materia.

Probatur in omnium principijs. Effectus formalis quantitatis eſt modus quidam, quem ſubſtantia participat à quantitate; eſt enim ſubſtantia ratione ſui indiviſibilis, ſed ratione quantitatis exiſtit modo diviſibili, & extenſo, ut in Logica probatū eſt. Sed modus non habet aliam entitatem à re, cujus eſt modus: ergo modus, quē ſubſtantia participat à quantitate, eſt quid ſubſtantiale. Quæ contra iſtam probationem militant, ſolventur infrà in primo argumento.

13. Hinc colliges, quòd hæc B. Ægid. ſententia debet propugnari à Thomiſtis eo etiam titulo, quia

cum

cum D. Thom. propugnãt individuationem formę ſumi à materia quantitate ſignata; nec nili nobiſcum ſentiant, poſſunt benè ſolvere præcipuam difficultatem ſententiæ contrariæ. Arguunt enim ferè omnes DD. Societatis cum Scotiſtis, quòd individuatio adęquatè ſubſtantialis, ut eſt individuatio formæ equinæ v. g. nequit ſumi, niſi à principio adæquatè ſubſtantiali, ſed materia quantitate ſignata, non eſt principium adæquatè ſubſtantiale: ergo ab ea ſic, non poteſt ſumi individuatio ſubſtantialis. Probat. min. Materia ſignata quantitate, non eſt materia ſola, ſed materia cum effectu formali quantitatis; ſed effectus quantitatis eſt quid accidentale, nam eſt ipſa quantitas, communicata materiæ, quæ eſt quid accidentale: ergo.

Huic argumento nos facilè reſpondemus, dicendo effectum formalem quantitatis in materia eſſe quid ſubſtantiale; nam non eſt ipſa quantitas communicata, ſed quid à quantitate diſtinctum. Eſt ergo modus relictus in materia, qui non habet entitatem, niſi materiæ, cujus eſt modus; & hæc eſt entitas ſubſtantialis; quare eſſe illius modi ſubſtantiale eſt: ſitque ut adęquatum principium individuationis ſit plenè ſubſtantiale. Et quia ſine doctrina de diſtinctione effectus formalis à forma, non poteſt benè explicari intenſio qualitatum, & principium individuationis ſubſtantialis, ut hìc oſtenſum eſt; ideò in gratiam noſtræ Scholæ, & Thomiſticæ, quæ concordant in explicanda intenſione, & individuatione, prolixiùs diſcutimus præſentem quæſtionem de effectu formali omnium formarum.

14. Tertio probatur noſtra ſententia ex P. Auguſtino, D. Thoma, & B. Ægidio, locis laudatis, & allegatis hìc lib. 1. q. 15. §. 3. ubi de eorum mente probatum eſt contra Scotiſtas, non dari in viventibus formam corporeitatis, ſed ab anima ſumi, adhuc in homine, cujus rationalis anima eſt formaliter ſpiritualis, ſed eminenter corporea.

En argumẽtum. Effectus animæ rationalis, ut eminenter corporeæ eſt eſſe corporeum formaliter tale, præſtitum materiæ, quo materia redditur formaliter corporea: vel formaliter corpus: at anima rationalis nec in ſe, nec ſubjecto cõmunicata, eſt formaliter corporea: ergo effectus formalis animæ realiter diſtinguitur ab ipſa adhuc ut ſubjecto cõmunicata. Patet conſeq. quia eſſe formaliter corporeum, & eſſe formaliter non corporeũ, ſed ſpirituale, realiter diſtinguitur, non minus, quàm corpus, & ſpiritus, quæ ſunt realiter diſtincta. Min. etiã eſt certa, quia anima in ſe eſt formaliter ſpiritualis, ut lib. 1. q. 13. oſtẽſum eſt. Rurſus cõmunicata materiæ manet formaliter ſpiritualis, alioquin redderetur corpus, quod negat, convincitque falſitatis P. Auguſtinus lib. 1. q. 1. §. 3. Major autem eſt per ſe notæ.

Nec putes rationem iſtam nil probare contra Henriquum, & Scotiſtas, nam in reliquis animæ rationalis effectibus probat contra illos. Docent ipſi, quòd anima noſtra dat ma-

materiæ corporeæ esse vegetativum, sensitivum, & rationale : hoc norato muta terminos probationis nostræ sic. Anima rationalis unita corpori dat ei formaliter esse vegetativum, sensitivum, & rationale, quod triplex esse est formaliter tale, cùm per illud homo constituatur non solùm eminenter, sed formaliter vegetabilis, sensitivus, & rationalis : at anima, licèt sit formaliter rationalis, non est formaliter vegetativa, aut sensitiva, sed solùm eminenter ; nec hoc est verum tantùm de anima separata, sed de anima ut unita, quę per unionem non mutat esse, sed manet formaliter spirituale : ergo esse, quod est effectus formalis animę, distinguitur realiter ab ipsa anima. Patet conseq. Quia esse formaliter sensitivum, & esse non formaliter sensitivum, differunt realiter, sicut esse materiale, & spirituale.

15. Quartò probatur nostra sententia à B. Ægidio quodlib. citato ratione, quæ generaliter probat de omnibus formis, sed præcipuè de substantialibus. Nam Arist. 1. de Generat. text. 22. 29. & 31. quærit, quomodo differt materia, ut est existens sub formis contrarijs ? Respondet, quòd *est eadem secundùm essentiam, non autem secundùm esse.* Hæc Philosophus, ex quibus arguit D. N. sic.

Hoc esse secundùm quod materia sub una forma, differt à seipsa existēte sub forma contraria, non est essentia materiæ, nec essentia formæ, sed est quoddam esse distinctum à materia, & forma : sed hoc esse est effectus formalis præstitus à forma, ut patet : ergo effectus formalis cujuscūque formę distinguitur &c. Minor est certa, quia omne esse quod non est materia, venit à forma.

Major quoad primam partem probatur. Nam si illud esse foret essentia materiæ, materia differens per illud esse, differret secundùm essentiam ; & hoc negat ibi Philos. Rursum cùm materia juxta Aristotelem non habeat differentiam, nec actum metaphysicum, ut lib. 1. q. 5. ostensum est, nequit per illud esse intelligere essentiam materiæ. Tandem sibi contradiceret dicens materiam nō differre secūdùm essentiam, & differre secūdùm esse, quod est essentia materię.

Quoad secundam partem prob. maj. Differre secundùm essentiam formæ, est differre secundùm essentiam : sed Philosophus negat materiam differre secundùm essentiam : ergo differt secundùm esse, quod non est essentia formę. Rursus. Dicere quòd materia differt secundùm essentiam formæ ; est dicere, quòd materia differt secundùm formam ; forma enim & essentia formæ, idem sunt : sed dicere quòd materia existens sub formis contrarijs, differt secundùm varias formas, quas habet, est respondere cum quæstione, quod alienum est à Philosopho : ergo non intelligit per illud esse distinguens, essentiam formæ.

Vrgetur. Ibi quærit Philosophus, quid consequitur materia ex eo quòd sit sub hac forma, vel sub contraria ? Si respondeas, quòd materia cōsequitur aliam, & aliā formā ; nil respondes, quia adhuc subsistit dubi-

um,

um nempe quid sequatur in materia ex alia, & alia forma? Sed Philosophus respondet, quòd sequitur aliud, & aliud esse, distinguens materiam: ergo sentit quòd hoc esse distinguitur à forma, illud formaliter præstante.

16. Tandem probatur conclusio de omni forma. Effectus cujuscũque causæ debet realiter distingui à sua causa: sed causa formalis est vera causa realis, ut probatum est, & forma ut communicata subjecto est causa formalis in actu secundo: ergo effectus formalis formæ realiter distinguitur à forma communicata subjecto. Major patet ex dictis, & lumine naturæ constat, quod nil potest esse causa sui ipsius. Nec hoc solùm tenet de causis efficientibus, sed de omnibus. Imò de Deo, qui est prima causa efficiens & finalis, quiâ ad intra non efficit, nec finalizat aliquid distinctum; ideò ad intra non est causa propria, sed solùm ad extra.

Confirmatur præcipuè in sententia eorum qui docent, causalitates causæ materialis, & formalis, esse distinctas à causis materiali, & formali. Nam implicat, quòd causalitas causę formalis distinguatur à forma, & quòd effectus etiam non sit distinctus: sed ponis in causa formali causalitatem distinctam: ergo teneris ponere effectum formalem distinctum. Prob. maj. 1. Quia implicat quòd causa habeat effectum, à seipsa indistinctum, media causalitate distincta. Hoc enim esset ponere medium distinctum inter extrema identificata; quod implicatorium est. 2. Nam ratio distinguendi causalitatem ab effectu, est quia nil potest esse causalitas sui ipsius: at etiã nil potest esse effectus sui: ergo &c.

Hæc ultima ratio, & aliquomodo præcedentes, suadent etiam, quòd effectus causæ materialis distinguitur ab ipsa causa. Quare sicut materia per formam recipit esse actuale, & formale, quod est effectus formæ, à forma distinctus; ita forma recipit à materia quoddã esse potentiale, quod à materia distinctum est, & ab ea derivatum, per quod forma potentializatur. Quid autem hoc esse sit, clariùs patebit ex dicendis de esse formali.

§. IIII.

Solvuntur fundamenta contraria.

17. RESTAT solvere fundamenta contraria. Et 1. ad authoritatem Fund. Doct. positam num. 4. Respondet ipse ibidem, quòd quãtitas no imprimit materiæ quamdam rem tertiam, nec aliquid entitativè distinctum à materia, & quantitate. Habet tamen materia sub quantitate modum quemdam essendi, quo materia modificata differt realiter à seipsa non modificata. De hoc modo, qui est extensio passiva materiæ, tria dicit Doctor noster. Primò, quòd non differt realiter à materia. Secũdò, quòd talis modus facit materiam realiter differre à seipsa prout non habet talé modum. Tertiò, quòd talis modus, vel extensio materiæ, realiter distinguitur ab extensione quantitatis.

Contra hæc tria dicta Doctoris N. plura arguunt antiqui, quę invenies in N. Argentina 3. Sent. dist.

5.q.1.art.1. Contra primum objiciùt sic. Impossibile est, quòd illud quod causatur à posteriori, sit idem cum priori: sed ille modus causatur à quãtitate, quę est posterior ipsâ materiâ; præsupponit enim ipsam materiam, cùm subjectivè recipiatur in materia: ergo talis modus non potest esse idem cum materia.

Secundò. Illud, quod est in potentia ad aliquid, & potest stare sub opposito ejus; hoc realiter differt ab illo: sed materia non extensa extensione bipedali, est in potẽtia ad illam, & actualiter est sub privatione talis extensionis: ergo &c.

Tertiò. Quando aliqua sunt idem realiter, uno eorum corrupto, corrũpitur & alterũ: sed isti modi materiæ corrumpũtur ad corruptionẽ formarum, de quibus causantur, manẽte incorrupto subjecto, cujus sunt modi: ergo non sunt realiter idem cum subjecto.

18. Contra secundum dictum objiciunt sic. Illud, quod est idem alicui, non potest esse causa distinctionis sui à seipso; quia sicut identitas non est distinctio, sic &c. Sed per te modus iste est idem realiter cum eo, cujus est modus: ergo non potest esse causa distinctionis sui à seipso: & sic primum B. Ægidij dictum contradicit secundo.

Rursus: Si talis modus est idem cum materia, non potest aliquid competere materiæ mediante tali modo, quod non competat materiæ, sumptæ secundùm se: ergo si materia mediante tali modo differt à seipsa, sequitur quòd materia secundùm se sumpta, differat à seipsa: & hoc impossibile est.

19. Contra tertium dictum arguunt sic. Si extensio materiæ est distincta ab extensione quãtitatis, jam duplex extensio, quæ corporea est, erit in eodem loco: sed ex hoc sequitur teste Philos. 4. Physic. quòd duo corpora possint esse in eodem loco; ergo cùm hoc sit impossibile, dicendum est, vel quòd extensio materię non est distincta ab extẽsione quantitatis; vel quòd materia non potest esse in eodem loco cum quantitate, extendente materiam.

Secundò: Sicut in albificando, præter albedinem formaliter dantem esse album, non est necessarium dare aliam albedinẽ; sic in extẽdẽdo, prẽter extensionem quantitatis, formaliter extendẽtis materiã, non oportet dare aliam extensionem: ergo extensio materię non est distincta ab extensione quantitatis.

Tertiò: Si extensio materiæ esset alia ab extensione quantitatis, tunc Deus posset separare extensionem materiæ ab extensione quantitatis. Patet hoc, quia potest quamcumque rem absolutam separare à re absoluta realiter distincta. At hoc implicat; quia implicat aliquid esse extensum sine quantitate; nec potest Deus supplere, & gerere vices causæ formalis: ergo quia extensio materiæ non differt ab extẽsione quantitatis. Ita DD. antiqui contra B. Ægidij doctrinam.

20. Cæterùm ita dilucidè eis satisfacit M.N. Argentinas, ut nec verbum addere liceat. Ad objecta con-

contra primum Doct. Fund. dictum posita num. 17. respondet; & ad 1. negat majorem. Quia sicut non repugnat posteriori afficere intrinsecè, & informare ipsum prius; ita non repugnat priori intrinsecè affici, & informari à posteriori: ergo non repugnat priori recipere aliquem modum à posteriori. Patet consequentia. Quia si materia nihil intrinsecum reciperet à forma, qua informatur, nil amplius haberet, quàm lapis à lapide, cui accumulatur. Hic modus est passiva affectio materiæ, & sic indistinctus à materia affecta: sed, ut ostensum est, non repugnat priori affici à posteriori: ergo non repugnat quòd prius habeat per identitatem aliquid, quod causatur à posteriori.

Ad 2. dicit, quòd aliquid potest esse in potentia dupliciter; uno modo in potentia receptiva, alio modo in potentia modificativa, vel entitativa. Argumentum concludit de prima potentia, sed non de secunda. Est ergo materia potentia receptiva respectu quantitatis, à qua causatur extensio passiva materiæ; sed respectu talis modi, vel extensionis passivæ, non est materia potentia receptiva, quia tali modus non est res, vel aliquid distinctum à subjecto; alioquin causaret in eo alium modum, & hic alium, & sic in infinitum. Est ergo materia respectu illius modi potentia modificativa, vel entitativa. Quæ sicut quantitate habet materia modum illum indistinctum, sic à potentia recipiendi quantitatem, vel oppositum quantitatis, habet materia potentiam modificativam ad essendum sub modo extensionis, vel sub opposito talis modi.

Ad 3. dicit, quòd licèt materia entitativè, & simpliciter sit incorruptibilis, sicut ingenerabilis, ut dicitur 1. Physicor. At secundùm quid, & quoad modum essendi, quem habet à forma, est corruptibilis: unde corrupti vel variatis modis essendi materiæ, habitis per formas variabiles, materia etiam sic variatur, quia habet diversum modum essendi sub nova forma ac sub præcedenti.

21. Ad objecta contra secundum B. Ægidij. dictum, posita 1. 18. Respondet, & ad 1. dicit consequens nil concludere, quia modus materiæ non est causa distinctionis materiæ modificatæ à seipsa non modificata; sed potiùs modus est ipsa res, quæ aliter, & aliter se habet, & ut sic distinguitur. Causa talis modi, est causa distinctionis rei modificatæ à seipsa. Quare cùm forma sit causa talis modi materiæ, forma est causa distinctionis, non autem modus; unde nil concluditur.

Ad 2. negat consequentiam. Quia licèt ille modus sit idem cum materia, non idem cum materiæ, sumpta secundùm se, sed ut stat sub quantitate. Quare non sequitur, quòd materiæ secundùm se conveniat, quidquid convenit materiæ mediante illo modo; sicut non oportet quòd omne quod convenit materiæ conjunctæ quantitati, conveniat etiam materiæ secundùm se.

22. Ad objecta contra tertium dictum, posita num. 19. Respon-

pondet, & ad 1. dicit, necessariò distinguendam esse extensionem materiæ ab extensione quantitatis. Nam si non distinguitur: ergo partes materiæ non differét à partibus quantitatis; & consequenter vel idem erit subjectum sui ipsius, vel partes quanti atis erunt sine subjecto; quorum utrumqu st impossibile. Licèt e go extensio materiæ sit distincta ab extensione quantitatis; est tamen p r extensionem, & per information m quantitatis: quare non plus de loco occupatur per illas duas extensiones quàm per solam extensionem quanti atis. Vnum corpus non extenditur per aliud; sed unùquodque per suam diversam quan ita em: quo fit ut duo corpora plus loci occu ent, quàm unum; & ideò naturaliter illæ duorum corporum extensiones non possunt esse in eodem loc . Benè t men extensio ma eriæ, & quan i atis, quę est ab unica quantitate.

A 2. c t, quò l cèt non detur alia albedo, d tur tamen quidam modus relictus in subjecto ex information albedinis: omnia enim quæ per information conjunguntur, sibi mutuò communicant suos modos.

A 3. egat c seq. A probationem dicit, quòd licèt materia sit res absoluta, tamen m teri extensa necessariò conce i espectu ad quãti atem extendentem. E id ò materia, ut est extensa, non potest separari à quanti ate. Hucusque N. Argentinas loco laudato, ex cujus doctrina data pro objectis Antiquorum, non erit difficile Recétiorum objecta dissolvere. Quare.

23. Ad 1. positum num. 4. post B. Ægidij verba, neg. min. Ad 1. illius probationem dic plures, & urgentes rationes esse ad astruendos modos, qui sint effectu formales m rum: has dedimu §. antecedenti. Nec ideò multiplicamus entitate, quia præ en i a em materiæ, & forme nullam ponimus, eò quòd modus ille non e t entitas disti cta à materia, t dictum est nu .17. cum B. Ægidio.

Ad 2. probationem minoris dic modum illum per seipsum perficere ateriam; & concede quòd ex opposito sequeretur processus in infinitum, u ante Recentiores arguebat B. Ægidius. Nega, quòd etiam quantitas per se ipsam possit sine modo distincto perficere materiam. Nec probatio in contra valet, nam licèt forma sit ajoris activitatis formalis quàm modus, imò unicæ activitatis, quia modus, non habet ullam activitatem, nec est causa activa, sed potiùs effectus, passivè actus; hoc nil convin it. Ratio est, quia modus non perficit ateri *activè*, nec quantitativus modus extendit *activè* m teriam, sed *passivè*, quia est ipsa passiva extensio, & p rfectio materię. Sed ad perficiendum, & xtendendum, *passivè* materiam, non conducit activitas, sed obstat: ergo licèt modus, nullam habens activitatem, *passivè* extendat per seipsum materiam sine modo distincto; forma autem sine modo distincto non potest *passivè* extende e, aut p r ficere m t iam, quia forma activa

est

est in genere causæ formalis.

Ad confirm. positas num. 5. respondemus, & ad 1. concede materiã vivere in actu primo per talẽ modũ, & esse principium operationum vitalium. Sed non taliter ut modus ille sit principium activum, sed materia cum tali modo. Sic est res, & principium, quod cum forma cõstituit principium adęquatum operum vitalium.

Ad 2. dic essentiam modi non consistere in actuali exercitio efficiẽdi, & causandi; consistit autem in actuali determinatione proveniente ab aliqua forma, vel in actuali sigillatione, ut docet B. Ægidius lib. de Ente & Essentia q. 8. 10. & 11. Quare licèt participatio vitæ in actu primo, non consistat in actuali exercitio efficiendi operationes vitales, sed potiùs in potentia efficiendi: hæc tamen potentia in materia est actualis determinatio, & sigillatio veniens à formâ vitali recepta; unde quidam modus est.

Ad tertium dic quòd modus sequitur naturam formæ, à qua derivatur: quare cùm anima rationalis sit causa æquivoca operationum vegetandi, sentiendi, & intelligendi; sic materia cum modo illo derivato ab anima. Nec modus ille solus est principium, sed materia cum modo, ut dictum est; & hoc modo est res perfectior suo effectu.

14. Ad secundum fundam. positum num. 6. dic effectum formalem formæ substantialis esse quid substantiale. Hoc non est compositum, ut argumentum probat; ceterùm nec est forma, ut à nobis probatum est, quia sicut nihil potest se ipsum recipere, sic nec potest se ipsum formaliter causare. De effectu illo possumus loqui in abstracto, & in concreto: in abstracto est modus ille, vel perfectio, & sigillatio materiæ veniens à forma. In concreto est materia modificata, quæ licèt non dicat rem distinctam à materia, dicit tamen modum, qui jam modificat materiam, jam non. Est ergo effectus ille entitativè materia. Et dum insurgit, quòd materia est receptiva effectus formalis, non autem est receptiva sui ipsius. Respondeo ex dictis num. 20. ad 2. Quòd materia est receptiva formæ; sed non est potentia receptiva effectus formalis, sed entitativa, vel modificativa; nam talis est respectu modi relicti ex forma. Vide ibi dicta à M. N. Argentina.

Ad 1. confirmat. dic quòd antecedens, & ejus probatio implicant in terminis. Nam sicut implicat ponere in subjecto formam sine effectu formali; sic implicat ponere in subjecto formam secluso quovis alio: hæc enim secluſio secludit effectum formalem formæ, qui modus est distinctus à formæ, ut probatum est. Nec esse albũ est solùm habere albedinẽ sicut nec esse animal est habere sibi unitã animam; nam ut benè notavit P. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. ignis inferni habet sibi unitos spiritus damnatorum, & dæmonum: nec tamẽ ex tali unione resultat homo, animal, vel aliud compositum. Addit ergo *album*, & *vivens* ultra subjectum, & formam informantem, effectum formalem præstitum subjecto à forma;

& hic est modus indistinctus à subjecto, sed realiter distinctus à forma.

Hinc ad 2. confirmationem patet ex dictis, quòd corpus vivere non est solùm habere vitam sibi unitam. Ignis inferni animas habet sibi unitas; nec tamen vivit. Audi S. Parentē loco laudato: *Adhærebunt* (inquit) *spiritus incorporei corporeis ignibus cruciādi, nō ut ignes animalia fiant, quæ constēt spiritu, & corpore, sed ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* En ignis inferorum habēns spiritus viventes sibi unitos & adhærentes, non vivit, nec fit animal sensitivū, quía spiritus nō dat ullā vitā corporeo igni. Ergo nisi anima det corpori, cui unitur aliquod esse, corpus non vivit per hoc solùm, quòd habeat animam unitam.

Per hoc patet ad 3. cōfirmationem: Nam corpus igneum inferorum, si ab anima unita organizaretur, foret capax vivendi; nec tamen vivit, quantumcumque habeat animam sibi unítam: hoc ideò ex P. Augustin. quia spiritus nullam dant vitam illi corpori. Ergo nisi ultra unionem animæ, & corporis, penatur esse præstitum corpori ab anima, corpus non habet vitam, taliter ut vivat.

Dices, Ergo in viventibus est duplex vita. Patet consequentia. Nā in eis est anima, quæ est vita in actu primo: aliunde est alia vita, nempe illa, quam anima dat corpori, & hanc dicimus distinctam ab anima; unde est duplex vita. Hoc esse falsum inde patet, quía ubi anima est unica, ibi vita unica est.

2. Vel materia cum illo modo, quo dicimus vitam, ei datam, est principium activum operationum vitaliū, vel purè passivum. Si passivum? Ergo superfluit ille modus. Patet consequētia. Quia materia ratione sui sine modo distincto, est potentia receptiva, & passiva tum animæ, tum operationis vitalis. Si activum? Ergo modus ille est entitas realiter distincta à matería, cujus contrarium suprà diximus cum B. Ægídio. Probatur consequentia. Quia quod per suam entitatem est purè principium passivum, nequit constitui principium activum sine additione entitatis: sed materia per suam entitatem est principiū purè passivum, ut lib. 1. dictum est: ergo.

3. Modus ille, si datur, est vita in actu secundo: ergo non est principium vitę, nec vita in actu primo. Probatur antecedens. Materia habet modum illum, postquam habet sibi unitam vitam in actu primo: sed vita post vitam actus primi, est vita in actu secundo: ergo.

Ad 1. dic quòd corpus, & anima sunt duplex vita inadæquata, vel duplex principium inadæquatum vitæ. Sicut enim est duplex entitas inadæquata, ex qua resultat unica adæquata entitas compositi, ita ex eis cōflatur unicum adęquatum principium operationum vitalium; horum anima est vita *substantivè*, corpus autem est vita *adjectivè*, hoc est ratione effectus præstiti formaliter ab anima.

Ad 2. dic corpus cum illo modo

do esse principium activum, & passivum, quia vivere est agere, & pati, & vita est *motus à se* (ecce causam efficientem) *& in se* (ecce causam materialem, & passivam) quare si corpus non influeret in motum vitalem, non viveret. Constituitur materia principium activum dupliciter, nempe *activè, & passivè*. Activè constituitur per formam, quæ est entitas distincta à materia; & hoc probat replica: sed passivè constituitur per modum illū indistinctum à materia, ut ex B. Ægidio dictum est. Vide dicta num. 23. ad 2. probationem minoris.

Ad 3. dic quòd vita in actu secundo est motus, & operatio: operari sequitur ad esse: atqui modus ille, qui in materia sequitur ex unione cū anima, est modus faciens ad esse: ergo est solùm vita in actu primo: unde vita adjectivè post unionem vitæ substantivè talis.

26. Ad 3. fundam. positum num. 7. respondemus, quòd sicut causa efficiens, & formalis conveniunt in ratione causæ, & principij activi, sic conveniunt in causando effectum distinctum à causa, quia nemo potest esse causa activa sui; & inde etiam probata est B. Ægidij sententia. Discrimen utriusque causæ quoad se diffundere, vel se communicare, verum est, sed malè explicatum ab arguente. Non enim causa efficiens se diffundit, quia causat effectum, & dat esse, à causa distinctum; nam materia & forma, dant esse, ab eis distinctum, & tamen causant se communicando. Vera explicatio est hæc. Causa formalis causat se communicando, quia recipitur intra subjectum, cui dat suū effectum formalem. Causa autem efficiens non recipitur intra subjectum cui dat suum effectum, sed exterius tāgit materiam, & subjectum; quare se diffundit, non se communicat.

Ad 1. confirm, neg. causalem antecedentis. Non enim ideò causa efficiens est extrinseca effectui, quia dat ei esse distinctum à causa: sed quia non recipitur in subjecto, cui dat suū effectum. Forma dans effectum suum materiæ, recipitur intra materiam: unde est causa intrinseca effectus *qui*, nempe compositi resultantis; & effectus *quo*, quia dat illum se communicando subjecto.

Ad 2. dic quòd causa formalis causat communicando suum esse; ceterùm effectus ejus non est illud esse formæ communicatum materiæ, sed est actuatio passiva materiæ, quæ relinquitur ex esse formæ, illi communicato. Hæc actuatio est modus distinctus ab esse formæ, ut probatum est. Sententia nostræ contraria non agnoscit in causalitate causæ formalis aliud, quàm communicatio sui esse; sed agnoscere debet, alioquin vel nullum effectum dabit causa formalis, & sic nullus erit causa; vel erit causa formalis sui ipsius, & sui esse, quod est plenè implicatorium.

Ad 3. dic quòd forma non est causa compositi adæquatè sumpti, ut probat arguens; ceterùm nec est causa compositi, ut dicentis formam; alioquin esset causa sui ipsius, quod implicat, ut dictum est. Est ergo causa com

compositi ut dicentis materiam ; sed non tolam, sed cum illo modo , derivato à forma. Materia cum isto modo est materia passivè actuata, & perfecta: hujus complexi forma est causa, cujus formalis effectus in abstracto est ille modus , vel actuatio passiva materiæ: quæ cùm indistincta sit à materia, ideò forma est causa compositi, ut dicentis materiam.

Ad quartum fundam. positum num. 8. dicimus quòd subsistéria Verbi Divini unita Humanitati Christi D. non est forma informans , sed purè terminans sine informatione , quare non modificat Humanitatem, nec est causa formalis intrinseca, sed extrinseca , de qua quæstio non est. Quia tamen termina intrinsecè naturam humanam, dicimus secundò, quòd præstat Humanitati sic terminatæ quemdam modum. Nec contra illum faciũt duæ probationes. Non prima , quia dum Theologi tractant de modo unionis, dant doctrinam etiam pro isto modo, quem in hac solutione concedimus. Præter quamquòd vide M.N. Argentinam loco citato 3. Sentent. disputantem de isto modo cum alijs Theologis.

Ad secundam probationem, dic illum modum, datum à forma infinita, esse finitum , quia sequitur naturam subjecti cui datur, non autem naturam formæ, à qua datur. Sic juxta B. Ægidium quæst. 1. de Cognitione Angelorum ad 4, impressio colorum in aere non est color, nec forma realis, sed intentionalis, licèt causetur à formà reali. Sic etiã juxta Thomistas Humanitas Christi existit per existentiã infinitã, sed non existit infinitè. Sic juxta omnes, Beati vident Deum per speciem impressam infinitam, sed nõ vident infinitè, nec actuantur infinitè per speciem. Horum, & quàm plurium ratio est eadem, nec alia , quàm suprà data.

28. Observa quòd in his modis, sequentibus naturam subjecti, aliquando modus est inferior sua causa, ut in exemplo dato modi præstiti à subsistentia Verbi; & in omnibus præstitis à forma substantiali ; nam cùm isti modi habeant entitatem materiæ, & hæc sit inferior ad formam ; ideò modus ille, effectus formæ, est inferior ad causam. Idem dic de modo præstito à gratia habituali, informante animam nostram. Nam hujus entitas est entitas animæ, quæ substantialis , & naturalis est. Sic & modus , entitativè sumptus, est substantialis , & naturalis; qua parte est naturalis, est inferior ad gratiam supernaturalem ; qua verò est substantialis, est superior ad gratiam accidentalem. Nec o eris concedere modum illum entitativè esse naturalem , nam hoc nil est aliud, quàm asserere modum illu nõ habere entitatem, nisi subjecti, & subjectum, nempe ni a, st entias naturalis. Formaliter autem odus ille sumptus, est supernaturalis , quia est determinatio indebita animæ, proveniens à forma supernaturali, & indebita.

Per oppositum modus intentionis qualitatis in subjecto, ortus à qualitate, & extensio materiæ, quæ modus

dus est, ortus à quantitate; isti modi excedunt suam causam formalé. Nam formæ dantes sunt accidentia, nempe quantitas, & qualitas: cæterùm modi illi sunt substãtia, quia non habent entitatem, nisi subjecti sui, nempe materiæ, & compositi; & horum entitas substantialis est. Nec excellus iste effectus supra causam nascitur ex nobilitate effectus, sed ex meritis subjecti receptivi effectus, & ex debilitate effectus in linea essendi, in qua nullum habet esse, nisi esse subjecti.

Ad 1. Confirmationem, nega, quòd materia cum illo modo faciat compositionem. Compositio est distinctorum unio; modus ille non distinguitur à materia; ut suprà dictum est; quare cum illo non componi materia, sed cum forma à materia distincta.

Ad 2. Dic quòd juxta N. F. D. quantitas *activè* per se ipsam extendit materiam, & materia per ipsam *passivè* extenditur à quantitate; unde nullum datur tertium distinctum à materia, & quantitate, nec nos illud ponimus. Dicimus tamé quòd effectus quantitatis realiter distinguitur à quãtitate, & item de omni effectu formali. Nam effectus formalis quantitatis non est extensio *activa* materię; hæc enim est causa formalis; sed est extensio *passiva* materię: hæc cùm sit indistincta à materia, distinguitur realiter à forma non minus, quàm ipsa materia.

§. VLTIMVS

Quid sit, & quibus conveniat modus?

91. CVM in tota hac quæstione propugnatum sit, quòd omnis effectus formalis formę substantialis, vel accidentalis, est modus, indistinctus quidem à subjecto, sed realiter distinctus à forma; hìc oportet explicare essentiam modi, & quibus conveniat modum esse. De hoc egimus sufficienter in Logica lib. 3. quæst. 7. §. 2. Vbi impugnavimus sententiam P. Arriaga, & aliorum docentiũ, modos esse quasdam debiles entitates, quæ non possunt sine alijs subsistere, & esse. Ibi etiam ximus modum non esse entitatem, nec rem, sed obliquitatẽ entis. Pro tũc satis fuit hæc dictasse, quia id sufficiebat pro explicanda modali distinctione. Nunc autẽ enucleatiùs explicãdus est modus, quem diffinies sic.

Modus est *quædam determinatio rei proveniens ab aliqua forma*. Ita F. D. locis hìc allegatis, & alij in Logica notatis. Quam diffinitionẽ videtur P. Aug. approbasse, dum lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 3. dixit: *Modus est, quem mẽsura præfigit*. Forma autem, sicut subjectum determinat ad speciem, sic est mensura subjecti, quare determinatio subjecti veniens à forma, est modus, quem præfigit mensura formæ.

Explicatur in unione materię cum forma, quę ab Authoribus distinguentibus, dicitur modus. Id benè dicitur juxta hanc diffinitionem modi. Nam cùm materia sit indifferens ad hanc, vel illam formam, & forma ad hanc, vel illam materiam: unio tollit eam indifferentiam, & sic est actualis determinatio materiæ, & formæ; quare est modus, cujus essentia consistit in actuali exercitio determinãdi. Materia etiam est indifferens ad hanc, vel il-

illam extensionem, sed per quantitatē determinatur ad talem extensionem passivam partium: & hæc passiva extensio, veniens à quantitate, ut à forma, est modus materiæ, quia est determinatio indifferentię illius; ut tota quæst. dictum est.

30. Circa secundum communiter dicitur, quòd prædicamentum *vbi* est modus, idem dicitur de *situ*. Prob. Quia per ubicationem determinatur corpus ad hunc locum, & tollitur indifferentia, quam habebat ad hunc, vel alterū: ergo *ubi* est determinatio quædam rei: & sic est modus. *Situs* etiam determinat partes ut sint in loco sic, & non aliter; cùm tamen ante situationem essent indifferētes ad essendum aliter, vel sic: ergo *situs* est modus.

Contrarium videtur probabilius ex dictis in Logica lib. 6. quæst. 1. ubi cum communi sentētia diximus, quòd nullus modus ponitur directè in prædicamēto, sed indirectè vel reductivè, nempe in prædicamento rei, cujus est modus. Ob id existentia, & subsistentia non ponuntur directè in prædicamento substantiæ, quia non sunt entia completa, sed vel incompleta, vel modi substantiæ completæ: at *ubi*, & *situs* sunt prædicamenta; & in eis collocantur directè omnes corporum ubicationes, & situationes: ergo modi non sunt, strictè loquendo, sed latè.

Ob id etiam *actio*, & *passio*, quæ determinationes sunt agentis, & passi, dicuntur modi. Ceterùm idem est dicendum, ac de *ubi*, & *situ*, cùm speciale constituant prædicamentum. De prædicamento *Quando*, ad quod pertinent omnes sublunariūm durationes, plures dicunt esse modum, quia tenent durationem modaliter differre à re durante. At de his omnibus urget difficultas suprà posita.

Nobis autem, qui lib. 6. Logicæ prædicamenta cum B. Ægidio dedimus tripartita, nam alia dicunt rem, ut tria prima; alia purum ordinem, ut relatio; alia rem sub ordine, ut sex ultima prędicamenta; dicendū est nullum ex sex ultimis prædicamentis esse modum, sed rem sub ordine, quare dicunt rem cum quidditate superaddita; quę quidditas licèt sit quędā determinatio, ut de modo dictum est, determinat tamen ratione exercitij referēdi, & sic nō tam est modus, quàm quidditas; nec quidditas sola sed res sub quidditate.

31. De existentia quidā dicūt esse modum. Ceterùm contrarium probavimus lib. 1. q. ultima: & suadetur breviter. Quia si esset modus, esset determinatio naturæ, in qua supponeret aliquam indifferentiam, quam determinaret: at nulla natura est indifferens subjectivè ad essendum, sed purè objectivè; cùm ante esse non detur potentia alia, quàm objectiva: ergo existentia est res; non modus.

De subsistentia, suppositalitate, individualitate, benè dicitur esse modos, quia sunt determinationes essētię existentis, ad hoc esse subsistēs, ad hoc suppositum præ alio, ad hoc prę alio individuo. His adde omnes effectus formales substantiales & accidētales, quos diximus distingui à formis cōmunicatis, & esse modos afficientes subjectū receptivum formarum. Reliqua vide in Logica loco citato.

QVÆ-

QVÆSTIO OCTAVA.

Quænam sit causa material is accidentium?

§. I.

Ponuntur fundamenta Sententiæ docentis esse solam materiam primam.

1. SVB hoc titulo pertinet hæc quæstio ad Philosophiam, & excitatur supra litteram Philosophi hìc cap. 3. sub alio disputatur in libris de Gener. & Corrupt. dum quęritur: *An detur resolutio usque ad materiam primam?* Nam qui docent accidentia recipi in composito, tenentur dicere, quòd accidentia omnia pereunt, quando compositum dissolvitur, cùm accidens non possit manere, destructo subjecto, in quo existit. Ergo tenentur dicere, quòd ex omnibus entibus compositi resoluti, sola manet materia prima, quę est incorruptibilis, hoc est dicere, quòd *datur resolutio usque ad materiam primam.* E cõtra, qui tenẽt accidentia recipi in materia prima, docent, quòd in resolutione compositi manet subjectum accidentium, nempe materia: ergo cum materia manent accidentia, quæ erant in composito corrupto. Ergo juxta illos *non datur resolutio usque ad materiam primã* An sit medium inter hæc extrema, videbis infrà ex principijs sententiæ nostræ.

Prima sententia docet accidentia materialia compositi recipi in sola materia prima. Sic Averroes lib. 1. de substantia orbis, & 1. Physic. comm. 63. ubi docet esse in materia dimensiones indeterminatas, illi coævas, quę sunt effectus quantitatis. Eandem sententiam quoad quantitatem, & alia accidentia communia tenent simplicius, N. Gregorius, Aureolus, Marsilius, & alij, quos citat, & sequitur P. Suarius in Metaphysica tom. 1. disp. 14. sect. 3. Citatur etiam N.F.D. 7. Metaphysic. q. 4. de cujus mente infrà.

2. Probatur 1. hęc sententia ex Arist. 7. Metaphysic. tex 8. Vbi indicat quantitatem primò inesse materię. Et 3. Physic. dicit quantitatẽ esse proprietatẽ materię. Item 2. de Gener. text. 6. dicit quòd dispositiones ad formam substantialẽ, & alterationem, proximè versantur circa materiã. Rursus 1. Gener. text. 24. & 2. de Gen. text. 27. docet, quòd dum elementũ transmutatur in aliud, non corrumpuntur omnia accidentia, sed permanẽt in genito omnia illa, in quibus assimilantur. Hujus doctrinæ exemplum ponit in aqua genita ex aëre, in qua permanẽt humiditas & transparentia aëris. Quod non posset verificari, si subjectum horum accidentium esset compositum, nam corrupto subjecto accidentium, pereunt & accidentia. Ergo subjectum humiditatis & transparẽtiæ non erat aër, sed materia aëris, quę manet in aqua, denuò genita.

3. Probatur 2. hæc sententia à ra-

ratione. Sufficit sola materia, ut sit subjectum formæ substantialis : ergo sufficit illa sola, ut sit subjectum accidentium. Patet conseq. Quia nil amplius requiritur ad unum, quàm ad aliud.

Confirmatur. Quantitas in homine non subjectatur in anima, quæ spiritualis est: nec item in toto composito ex corpore, & anima, quia repugnat unitoti compositio, nisi uniatur partibus, & afficiat partes unitas. Sed quantitas, (& idem de alijs accidentibus corporeis) nequit inhærere animæ rationali spirituali: ergo nec composito ex corpore & anima unitis.

Probatur 3. à ratione. Omne agens naturale corporeum petit præsupponere materiam quantam, & extensam: ergo ante introductionem formæ in materia, jám in sola materia subjectatur quantitas. Antecedens patet, quia agens corporeum agit tangendo materiam; eam autem tangere non potest, nisi extensam, & quantam.

Confirmatur. Agens solùm inducit formam in propriam materiam, & determinatam ad hanc formam præalia: sed materia determinatur ad hanc formam præalia, & fit agenti propria, per quantitatem, & qualitates ad formam disponentes: ergo agens præsupponit in sola materia quantitatem, & illa accidentia, quæ disponunt.

Probatur 4. ab experientia, qua videmus, quòd in morte hominis v.g. manent in cadavere eadem accidentia, quæ erant in vivente, ut eadem quantitas, figura, organizatio, calor, cicatrices &c: ergo illa accidentia non subjectabantur in toto composito vivente, sed in sola materia. Patet conseq. Nam si fuissent subjectata in composito destructo, & posteà manerent eadem in composito denuò genito, accidentia migrarent de subjecto in subjectum, quod est impossibile: ergo dicendũ est fuisse in sola materia, quæ cùm sit eadem in genito, quæ fuit in corrupto, manent eadem accidẽtia.

Si dicamus non manere eadem accidentia, licèt videãtur eadem, quia fallitur sensus putans esse eadem numero, cùm sint similia, sed diversa numero: unde per rationem corrigendus est sensus, qui decipitur à similitudine accidentium viventis, & mortui. Si hoc dicamus, damus solutionem D. Thomæ, quam latè exponit B. Ægidius in Defensorio ad 1. partem D. Thomæ art. 32.

6. Cetèrùm contrà eam arguit P. Suarius sic. Primò circa objectum sensibile, debitè approximatum, nunquam fallitur sensus: sed in cadavere debitè approximato indicat sensus esse eadem numero accidentia, nempe calorem, cicatrices &c: ergo non fallitur.

Secundò si calor, & cicatrices non sunt eadem numero accidentia, ac anteà, debet aliqua eorum causa assignari: sed nulla est assignabilis: ergo sunt eadem numero. Probatur min. Nam in primis non fiunt per naturalem resultantiã à forma cadaveris; nam he qualitates non sunt cõnaturales cadaveri, ut frigiditas aquæ, & calor igni; sed potiùs illi peregrinæ, & ab extrinseco: quare brevi tẽpore diurant, & paulatim amittũtur, ut patet in calore.

In

Insuper: Nec fiunt ab agente extrinseco, quia aliquando nullum est agens extrinsecum circunstans, quod possit illa causare, ut patet quando homo moritur in aëre frigido, illum circunstante. Quomodo ergo aër ille poterit frigidus causa e calorem, & cicatrices in cadavere?

Vltra: Cùm calor, & aliæ qualitates intensibiles, & remissibiles, habeant contrarium; si fierent per extrinsecam alterationem, fieret successivè, & paulatim; non autem subitò in gradu intenso: sed experimur quòd calor manet in cadavere in gradu intenso in ipso mortis instanti: ergo non fit denuò ab agente extrinseco, sed manet idem, qui erat in vi en[illegible]

Nec tandem dici potest ea accidentia produci ab agentibus universalib[illegible]s. Naim recursus ad causas universales solùm permittitur, quando est necessarius ad coordinationem, & conservationem rerum naturalium: sed ad conservationem formæ cadavericæ impertinenter se habent calor, & cicatrices: ergo non est dicendum hæc produci à causis unive salibus.

7. Pater. Hurtado probat sic eandē sententiam. Si quãt tas rec pitur in materia & forma, sequitur eas non posse penetrari; sicut non penetrantur duæ partes materiæ: sed falsum est materiã & formam non penetrari: ergo qu ntitas in sola materia recipitur.

Secundò. In materia recipiuntur mille modi; v. g. generatio substantialis, motus localis, ubicatio: ergo etiam accidẽtia. Tertiò. Quantitas non sequitur naturam formę, sed materiæ; ergo quia in sola materia recipitur.

Quartò. Si quantitas recipere ur in forma, maximè ut illam extenderet: sed ad hoc non est necesse, quòd qu[illegible]s recipia ur in forma: ergo recipitur in sola materia. Prob. min. Vt qualitates extendantur, non est necessarium, quòd in eis quantitas recip[illegible]tur, [illegible]d s[illegible]t, [illegible]s recipi[illegible] in materia quanta, & extensa: ergo idem de forma substantiali.

Tandem. Quantitas nullum effectum formalẽi potest habere in forma; ergo nõ recipitur misi in materia sola. Probatur antecedens. Si quantitas est dispositio; sola materia disponitur, non forma. Si est extensio materiæ, in materia tãtùm recipitur; forma autem [illegible] se ind[illegible]visibilis, nequit extendi, nisi ratione materiæ in quâ est: ergo ex nullo capite quantitas debet recipi in forma, sed in sola materia.

§. II.

Ponuntur fundamenta probantia subjectum accidentium esse totum compositum.

1. SEcunda sententia docet accidẽtia recipi in toto composito substantiali. Quare dum compositum resolvitur, resolutio fit usque ad materiam; nihilque manet in genito ex his, quæ fuerunt in corrupto, nisi sola materia. Hoc patet: Nam non manet compositum, aut forma corrupta; aliunde nec ullum accidens, tum quia destructo subjecto receptivo, nullum potest manere; tum quia si mutato subjecto, maneret aliquod accidens, illud transiret de subjecto in subjectum; quod

sanè

sanè impossibile est. Pro hac sententia sunt omnes Thom, quos superfluum est sigillatim allegare, licèt non omnes uno modo explicent generationem, & corruptionem, nec dependentiam materiæ à forma pro recipienda quantitate, & alijs accidentibus. Accedunt Scotistæ, licèt non teneant sententiam eisdem principijs, sed ex forma corporeitatis, quam dicunt coævam materiæ, in qua faciente compositum cum materia, dicunt accidentia recipi.

Præcipuum in D. Thom. fundamentum desumptum est ex 1. p. q. 76. art. 6. ubi docet impossibile esse quòd aliqua dispositio media accidẽtalis cadat inter materiã, & formam substantialem. Quæ verba cùm in pravũ sensum detorqueret corruptor D. Thom. indè inferens Dei Filium non assumpsisse carnẽ de purissimis sanguinibus Virginis Matris, sed assumpsisse solam materiam, quod est contra Damascenum lib. 3. cap. 2 Pro Doctore Angelico stetit B. Ægidius in Defensorio ad 1. p. D. Thomæ art. 32. ubi de mente D. Thomę defendit nullum accidens recipi in sola materia, sed in toto composito. Et licèt hæc doctrina B. Ægidij non sit ex propria mente, quam alibi satis expressit; at N. R. Generalis Gallusius, qui typis dedit tertium librum Sententiarum B. Ægidij, & suplendum curavit à dist. 12. inseruit ad verbum doctrinam Defensorij 3. Sent. dist. 11. part. 2. q. 1. art. 3.

9. Probatur hæc sententia. 1. ex Arist. qui cap. de Substantia dicit, quòd destructis primis substãtijs, nihil remanet; hoc est nec manent secundæ substantiæ, nec accidentia, quæ juxta Philosophum substentantur in primis substantijs, hoc est in compositis substantialibus individuis. Sed si accidentia subjectarẽtur in sola materia, falsum esset, quòd non manerent illa, destructis primis substantijs: ergo sentit quòd accidẽtia non recipiuntur in sola materia, sed in toto composito.

Rursus 1. de Gener. cap. 4. text. 23. distinguit generationem ab alteratione in eo, quòd subjectum generationis est sola materia prima, subjectum autem alterationis est totum compositum: sed alteratio fit per introductionem accidentium, sicut generatio per introductionẽ formę substantialis: ergo subjectum accidentiũ est totum compositum. Idem docet 5. Physic. text. 1. ubi expressè dicit quòd subjectum calefactionis, & omnis motus, est compositum substantiale.

Confirmatur ex D. Thoma tum locis citatis sequente sententiam Aristotelis, tum loco laudato 1. p. q. 76. art. 6. de quo suprà num. 8. tum 1. de Gener. lect. 10. vbi exitans quæstionem istam in terminis, resolvit, perire omnia accidentia corrupti, & ea quæ remanent in genito, non esse eadem, sed similia. similiter opusculo 32, de materia, seu de dimensionibus interminatis, eas negat coævas materiæ.

10. Quòd si opponas pro prima sententia D. Thom. 3. p. q. 9. art. 3. ad 3. dicentem: *Per calorem disponitur materia ad suscipiẽdam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus formæ.* Loquitur de eodem numero ca-

ealore; nam indè probat, quòd cum scientia perfecta potest manere cognitio probabilis, quæ anteà habebatur.

Rursus 4. contra Gen. cap. 81. dicit: *Materia hominis post ejus mortem manet sub eisdem dimensionibus.* Nec refert, quòd ibi agit contra infideles negantes resurrectionem futuram, & ob id ex eorum sententia, eos refutat, ut dicit Ferrara. Nam idem docet in 4. Sent. dist. 44. q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. nec ibi ponit duas solutiones, sed unicam, & assertivè, disputans cum Catholicis. Idem habet in eodem 4. Sent. dist. 11. q. 1. art. 1. & quod mirabilius est, in eodem opusculo 32. de natura materiæ, allegato à Thomistis cap. 7. expressè ait, quòd eædem dimensiones sunt in vivo, & mortuo, per essentiam.

11. Si hæc opponas, quæ ostendunt D. Thom. in utramque partem dubitasse, aut contraria prorsus docuisse; respondet Soncinas lib. 8. Metaphys. q. 19. cum Cajetano, & Capreolo, quòd D. Thom. dum erat juvenis, tenuit in aliquibus scriptis de dimensionibus interminatis, doctrinam Cõmentatoris, sed standũ est doctrinæ traditæ in summa Theologiæ, & in ultimis scriptis, præsertim 1. p. q. 76. & opusc. 32. de natura materiæ, ubi priorem sententiam retractavit.

Ad locum autem hìc objectum ex eodem opusculo, respõdet Capreolus in 2. Sent. dist. 13. q. 1. art. 3. opusculum illud esse vitiatum, sicut & alia scripta, quæ per summam Theologię corrigenda sunt; nam summa est veluti liber Retractionum D. Thom. Sed quid dicimus ad locum hìc objectum 3. p. q. 9. art. 3. ad 3. hic sanè de libro Retractionum est. Quidquid sit.

12. Probatur 2. à ratione sententia ista. Forma substantialis dat materiæ esse simpliciter, & primarium; forma autem accidentalis dat esse secundùm quid, & secundarium: sed omne esse secundùm quid, & secundarium, debet supponere in materia esse simpliciter, & primarium: ergo omnia accidentia supponunt in materia formam substantialem; & sic recipiuntur in toto composito substantiali. Discursus est legitimus, & major cum minori constat ex dictis lib. 1. de materia, & forma.

Confirmatur. Accidens est, *quod potest adesse, & abesse absque subjecti corruptione*, vel quod idem est, *Quod advenit subjecto constituto in suo esse essentiali*; sic enim communiter definitur ab omnibus cum Philos. sed materia ante formam substantialem non est constituta in suo esse essentiali; cùm per formam habeat suum actum metaphys. existentiam, subsistentiam &c. ut constat ex lib. antecedenti: ergo nullum accidens, qua tale, recipitur in sola materia.

Confirmatur 2. Accidentis esse est inesse, nam accidens est essentialiter *ens in alio*: sed accidens in sola materia prima non potest inesse: ergo non potest recipi in sola materia prima. Prob. min. Inesse subjecto, supponit esse subjecti: sed materia ante formam substãtialem non est, ne habet esse, quia illud habet per formam

ut

ut lib. 1. probatum est: ergo.

Vrgetur à paritate. Quia esse relationis est esse subjecti, vel fundamenti juxta AA. non distinguêtes relationem à suo fundamento, implicat apud eos relationem esse, antequam fundamentum esse habeat: ergo si apud omnes esse accidentis est inesse; implicat accidens habere esse in subjecto, non habente proprium esse: sed materia ante formam non habet proprium esse essentiæ, aut existentiæ, ut dictum est lib. 1. ergo ante formam substantialem non potest recipere accidentia.

13. Probatur 3. à ratione, quia non solùm evertitur sententia Averrois de quantitate coęva materiæ, sed probatur Thomistica de omnibus accidentibus. Vel ex materia, & quantitate coęva, fit unum per se, vel unum per accidens; compositio enim quæ est distinctorum unio, vel est talis per se, vel per accidens: sed utrumque implicat: ergo implicat quòd ante formam substantialem sit in materia qãutitas, vel aliud accidens. Minor quoad 1. partem probatur. Ex subjecto, & accidente non fit unum per se: sed dimensiones interminatæ sunt ipsa quantitas, & hæc est accidens: ergo ex eis & materia, non fit unum per se.

Quoad 2. partem probatur min. Forma, adveniens subjecto, quod est unum per accidens, non potest cum illo facere unum per se: sed forma substantialis, adveniens materiæ, facit cum illa unum per se: ergo non invenit in materia dimensiones, vel aliquod accidens, cum quo faceret unum per accidens. Major patet, nam ex uni-

tate per accidens, & forma nequit resultare unum per se.

Confirmatur. Omne per accidens reducitur ad per se; quare totum per accidens debet reduci ad totum per se: sed id, quod reducitur ad aliud, supponit illud: ergo cùm totum ex materia & forma, sit totum per se; totum autem ex materia & accidentibus sit totum per accidens; implicat quòd adveniant accidentia, nisi post formam substantialem facientem cum materia unum per se.

Hinc patet, quantitatem, & alia accidentia recipi in toto composito. Quare cùm in corruptione, & generatione, deficiat unum compositum, & adveniat alterum, fit quòd cum composito pereunte, deficiant omnia illius accidentia, ob defectum subjecti; & nova generentur cum novo composito; unde resolvitur primum compositum usque ad materiam primam.

§. III.

Nostra Sententia proponitur, & probatur.

14. NOstra sententia cum B. Ægidio est media inter utrasque laudatas. Nam cum prima negamus resolutionem usque ad materiam primam, docentes quantitatem, & alia accidentia communia corrupti, manere in genito. Ceterùm cum secunda sentẽtia defendimus nullum accidens immediatè recipi in materia prima, sed in toto composito. Sic habetur in N.F.D. in 2. Sent. dist. 8. q. 1. art. 1. in 3. difficultate, ubi docet accidentia sustentari à supposito,

ab

ab eo enim ſuſtentantur, in quo recipiuntur. Id ſatis evincit de mente N. Villanova in manuſcript. l. 1. de Gener. diſp. 1. dub. 9. vbi citat doctores noſtræ Scholę.

At dubio 7. negat reſolutionem uſque ad materiam primam cum NN. B. Ægidio, Gregorio Arimin. Gerardo, & alijs. Nam manent in genito accidentia liqua corrupti, ut quantitas coæva materiæ, quam defendit F. D. in 2. Sent. diſt. 3. p. 1. q. 1. art. 1. Gregorius in 2. diſt. 12. q. 2. art. 1. Venetus 5. Phyſic. text. 18. & alij.

Noſter Gavardi quæſt. 2. de Alteratione docet quantitatem interminatam, eſſe proprietatem materiæ, & recipi immediatè in materia; nihilominus reſolutioné fieri uſque ad materiam primam. Prò quo citat B. Ægidium q. 6. de Cognitione Angelorum. At expreſsiùs poſset eum allegare tractatu de Gradibus formarum parte 2. cap. 5. & 12. ubi docet, ſubjectum accidentium materialium eſſe materiam, ut habentem formam ſubſtantialem; non quòd forma ſubſtantialis ratio recipiendi accidentia, eò quia eſt actus primus eſſentialiter, debet præſupponi in materia ordine cauſalitatis, & perfectionis. Hæc eſt ſententia noſtra.

Quam ante probationem explico ſic. Ea accidentia, quæ vel ſunt proprietates materiæ, ut quantitas interminata, vel debentur materiæ ratione formæ ſubſtantialis communis, ut extenſio determinata, color &c. Iſta recipiuntur, tu materia, non nuda, ſed præhabente formam ſubſtãtialem ſub eo gradu communi. En recipiuntur in toto compoſito, & non in materia nuda. Ce erù, quia forma ſubſtantialis non eſt ratio recipiendi, ſed conditio, vel expeditio per ordinem materiæ, requiſita ordine cauſalitatis, & perfectionis, ideò mutata hac forma, tamen altera ſuccedat in eodem gradu, manent in materia eadem accidentia corrupti, quia per mutationem formæ non mutatur ſubjectum accidentium, ſed ſola conditio & expeditio recipiendi, & ſubſtituitur altera, quæ tantum valet quantum prima.

15. Hæc ſententia, quam cum Villanova, puto expreſsam in B. Ægid. locis laudatis, & infrà oſtendetur de mente P. Auguſtini, traditur expreſsè à D. Thom. integr. p. ſc. 41. quod eſt de natura accidentis. Ibi propè medium diſtinguens formam generalem, & communẽ, ut eſt forma inanimatorum, dans materiæ eſſe corporeum; & formam ſpecialem, dantem materiæ eſſe perfectius, ut eſt forma omnis viventis; inde diſtinguit accidentia quę ſequuntur materiam, & accidentia, quæ ſequũtur formam. Prima ſunt, ea quæ communia ſunt animatis, & inanimatis, ut quantitas, color, denſitas. Alia ſunt, quæ conveniunt ſolùm materiæ habenti formam perfectam, ut organizatio viventium, calor intenſus &c. De omnibus dicit *ad eſſe materiæ, non nudæ, ſed ſecundùm actũ illius cõpoſiti: & hæc eſt materia, in qua accidens habet eſſe.* En accidẽti omnia recipi in toto cõpoſito juxta D. Thom.

Sed loquendo noſtrà de primis accidentibus, ſequentibus materiam, dicit ſic: *Nam enim pereunte re perfecta,*

rit ordo materiæ ad formam generalem, sed potiùs per eam perficitur in esse actu; & ideò in vivo, & mortuo quantitas dimensiva maneret, & similiter albedo, & nigredo, & vestigia vulnerum; quæ in quantitate recepta sunt; nec est accidentium transitus propter hoc. Manet enim origo, & radix accidentis, eadem materia in ordine ad formam generalem remanente, licèt sit transitus in esse actu. Hæc S. D. quorum contrarium statuit de accidentibus, secutis ad formam specialem, ut quæ sunt principia actionum vitalium; nam remota forma speciali viventis v. g. & posita cadaverica, quæ est generis, sicut corporea, non manent in cadavere partes, perãdi vitaliter, quę erant in vivente.

An hæc fuerit ultima mens D. Thomæ, nescimus: id tamen certum est Thomistas probare sententiam suam ex opusc. 32. sed nostram probabiliorem posteriori opusc. 41. Quòd si contẽdas cum DD. citatis num. 11. hoc opusculum esse vitiatum, & corrigendum esse per dicta in summa Theologiæ: fit ut velis; sed nota ultimum cum 3. partis q. 9. allegatum num 10. qui confirmat hanc sententiam. Notetiam, quòd in hoc opusc. non solam authoritatem D. Thomę allegamus, sed rationem in ea inclusam, quæ nec facilè solvitur, nec ullibi in summa retractata invenietur. De ratione posteà.

16. Probatur ergo nostra sententia ex P. Augustino lib. 1. contra Adversarium Legis, & Prophet. cap. 10. ubi hoc eximium dat nobis testimonium. *Materia*, (inquit) *ignota est humanis sensibus, & vix utcumque intelligitur, cùm res in deterius commutantur*, (hoc est, quando corrumpuntur) *tanquam ei propinquet quidquam deformius, nec perveniat tamen ad illam informitatem quantulacumque vel visibilis remanens, vel intelligibilis species.* Hæc S. P. ex quibus sic.

En cùm homo corrumpitur, & in deterius commutatur, recedente anima, advenit materiæ forma cadaverica, quæ est quasi deformior ipsa informitate materiæ. At in hac resolutione dicit P. Augustinus, quò materia *non pervenit ad summam informitatem*. Sed si daretur tunc resolutio usque ad materiam primam, materia certè perveniret ad suam nuditatem, & informitatem: ergo docet S. P. tunc non resolvi compositum usque ad materiam primam.

Sed cur non? Respondet ibi S. Parens, quia remanet materia visibilis, nempe per quantitatem extendentem, & colorem qualificantem, & reddentem materiam visibilem: ergo ideò non fit tunc resolutio compositi usque ad informitatem materiæ, quia accidentibus hominis vivi, manent cum materia in cadavere quantitas, color, & alia visibilia:

17. Dices cum Thomistis, manere materiam cum visibilibus, sed non cum eisdem, quæ habebat in vivente, sed cum alijs, quę similia sunt. Contra. Audi P. Augustinum serm. 13. de Martyribus cap. 4. dicentem manere eadem: *Anima deserente* (ait) *jacet corpus cadaver, insunt membra, oculi, aures; sed hæ fenestræ sunt domus, habitator abscessit. Eædem autem fenestræ*

sunt

sunt, sive sit, sive non sit habitator in domo. Et serm. 243. de tempore cap. 2. *Oculi, & si pateant, nihil vident. Adsunt aures, sed migravit auditor. Linguæ organum manet, sed abscessit musicus, qui movebat.*

Jam verò, quòd hæc accidentia communia viventi, & mortuo, non maneant in sola materia prima, sed in materia informata, qualiter est compositum, constat ex prima authoritate; nam ibi S. P. dicit materiam in ea corruptione esse quidem *ignotam humanis sensibus*. Sed si in materia nuda reciperentur ea accidentia communia quantitatis, organizationis, coloris &c. per illa redderetur materia humanis sensibus nota, nempe tãgibilis, & visibilis: ergo quia sentit S. P. ea accidentia manere quidem, sed non in materia sola, sed in materia præhabente formam substantialem, cum qua facit compositum.

Accedit ratio ex principijs S. Parentis pro hoc. Nam materia ex se est *quædam informitas sine ulla specie*, unde non habet actum metaphysicum ex se, nec speciem essentialem, nisi per formam, ut dictum est ex S.P. lib. 1. q. 5. sed implicat quòd materia habeat speciem accidẽtalem ante speciem essentialem: ergo cùm per formam substantialem sit in specie essentiali; per accidentalem in specie accidẽtali; implicat ea accidentia recipi in materia nuda, non prehabente aliquam formam substantialem.

18. A ratione probatur conclusio nostra 1. ex D. Thom. opusculo laudato sic. Quantitas dimensiva, albedo, nigredo, cicatrices &c. quæ sunt in homine vivente, conveniunt ei ratione materiæ, non nudæ, sed ut dicentis ordinem ad formam substantiæ corporeæ, vel ad animam sub gradu formæ corporeæ, communis animatis, & inanimatis: sed recedẽte anima, & adveniente forma cadavetica, non mutatur in materia ordo, quem dicit ad formam substantiæ corporeæ, vel ad formam sub gradu corporeitatis: ergo tunc remanent eadem accidentia, non quidem in materia nuda, sed in composito ex materia, & forma cadaverica. Conseq. patet, quia illa accidentia non possunt deficere, nisi defectu subjecti; subjectum autem est materia sub eo ordine; ergo si manet materia sub eodem ordine, non deficit subjectum, nec ipsa accidentia.

Major est expressa in D. Thomæ ibi & ratione probatur. Nam ea accidentia, quæ communia sunt viventibus & inanimatis, non possunt convenire materiæ, nisi per formam sub gradu communi omnibus. Gradus autem communis viventibus, & inanimatis, est gradus formæ substantialis corporeæ: ergo illa accidentia, quæ non conveniunt materiæ nudæ, conveniunt materiæ, ut dicenti ordinem ad formam substantiæ corporeæ, vel sub gradu corporeo.

Minor etiam est clara. Ordo materiæ ad formam corpoream, non specificatur à tali forma in particulari, sed à gradu in communi: ergo quacumque forma particulari variata, dummodo subsistat gradus formæ corporeæ, manet idem ordo in materia,

vel materia sub eodem ordine. Explicatur. Ordo ille materiæ, sicut omnes relationes habent unitatem numericam à fundamento, & specificam à termino; & non à termino utcumque, sed formali & sub ratione communi termini. At fundamentum illius ordinis est materia, quæ eadem est in mortuo, ac fuit in vivente. Rursus ratio specificativa ordinis materiæ est gradus corporeitatis, qui est idem formaliter in forma cadaverica, ac in forma vitali: ergo ordo ille materiæ ad formam cadaverica est idem numericè, & specificè, ac fuit in vivente ad animam sub gradu corporis.

19. Vlteriùs probatur conclusio à ratione. Et quidem contra 1. sententiam satis probatur à Thomistis, ac id debere reipsi in toto compositio, & non nisi materia nuda. Videre rationes eorum, præcipuè, quæ posita est num. 13. contra Averroem. Has rationes eò putabis probabiliores, si ingeniosè positum esse rationem formæ susceptivum eorum accidentium materialium. Nam dato recipi in sola materia, sed ut præhabente formam; habemus intentum: nam tunc sine difficultate forma substantialis facit nũ per se cum materia, & ingenito manent accidentia materialia corrupti, ut dictum est.

Jam verò contra 2. sententiam probatur, quòd forma substantialis est sola conditio, ut materia recipiat accidentia materialia, non autem est causa receptiva, nec pars subjecti receptivi accidentium. Nam quod non dat materiæ virtutem receptivam, sed

§. TERTIVS.

cidentium, sed supponit in materia adæquatam vim recipiendi, solùm est conditio ad recipiendum, non autem causa materialis; sicut quia applicatio ignis ad stupam, supponit in igne adæquatam vim comburendi, ideò est sola conditio, non autem est partialis causa combustionis: sed forma nullam dat materiæ virtutem receptivam, sed eam plenam supponit: ergo solùm est conditio, vel expeditio potentiæ materiæ. Probatur min. Materia est prima causa materialis, quæ ex se est infinita in recipiendo, & habet per identitatem virtutem receptivam, ut suprà dictum est: ergo nullam recipit à forma. Rursus materia à forma recipit actualitatem, non autem potentialitatem: sed vis recepti a est potentialis: ergo hæc tota supponitur in materia, nec potest latenus venire à forma.

Confirmatur. Si forma substantialis non esse pura conditio, ut materia recipiat accidentia, sed esset etiam partialis causa receptiva; daretur inter accidentia & formam substantialem mutua causalitas in eodem genere causæ: sed hæc est impossibilis etiam apud Thomistas: ergo impossibile est quòd forma sit partialis causa receptiva accidentium. Probatur maj. Nam accidentia illa materialia, cùm disponan materiam ad receptionem formæ, pertinent ad genus causæ materialis, & sunt vera causa materialis formæ substantialis. Aliunde si forma materialis ponitur susceptiva accidentium materialium, erit causa materialis accidentium: ergo forma, & illa accidentia mutuò se causabunt in

In eodé genere cauſę materialis: quod ſanè implicatorium eſt.

Confirmatur 2. Quòd materia debeat priùs compleri ſubſtantialiter, quàm accidentaliter, probat, quòd debet priùs recipere exiſtentiam ſubſtãtialem, quàm accidentia: ſed inde non probatur quòd accidentia recipiantur in exiſtentia, vel quòd exiſtentia ſubſtantialis ſit cauſa materialis receptiva accidentium, vel quòd ab exiſtentia recipiat materia vim cauſandi materialiter accidentia; ſed unicè quòd exiſtentia ſit complementum virtutis receptivæ, conditio, vel expeditio ad recipiendum: ergo quòd materia priùs debeat formam ſubſtantialem recipere, quàm accidentalem, probat formã eſſe conditionem, complementum, vel expeditionem, non autem quòd ſit compartialis cauſa receptiva accidentium.

§. IIII.

Expenduntur fundamenta vtriuſque Sententiæ.

20. Reſtat expendere fundamenta utriuſque ſententiæ, quatenus noſtræ obſtare poſſunt. Ad authoritates Philoſ. adductas num. 2. reſpodemus, & ad primam ex 7. Metaphyſ. dicimus cum D. Thoma ibi exponente litteram, quòd Ariſtoteles totum compoſitum ſubſtantiale vocat ibi materiam primam; non quòd talis ſit, ſed quòd talis putabatur, & vocabatur à Phi. illis, cum quibus diputabat, non agnoſcentibus alias formas, quàm accidentales: ergo ſi nomine materiæ intelligit compoſitum, docet quantitatem recipi in compoſito; & ſi eſt pro nobis.

Ad 2. dic quòd quantitas juxtà Philoſophum eſt proprietas materiæ, in ſenſu quo D. Thom. & B. Ægidius illam dicunt materiæ proprietatem; non quia recipitur in ſola materia, ſed quia recepta in toto compoſito, ei convenit ratione materiæ; ſicut calor ignis in toto compoſito receptus, eſt proprietas formæ; eò quòd convenit ratione formæ totius compoſiti. Obſerva quòd ex accidentibus, quædam ſunt activa, ut calor, frigus &c. & hæc ſequuntur formam, quæ activa eſt, non materiam, quæ eſt potentia paſſiva: alia non ſunt activa, ut quantitas, color, figura, & hæc ſequuntur materiam. Vnde juxtà Beatos Doctores noſtros quantitas in Euchariſtia gerit vices materiæ, quia ſapit materiæ naturam, & ſenſu eſt materiæ proprietas. Dic etiam quòd quantitas eſt paſſio materiæ, quia eſt accidens petitum à materia ſub ordine ad formam generalem, ut dictum eſt cum D. Thom. num. 15. ergo non recipitur niſi in materia informata ſaltem forma generali.

Ad 3. dic diſpoſitiones ad generationem, & alterationem verſari circa materiam primam, ut ſubjectum denòminationis, quia eam diſponunt, non autem compoſitum ad ſuſceptionem novæ formæ. Ceterùm non recipiuntur in ſola materia, ſed materia præhabente formam, ut probatum eſt. Quare ſi ſunt diſpoſitiones previæ, recipiuntur in materia præhabente for-

formam corrupendam; si sunt dispositiones comitantes, ut est ultima dispositio, recipiuntur in materia præhabente novam formam.

Observa, quòd hìc q. 5. §. 3. diximus dispositiones prævias non existere in instanti generationis, sed immediatè antecedenti, & relinquere materiam sigillatam ad determinatam formam, vi cujus sigillationis dispositiones illæ causant, quando non existunt. Sic diximus de mente Thomistarum, qui nullum admittunt in genito accidens, quod fuerit in corrupto. At nunc qui loquimur juxta nostram sententiam, dicimus dispositiones illas prævias manere in genito. Imò cùm sigillatio illa Thomistica sit effectus formalis accidentium disponentium; quomodo datur in materia ille effectus formalis, in eo instanti quo non est in materia forma dans illum? Hoc in nostris principijs videtur repugnãs, sed amplius in Thomisticis, quandoquidem dicunt effectum formalem non distingui à forma communicata subjecto: ergo in instanti, quo accidentia illa non sunt in materia, nullus erit effectus eorum, nulla talis sigillatio.

21. Ad ultimum respondent Thomistæ, quòd quando unum elementum transmutatur in aliud, non permanent eadem numero accidentia in genito, ac fuerunt in corrupto, sed similia, vel eadem specie. Sic respondent vi consequentiæ doctrinæ suæ; & tenentur dicere consequenter quòd in generatione hominis, in qua primò inducitur forma embryonis cum suis accidentibus, postea adveniente forma vegetativa, cedit forma embryonis, & pereunt omnia ejus accidentia. Similiter adveniéte forma sensitiva, cedit forma vegetativa cum omnibus suis accidentibus. Tandem dum infunditur anima rationalis à Deo, cedit anima sensitiva, & pereunt omnia accidentia illius. Et cùm inter accidentia formarum imperfectarum numeretur organizatio partium corporis, in qua elaboranda multos dies insumpsit natura; dicendum est eam organizationem perire in instanti, quo introducitur anima rationalis, & nova organizatio introducitur, quæ fit in instanti, sicut instanti introducitur anima rationalis, ad quam nova accidentia, & nova organa sequuntur.

Hæc solutio est consequentissima doctrinæ Thomisticæ, & insinuatur à D. Thoma, & B. Ægidio, dum loquuntur in ea opinione, tenentes cùm Philosopho, & Comment. quòd homo priùs vivit vita plantæ, postea vita animalis, tandem vita hominis, procedente generatione de imperfecto ad perfectum, nempe de forma embryonis ad vegetativam, de hac ad sensitivam, & de ista ad rationalem, ubi sistit perfectio geniti. Cetertùm in hoc asserto duo sunt incredibilia. Primum est, naturam per multos dies laborare organizando materiam, cùm tamen ea organizatio dum semel perfecta sit, debeat perire, & nova distincta reponi. Alterum est, quòd nova organizatio posita loco primæ, ponitur in instanti, & non apparet causa, à qua ponatur. Nam hæc non est agens na-

naturale, quod non est validius nunc; ac fuit; nec potuit in instanti elaborare primam organizationem, sed successivis diebus, & multis: ergo secundam non potest in instanti elaborare; maximè quia operatur cum motu, qui successivus est essentialiter, nec potest fieri in instanti. Non etiam à Deo; quia Deus infundit animam ipse solus, quia solus creat; sed non solus organizat, & disponit partes, quia hoc munus est generantis, & non Dei creatis: A quo ergo venit in instanti nova illa organizatio?

Nostra sententia non premitur his difficultatibus. Dicimus, quòd in transmutatione elementorum, permanent in genito omnes qualitates symbolæ, quæ erant in corrupto. Rursus dum cedit forma sensitiva, & infunditur anima rationalis, permanet in corpore ea organizatio prius elaborata à natura. Ratio est, quia cùm ea accidentia fuissent in corrupto ratione materiæ dicentis ordinem ad formam sub gradu communi elementis symbolis, & formæ sensitivæ: dum nova venit forma, manet materia sub eodem ordine tam numero, quàm specie eodem: unde manent accidentia illa sic utrique communia. Nec sequitur inde ea recipi in sola materia, sed in materia ut prehabente gradum illum formæ communis, sub quo ipsissimo manet, etsi forma particularis transmutetur. Vide dicta ex D. Thoma n. 15.

22. Ad 1. rationem probativam positam num. 3. concesso antecedenti, nego consequentiam. Nam licèt attenta potentia receptiva materiæ, sola sufficiat recipere tum formam substantialem, tum accidentalem; at attento ordine causalitatis, & perfectionis, forma substantialis debet esse primus actus materiæ, accidentalis autem secundus. Ergo petit forma accidentalis præsupponere in materia formam substantialem, ut expeditivam potentiæ receptivæ. Quòd si instes. Potentia materiæ est satis ex se expedita ad formam substantialem: ergo & ad accidentalem. Nego conseq. iterùm. Nam pro forma, quę est actus primus, non requiritur alia expeditio, quàm pura potentialitas; & hæc datur in materia secundùm se. Item pro actu dante primam speciem, sufficit informitas materiæ. At pro forma accidentali, dante speciem secundam, requiritur prima species præsupposita; & hæc in materia non est, nisi prahabeat formam substantialem.

Ad confirmationem dicunt Thomistæ, quòd licèt anima in se spiritualis, non recipiat quantitatem nec colorem, aut qualitates materiales; at quia eminenter corporea, sicut cum materia constituit compositum corporeum, sic constituit compositum extensum, & coloratum: unde in se non est susceptiva accidentium; benè tamen in composito, ratione gradus corporeitatis, quem præstat. Et instant in sententia P. Suarij, apud quem sensationes materiales recipiuntur in materia, nec tamen constituunt eam sentientem. Ergo licèt quantitas recepta in composito, recipiatur in anima dante gradum corporeitatis; non tamen reddetur anima extensa.

Hæc

Hæc ſolutio non quietat. Nam anima rationalis nec in ſe, nec ut materię cõmunicata, eſt formaliter corporea: ergo nec in ſe, nec ut communicata corpori, poteſt eſſe extenſa. Quod incapax eſt extenſionis, incapax eſt ſuſcipiendi quantitatem, & formam extendentem. Ergo quantitas non recipitur in anima. Rurſus per te non recipitur in anima, ut ſpiritualis eſt formaliter, quia ſic incapax eſt accidentium materialium: ergo nec recipitur in anima, ut eminenter corporea. Patet conſeq. quia idem eſt formaliſsimè eſſe eminenter corpoream, ac eſſe formaliter ſpiritualem. Tandem anima, adhuc ut communicata corpori, eſt tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; unde eſt modo indiviſibili, & ſpirituali: ergo adhuc ſic eſt incapax extenſionis, & diviſibilitatis quantitatis.

Hæc probant ſententiam noſtrã contra RR. Thomiſtas, nam probant, quòd licèt requiratur anima in materia, ut hæc recipiat quãtitatẽ; at anima non eſt ſuſceptiva, nec partialis cauſa materialis quantitatis; ſed conditio, vel expeditio potentiæ materiæ. Quare ad conſirmationem dicimus, quòd licèt in anima non recipiatur quãtitas, non recipitur in ſola materia, ſed in materia præhabente animam.

23. Ad ſecundam rationem poſitam num. 4. dicũt Thomiſtę quòd agens corporeum ſemper invenit in materia quantitatem, quam tangit. Nam in inſtanti corruptionis adeſt quantitas corrupti; in inſtanti generationis adeſt nova quantitas geniti. Quòd ſi quæras, an in inſtanti generationis nova illa quantitas ſit in materia pro priori ad formam, an pro poſteriori? Reſpondent eſſe pro poſteriori. Quòd ſi inſtes: Quomodo pro illo priori quantitas eſt diſpoſitio materiæ, reddens eam tangibilem ab agẽte, ſi pro eo priori non eſt in materia? Reſpondent doctrina danda de ultima diſpoſitione ad formam, quæ in genere cauſæ materialis præcedit, ſed ſubſequitur in genere cauſæ efficiẽtis. Non implicat in diverſo genere mutua prioritas.

De hoc infrà erit ſermo quæſt. 14. interim obſerva, quòd Thomiſtæ tenentur ponere mutuam cauſalitatem in eodem genere cauſæ, ut probatum eſt num. 19. in 1. confirmatione. Nos autem facilè expedimur ab argumento ſententiæ primæ; nam dicimus, quòd quantitas compoſiti corrupti permanet in novo genito, ut ex D. Thoma oſtenſum eſt, quare ſemper, & pro ſemper manet materia tãgibilis ab agente corporeo. Nec inde ſequitur quantitatem recipi in materia nuda, ut oſtenſum eſt. Per hoc patet ad confirmationem, ibi poſitam. Nam diſpoſitiones prævię determinantes, & ſigillantes materiam, manent in genito juxta noſtram ſententiam: ſed non juxta DD. ſecundæ ſententiæ, qui ſolùm admittunt materiam ſigillatam. Vide dicta num. 20. in fine.

24. Ad argumentum experimentale, poſitum num. 5. reſpondẽt Thomiſtę ſenſum decipi in morte viventis, putantem eadem accidentia remanere in cadavere. Sic etiam ſenſus

sus fallitur dum remum in aqua putat fractum. Et cùm differentiæ individuales accidentium non sint perceptibiles, nisi cognoscantur differentiæ individuales substantiarum; ideò sensus deceptibilis fallitur sæpissimè, confundens individua; & per rationem corrigendus est. Sic sensit D. Thomas; sic B. Ægidius, defendens D. Thom. à corruptore. Sed ut à nobis ostensum est, aliter sensit D. Thom. locis à nobis allegatis, & expressè opusculo 41. ut patet ex num. 15. Adde, dubium D. Thom. decidendum ex sententia P. Augustini, qui locis à nobis laudatis, tenet manere in cadavere eadem accidentia viventis.

Respondemus ex nostris principijs, admittendo manere eadem accidentia; sed negando ea recipi tantùm in materia prima nuda. Subjectum enim eorum accidentium non fuit sola materia, nec totum compositum formaliter, & in recto, sed materia sub ordine ad formam generalem. Hoc totum subjectum manet etiam in mortuo; unde manent eadem accidentia communia; nec transeunt de subjecto in subjectum, cùm non detur aliud, & aliud, sed unum & idem subjectum tam specificè, quàm numericè.

25. Ad argumentum P. Hurtado positum num. 7. dicimus illud non esse contra nos, qui negamus quãtitatem recipi in forma; licèt teneamus recipi in materia habente formã. Sicut licèt accidentia recipiantur in composito subsistente, non recipiuntur in subsistentia. Sed nec contra Thomistas urget. Nam partes materiæ non penetrantur, quia per quãtitatem una ponitur extra aliam. At forma per quantitatem non ponitur extra materiam, sed supponitur intra; ergo non reddit formam, & materiam impenetrabiles inter se.

Ad 2. dic quòd generatio substantialis in nostris principijs non distinguitur à termino, unde est ipsa forma substantialis, & sic recipitur in sola materia. At Thomistæ communiter dicunt generationem esse accidens de prædicamento actionis. Aliunde dicũt recipi in sola materia, non autem in composito. Ergo jam admittunt aliquod accidens in sola materia prima. Negant istam conseq. PP. Complutenses, & ad hoc difficilem adducunt doctrinam, quam nolumus in præsenti expendere.

Ad 3. dicunt Thomistæ, non ideò quãtitatem recipi in forma, quia non potest aliter eam extendere: sed quia nullum accidens potest recipi, nisi in composito. Sic dicunt esse proprietatem materiæ, non quòd in ea sola recipiatur, sed quia composito cõvenit ratione materiæ. Ad ultimum dicunt quantitatem nullum effectum tribuere formæ secundùm se; benè tamen composito, vel formæ, ut unitæ materiæ, qualiter facit compositum.

26. Ad fundamenta secundæ sententiæ, posita num. 9. respondemus, & ad 1. authoritatem Arist. cap. de Substãtia, dic ibi Philosop. non asserere, quòd destructa hac, vel illa substantia, nihil remanet; sed quòd destructis omnibus; & hoc est verissimũ, sed præter intentum; quia hìc agimus

de destructione unius compositi, & generatione alterius. Dato Philosophum loqui de substantia determinata, & singulari, dic esse verum si adæquatè destruatur quoad omnes partes; sed non si maneat aliqua, sicut in morte hominis mà et anima, & i illa accidentia: ergo in ceteris man t materia, & in ea manere possunt accidentia.

Ad aliud testimonium Phi. ex 1. de Gener. illud plenè admittimus, sed cum hac expositione, quòd subjectum alterationis est compositū non adæquatè, & in recto, sed ut dicit materiam prehabentem formam substantialem. Hujus rationem dedimus probantes nostram sententiam. Adde in ea authoritate solùm intendere Arist. quòd alteratio, supponit in materia formam substantialem, secùs generatio: & hoc totum verum est in nostra sententia, ut patet ex dictis. Idem dic ad 3. authoritatem ex 5. Physic.

Ad confirmationem ex D. Thoma, fatemur locū 1. p. esse contra nos, sed fateantur necesse est Thomist. D. Thom. oppositum tenuisse, & nostrā docuisse sententiam locis à nobis allegatis. Si velis S. Doctoré nostram sentētiā retractasse, ostende retractationem; nam in summa Theologiæ 3. p. q. 9. utitur nostra doctrina. Meliùs forsan dices S. Doct. utramque tenuisse; & nobis sufficit ostendere D. Thom. eam probabilem putasse, & aliquando tenuisse.

27. Ad rationem positam n. 12. cum suis confirmationibus, dic illa probari, quòd materia nuda non recipit accidentia, sed materia præhabens formam. & hoc est sententia nostra. At non probat, quòd accidentia recipiantur in ipsa forma, vel in composito adæquatè sumpto. Quod patet instando argumentum. Nam cùm esse accidentis sit *in ſſ*., debet supponere substantiam completam in esse substantiali: ergo existentem, & subsistentem; et tamen accidentia non recipiuntur in subsistētia, & existentia; alioquin si Deus, ut potest, materiam destrueret, existentiam, vel subsistētiam, & aliam substitueret, vel per Divinam suppleret, nea accidentia perirent, & mu arentur; quod est falsissimum: ergo licèt forma sit conditio præsuppositа in ma ria pro r eption accidentium, non tamen est causa materialis eorum; nec hoc probatur ratione Thomist. Eodem modo expende rationem positam num. 13. quæ tantùm probat, quantitatem non recipi in materi nuda, & hoc est etiam assertum nostrum.

Ad illationes rationis Thomist. dic utramque esse illegiti a. Non valet hæc conseq. *Accidentia non recipiuntur in materia nuda: ergo recipiuntur in toto composito.* Nam possunt recipi in materia prehabente formam, ita ut forma sit conditio recipiendi, non au em ratio, vel concausa receptiva. Sed mate ia præhabens, vel dicens formam in obliquo, non est compositum: nam hoc dicit utramque part m in recto: ergo conseq. illa non valet.

Hinc deficit secunda illatio, nempe *Deficit compositum: ergo perit subjectum*

jectum accidentium. Nam, ut valeret, debebat compositum esse subjectum, & tale non est; nec aliter probatur esse, nisi quia subjectum non est materia nuda. Sed hæc probatio nulla est, ut vidimus. Ergo ex his principijs non suadetur resolutio usque ad materiam primam. Vide dicta in explicatione nostræ sententiæ.

QVÆSTIO IX.

Quid sit, quotuplex, & quid requirat causa efficiens ad operandum?

§. I.

Probatur existentia causæ efficientis, traditur ejus diffinitio, ejusque variæ divisiones explicantur.

1. ACTVM est hucusque de causis materiali, & formali: nunc inquirimus de causa efficienti, cujus essentiam latè disputat P. Suarius in Metaphysica disp. 17. per totam. Ceterùm brevitatis causa pluribus aliorum diffinitionibus omissis, eam cum Arist. diffinimus sic: causa efficiens est illa, *à qua oritur effectus. Ly à qua*, est ratio differentialis, per quam efficiens differt à causa materiali, quæ est *ex qua*; & à formali, quæ est *per quam*; & à finali, quę est *propter quam*, ut in superioribus dictum est. Hæc diffinitio convenit Deo, & creaturis, supposito, quòd creaturæ aliquid operentur. Nec ratio causæ efficientis univoca est Deo, & creaturis, quibus nihil est univocum, sed omnia prædicantur analogicè, ut in Logica lib. 5. observatum est de ratione entis communi Deo, & creaturis.

In præsenti eadem est causa analogiæ, tum quia sicut creatura pendet à Deo ut sit ens, ita pendet, ut sit causa efficiens: recipit enim à Deo esse, & operari. Tum quia omnis essentialiter pendet à Deo, *sine quo factum est nihil*, ut dicitur Joann. 1. non tamé sic pendet à causa creata, quia quæ ab illa simul cum Deo facta sunt, potuerunt fieri à solo Deo. Nec Deus utitur causis creatis ex necessitate, sed ex benignitate, eis concedens suam similitudinem non solùm in essendo, sed etiam in operando.

2. Dubium fuit tamen antiquitùs versatum: An scilicet creaturæ aliquid operentur? De quo D. Thom. & B. Ægidius in 2. sent. dist. 1. p. q. 2. art. 6. Vbi varios refert, & impugnat Antiquorum errores. De illis vide etiam P. Suarium in Metaphys. disp. 18. sect. 1. Nos tamen hic aliqualem notitiam proponemus.

Prima sententia plenè negavit creaturas aliquid operari; quare nec ignis calefacit, nec aqua humectat, nec nix infrigidat, sed Deus ad eorum præsentiã hos causat effectus, quia fœdus pepigit hos effectus non facere, nisi ad horum entium præsentiam. Hic error innominato authore refertur à Commentatore 9. Metaphys. cap. 7. &

à D. Thoma 3. contra Gentes cap. 69. & à B. Ægidio loco laudato.

Hæc sententia, quam stultam vocat D. Thomas, impugnatur ex toto cap. 1. Geneſis, ubi non solùm edocemur Deum omnia creasse in principio téporis, sed rebus indidisse virtutes actívas, & pássivas, & rationes seminales, quibus se propagarent. Ibi *Germinet terra herbam virentem &c. Producat terra animam vivéntem &c.* Qua propter ab omnibus Scholasticis probatur & laudatur ea P. Augustini sententia 7. de Civit. Dei cap. 30. de Deo loquentis: *Sic omnia, quæ creavit administrat, ut etiam ipse proprios exercere, & agere motus sinat.*

Est etiam error Philosophicus, & Theologicus. Philosophicus, nam cùm natura sit principium motus, & operationis; si creaturæ nil operantur, nulla creatura habebit naturam. Rursus cùm ad præsentiam caloris sequatur calor in passo, ad præsentiam autem albédinis non sequatur albedo: cur potius unum, quàm aliud sequitur, nisi quia calor est qualitas activa, faciens ad operari; secùs albedo, quæ solùm facit ad esse? Est error Theologicus, quia cùm meritum, & demeritum consistant in operatione libera creata: si creaturæ nil operãtur, nulla in creaturis erit libertas, nullum meritum, nullum peccatum; vel Deus solus erit author meriti, & peccati, quod insanum, & hæreticum est, damnatum in Tridentino contra Lutheranos, & Calvinistas.

3. Secunda sententia concedebat creaturas spirituales operari, sed negabat de corporalibus. Ita Avicembron. in lib. Fontis vitæ, quem B. Ægidius vocat *Fontem mortis*, ob plures errores in eo contentos. Fundamentum hujus erroris fuit, quòd ad agendum requiritur intima præsentia agentis ad passum, sed corporalia non possunt ita intimè præsentari, quia per quantitatem molis impediuntur, ne p n entur cum passo, cui solùm sunt exterius præsentia per contactũ: ergo corporalia no perantur. Hinc P. August. 5. de Civit. Dei cap. 9. expressè dixit, *Corporales causas non esse inter efficientes numerandas.*

Hic error eisdem testimoniis, ac rationibus impugnatur, ac præcedens. Imò cùm per sensus notior nobis sit operatio causarum corporaliũ, quàm spiritualium; inde vehementius convincitur erroris hæc sententia. Nec ullius fundamẽtum est. Nam præsentia agentis ad passum non debet esse per nervatio, sed vel contactus quantitatis molis, vel virtutis, ut patet in igne etiam aliquomodo distante à stupa, sed ei præsente per virtutem caloris diffusam; quo eam ignefacit, & comburit. Nec favet P. Augustinus loco citato, ubi se exponit eas vocans proprias causas efficientes, quæ se mõvent, & dominium habent suarum actionum, ut sunt viventia, & creaturæ spirituales: corporales autem inanimatæ, quæ à generante inoventur, non sunt ita propriè causæ, licèt aliquid efficiant, ut ignis ignem &c. Vnde ibi ait: *Corporales causæ, quæ magis fiunt, quàm faciunt, non sunt inter causas efficientes numerandæ, quoniam hoc pos-*

possunt quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates.

4. Tertia sententia fuit Avicenæ lib. 9. Metaphys. cap. 4. & 5. Vbi docet res corporeas nil efficere, nisi sola accidentia. Res autem spirituales efficere aliquas substantias inferiores. Fundamentum est, quòd res corporeæ agunt medijs accidentibus, v. g. ignis medio calore: sed accidens non potest producere substantiam, cùm sit inferioris perfectionis: ergo res corporeæ solùm agunt accidentia. Jam verò de spiritualibus, probatur, nam ab uno non fit nisi unum: ergo à Deo, qui unus est, non fit nisi Angelus supremus. Ergo à suprema intelligentia fit secunda; à secunda tertia, & sic usque ad infimam creaturam spiritualem, à qua fiunt omnes substantiæ corporeæ.

In hac sententia est duplex error. Primus, quòd Deus non sit Creator omnium, sed solùm supremi Angeli, quod est contra fidem in symbolo docentem Deum esse Creatorem visibilium, & invisibilium. Nec Deus est ita unius, ut non sit infinitè multiplicitèr participabilis à creaturis: ergo non est ita unus, ut ejus omnipotentia non sit multiplex, & omnium potentia. Alter error, quòd intelligentia infima sit causa omnium substantiarum corporalium. Nam cùm spiritualia sint improportionata corporalibus; potiùs corporalis substantia tribuenda est causæ corporali, quàm spirituali. Nec obest, quòd operentur corporalia medijs accidentibus; tum quia etiam spiritualia sic operantur, si verum est nullam substantiam creatam, immediatè operari. Tum quia illa improportio accidentis ad substantiam est in esse entis, sed non in esse virtutis.

5. Plato cum sua schola docuit, causas creatas, sive spirituales, sivè corporales agere, & efficere; at nulla creata causa est factiva formæ substantialis, sed solus Deus; sicut nulla est factiva materiæ primæ, nisi causa prima. Hinc fit quòd causæ secundæ, præsertim corporales, quæ solæ sunt fœcundæ ad sui propagationem, & ad generandum sibi simile, ministrant materiam, disponunt, alterant, & deserviunt ad unionem materiæ cum forma; ceterùm nec materiam nec formam producunt; quare nec efficiunt effectum substantialem, sed sunt instrumenta Dei unicè causantis, & eis sic ministrantibus tribuitur effectus genitus. Hæc sententia loquendo de substantia humana, est de fide. Quia generans non producit materiam, aut animam rationalem, quæ à solo Deo creantur, homine & femina ministrantibus materiam, & disponentibus ad unionem. De reliquis formis substantialibus; quæ non genitæ, sed à Deo datæ, dicuntur à Platonicis, qui ob id vocati sunt *Datores formarum*; benè advertit P. Suarius ubi suprà, nil certum posse assumari pro utraque parte. Videtur tamen probabilius reliquas formas substantiales materiales, effici ab agente creato. Nam videmus ignem non solùm generare ignem, sed calefacere; in hoc secundo alterat, in primo efficit formam substantialem ignis. Terra etiam producit herbam, arbores, frondes, fructus &c. Rursus etiam

istæ

istæ formæ substantiales non fiant per creationem, sed per eductionem, non petunt virtutè infinitam, sed finitam: ergo cõpetẽtem creatis causis. Quare si creaturæ sunt activæ, ut concedit Plato, videtur concedendum eas esse activas formarum substantialium; quid quid sit de modo efficiendi, de quo q. sequenti.

6. His tamẽ non obstantibus, si mentem P. Augustini scire desideres, puto S. Patrem sensisse cum Platone. Id satis expressit sæpissimè. Sed præcipuè lib. 12. de Civit. Dei cap. 24. & cap. 25. ubi ait: *Artem formandi animas, non nisi uni artifici Creatori, & Conditori Deo tribuo, qui mundum ipsum, & Angelos sine ullo mundo, & sine ullis Angelis fecerit.* Loquitur de omni anima vegetativa, sensitiva, & rationali, ut patet ex cap. 24.

Rursus ibi: *Quælibet corporales, vel seminales causæ gignendis rebus adhibeantur, sive operationibus Angelorũ, aut hominum, aut quorumcumque animalium, sive marium, fœminarumque mixtionibus, quælibet etiam desideria, motusque animæ maris valeant aliquid lineamentorum, aut colorum aspergere teneris, mollibusque conceptibus, ipsas omninò naturas, quæ sic, vel sic in suo genere efficiuntur, non facit, nisi summus Deus.* En solus Deus factor effectus substãtialis; patres autem creati mixtione sua & generatione fœtus, ad summum efficiunt propriè aliquid accidentale, ut lineamenta quantitatis, figuram, colorem &c.

Id probat serm. 7. de verbis Dom. cap. 2. ex verbis Matris Machabæorum ad filios. *Filij (inquit) nescio quomodo apparuistis in ventre. Concipere vos potui, parere potui, formare vos non potui. Illum ergo audite, illum mihi proponite*, nempe Deum, qui formam omnium naturas.

7. Accedit ratio. Nam si causa creata faceret propriè effectum substantialem, illum faceret vel media virtute accidentali, vel immediatè per suam substantiam. Primum stare non potest, quia in virtute accidentali, non continetur effectus substantialis, qui perfectior est omni virtute accidentali. Secundum est impossibile, quia solus Deus est agens per suam substãtiam. Præterea: formæ non latitant in materia, ut dicitur contra Anaxagoram; dicitur ab omnibus tamen educi de potentia materiæ. Quomodo ergo educitur de materia id, quod in materia non est? Rursus. Quòd causæ creatæ generent sibi similes effectus, non suadet, quòd homo generans sit causa effectiva formæ rationalis: ergo nec alia generantia sint causæ formarum. Patet conseq. tum quia non est major ratio unius, quàm alterius ex parte causæ. Tum quia quę sufficiunt hominem constituere generantem, & terminum genitum sine efficiẽtia animæ rationalis, ut materiæ, sufficiunt pro reliquis generationibus, & productionibus. Tum tandem, quia licèt alteratio, & effectus accidentalis sit nobis notus; generatio substantialis formæ est nobis ignota; eam videmus sequi post alterationem, sed an à solo Deo, est nobis ignotum.

Nec urgent rationes Suarij in con-

contrarium, positæ num. 5. Non prima, quia ignis calefaciens, & generans ignem, duo efficit, unum propriè nempe calorem in passo; alterum dispositivè, nempe formam ignis inductam; quam tamen solus Deus efficit, tribuitur tamen igni generanti, quoniam materiam altera, & disponit. Eodē modo terra germinat &c. ac matres pariunt fœtus, de quibus suprà audistis Matrem Machabęorum. Nec certum est, formas materiales non petere fieri per creationē. Nam petunt fieri à solo Deo ob rationem datam: ergo per creationem, quia Deus non nisi actione creativa operatur, ut dictum est lib. 1. q. 11. & 14. Sicut quia Deus ad extrà non operatur, nisi ut Trinus; petunt effectus creati pro causa habere Trinitatem. sic licèt formę matereriales pendentes in esse, & conservari à materia, pendeant etiam in fieri, quantum est ex se; non tamen ita pendent ex parte efficientis, qui solus Deus est, independens à materia in causando. Hæc dixerim in gratiam P. Augustini Platonizantis hìc, sicut alibi sępè: ceterùm com uni sententiæ standum existimo de productione formarum substantialium ab agentibus creatis, quoniam non repugnare videtur apertum, & ita accidere apparet Divinæ bonitati magis consentaneum.

8. Supposita existentia causæ efficientis effectus tam substantialis, quàm accidentalis: Dividitur 1. in causam primam, & secundam: illa est Deus, ista est creatura, sed divisio est analoga, ut dictum est.

Rursus dividitur in principalem, & minus principalem. Illa est à qua principaliter oritur effectus, ut occisio ab invasore: consilians autem, præcipiens, ac alliciens ad occisionem, sicut arma ministrans, sunt causę minus principales.

Causa principalis subdividitur in universalem, & particularem; illa est, quæ plures, & diversæ speciei effectus producit; & ob id dicitur etiam causa æquivoca, ut Deus, & sol, qui omnes species sublunares producunt. Particularis, vel univoca est, quæ effectum sibi similem, & ejusdem speciei producit, ut leo leonem, ignis ignem.

9. Celebris est divisio causæ efficientis in principalem, & instrumentalem; illa est, quę virtute propria producit effectum, sibi proportionatum; hæc, quæ virtute alienâ, vel in virtute causæ principalis, & ut mota à principali agēte, producit effectū. De hac divisione uberiùs infrà dum de causa instrumentali rédeat sermo.

Rursus causa efficiens alia est totalis, & adæquata; altera inadęquata, & partialis. Illa est, quę se sola producit effectum: hęc autem, quę in consortio alterius adiuvantis, ut patet in duobus portantibus lapidem, quem quilibet separatim non posset levare.

Tandem dividitur causa efficiens in liberam, necessariam, & contingentem. Libera est, quę operatur cum indifferentia judicij, & dominio suorum actuum, ut patet in Angelis, & nobis liberè sæpiùs operantibus. Necessaria est, quę est ad unum determinata,

nata, & non habet ullam indifferentiam, ut ignis ad combureudum determinatus per formam suę nàturæ. Cõtingens est, quę casualiter operatur, nec habet cum effectu connexionem necessariam; ut quòd, cadente domo, Petrus comprimatur.

10. Observa quòd principium productivum alterius aliquando est *efficiens*; aliquando *principium*; interdum *Author*. Vocatur efficiens, quando agit per operationem transeuntem, & non de sua agentis substantia. Ob id Pater æternus producit Filiũ, sed non efficit illum, quia illũ producit de sua substantia, & per actum immanentem. De utraque actione agemus lib. 3. interim nota, quòd actio immanens est illa quæ manet in ipso agente, à quo egreditur: ut intelligere, velle, & omnes actiones vitales. Transiens est illa, quæ transit in passum, & materiam exteriorem, ut dealbatio, quæ non manet in dealbante, sed in exteriorem parietem transit cum albedine.

Principium dicitur omne, quod est alterius productivum, sive sit de substantia producentis; sive non, sive per actionem transeuntem, sive immanentem. Author supra efficientiam dicit primitatem in causando, vel producendo. Sic D. Hilarius in lib. de Trinitate vocat Patrem æternum Authorem Filij: & ab Ecclesia dicitur

Author omnium
bonorum.

§ II

Explicatur causalitas causæ efficientis, nec non ejus requisita.

11. Cùm causa efficiens in actu primo sit illa, quæ potest producere, causa autem in actu secundo illa, quæ actu producit; ideò quæ requiruntur, ut causa completè possit, sunt requisita ex parte actus primi: quæ verò requiruntur ad actualem productionem, sunt requisita ex parte actus secundi, vel ad actum secundum.

Requisita ad posse, vel ex parte actus primi sunt hæc. Existentia, potentia remota, & proxima, concursus Dei paratus ad cooperandum, & possibilitas effectus. De existentia patet: nam cùm prius sit esse, quàm operari, requiritur existentia causæ ex parte actus primi, ut intelligatur potens efficere. Quomodo autem requirarur, dictum est suprà q. 5. De virtute remota, & proxima, agemus q. sequenti. De concursu Dei disputabimus in fine hujus libri, de quo tomo sequenti. De possibilitate effectus patet, quia nulla causa est potens ad impossibile: ergo ut sit potens producere, debet adesse possibilitas effectus. De hoc uberiùs infrà, dum disputemus de connexione causæ cum effectu.

12. Requisita ex parte actus secundi in efficientibus sunt hæc. Approximatio agentis ad passum: Actualis concursus Dei simultaneus; & fortasis etiam prævius, de quo latissima est controversia; & applicatio causę ad agẽdum. De Approximatione constat, quia

quia nullum ens potest agere indistinctans, ut dicemus lib. 7. idque patet in igne, qui nisi stupę applicetur, non combarit illam.

De concursu simultaneo Dei infrà. Interim, cùm omnis effectus sit ens ab alio, & essentialiter pendens à Deo, prima causa omnis entis; oportet quòd Deus immediatè producat quécumque effectum: ergo cùm creatura illum met producit, efficit illum in consortio Dei concausantis, & cõproducentis, & ob id concursus iste Dei, vocatur simultaneus.

Prævius nc sv at r ille, quo Deus applicat causas secundas ad suas operationes, ut ignem ad comburendum, hominem ad ambulandum &c. Et ideò prævius dicitu , quia præcedit operationem creatu æ, quam ille concursus causat. Qui potest esse vel physicus, vel moralis, vel physico moralis: de quo suo loco pro dignitate.

Applicatio, vel forsan est ipsa approximatio agentis ad passum, ut in causis necessarijs, vel si quid distinctum est, id tantùm ex gun causæ liberæ, & continge es, quæ possunt esse passo approximatæ, n c tam operar, n si a plicentur à seipsis, vel ab exteriori principio. De hoc r quisito agemus q. de concursu prævio.

13 Restat explicare causalitatem causæ efficientis. Hæc est actuale exercitium, quo causa efficiens suum producit effectum. Dum ignis comburit stupam, datur ex parte actiis primi substantia ignis cum sua virtute calefactiva, & combustiva: postèa approximatur stupæ, & sic approximatus producit in stupa calorẽ, & flammam. Vides ignem causam, stupam passum, calorem esse terminum productum: inter hęc mediat actio productiva, nempe calefactio, medians inter causam, & effectum.

Quid sit hæc actio, vel causalitas, dicemus lib. 3. Vbi sermo erit de motu, & _ct one. In er m nota, quòd sex ultima prædicamenta jux a B. Ægid. dicunt rem sub ordine; quare supra tria prima, dicentia rem & entitatem, non addunt, nisi purum ordinem. At lib. 6. Logicæ agentes de Relatione diximus eam esse quidditatẽ distinctã à fundamento, non autem entitativè, vel modaliter: ergo consequenter tenendum est, actionem causæ efficientis non esse enti atem vel modum distinctum à terminato, ed meram quidditatem distinctam.

QVÆSTIO. X.

An substantia creata sit immediatè operativa?

§. I.

Quibusdam notatis explicatur quid sit principium radicale, & proximum.

1. QVærere an substãtia sit immediatè operativa, est quærere, an sit virtus immediata, & principium *quo* immediatũ operationis: quare sub-

rijs titulis, idem tamen significantibus, hæc quæstio disputatur, sed sub expressioribus proposita est hìc. Nõ est quæstiò de principio *quod* operationũ; nam hoc substantia est, cùm apud omnes sic, vel aliter explicantes, axioma sit Philosophicum, quòd *Actiones sunt suppositorum*, vel ut alij vertunt, *subsistentium*. Suppositum est sola substantia, cui soli competit subsistere. Dubium est ergo de principio *quo*, idest de virtute, qua suppositum operatur. Nec quæstio est de effectu accidẽtali, nam non substantia ignis, sed ejus calor calefacit. Ceterùm dum ignis producit, sustantiam alterius igni, quæritur, an virtus productiva illius sit substantia, an qualitas accidentalis, puta calorem?

Apud omnes certum est quòd forma substantialis agentis est principium radicale, & causa remota operationum suppositi, & omnis effectus substantialis illius. Hoc patet, tum quia conceptus naturæ maximè convenit substantijs; conceptus ille consistit in principio radicali omnium operationum, & motuum, ut dictum est hìc q. 1. Tum etiam, quia cùm substantia creata sit operativa, ut dictum est quæstione præcedente, & operativa sit effectivè substantialis; debet saltem concurrere mediatè & radicaliter. Præterea: Sola substantia potest præcontinere effectum substantialem: sed causa præcontinens, est causa principalis effectus: ergo sola substantia est causa principalis alterius substantiæ: ergo ad illam saltem concurrit radicaliter.

2. Ceterùm quid est substantiam esse radicaliter operativam? Hoc variè explicatur, nec ab ómnibus æquè feliciter; imò Monarda statuit nullum esse Doctorem de hoc expressè disputantem. Quidã indicant, idem esse substãtia... esse radicaliter operativam, ac sustentare accidentia, quæ immediatè operantur

At contra. Nam operari radicaliter, est influere, & aliquid de genere causæ efficientis: sed sustentare accidentia, non est influere, nec de genere efficientis, sed de genere causæ materialis: ergo radicaliter influere, non est sustentare accidentia. Præterea. Aqua calida sustentat calorem alienum facientem; & tamen qua illa non influit radicaliter in calefactionem Rursus si intellectus, & volũtas nostra in ordine supernaturali solùm reciperent, & sustentarent habitus infusos Fidei, & Charitatis, nec influerent in actus suos; se haberent merè passivè in ordine supernaturali, ut volunt Lutherani, & Calvinistæ: ergo ut intellectus, & voluntas nostra se habeant activè in ordine ad actus supernaturales, qualiter diffinit Trident. Sess. 6. cap. 4. & 5. non sufficit recipere dona supernaturalia, quæ sunt virtutes in ordine superno, & ea sustentare: ergo nec ut substãtia sit operativa, sufficit sustẽtare in se principia, quibus fit operatio.

3. Alij putant substantiam esse radicaliter operativam, non quòd ipsa influat, sed quia ab ea immediatè dimanat virtus accidẽtalis proximè operativa. Contra hos adest, quòd ac-

accidétia illa non tam dimanãt à ſubſtantia geniti, quàm fiunt à generante. Nam qui dat formam, dat conſequentia ad formam: ergo qui generat ignem, generat & calorem igni congenitũ, qui conſequitur ignis naturam. Rurſus: Pater aliter producit filium, aliter auſat nepotem: ſed ſi ſubſtantia eſt radicaliter operativa, quia ab ea dimanant accidentia, quæ ſunt virtutes immediatæ, ſequitur non aliter ſe habere patrem reſpectu filij, ac reſpectu nepotis: ergo. Probatur min. Subſtantia patris eſt cauſa nepotis, quia filio communicavit virtutem generativam: ſed juxta hos DD. ſubſtantia patris producit filium, quia ab illa derivatur virtus generativa filij: ergo &c. Sic Moneda.

Sed aliter contra. Subſtantia non agit, quando ab ea dimanant accidentia; nam dimanatio non eſt actio, nec quod dimanat fit à principio dimanationis, ſed à generante utrumque, ut dicemus in fine quæſtionis: at ſubſtantia eſt propriè cauſa & principium radicale operationis ſubſtantialis: ergo non eſt radicaliter operativa per hoc præcisè quòd ab illa accidentia operativa proximè. Patet conſeq. quia cauſa vera & propria, debet propriè agere; ergo ſi dimanet non eſt agere &c.

Confirmatur. Sicut à ſubſtantia in hoc ſententia dimanant identi, ſic ab eſſenti qualibet dimanant proprietates: ſed per emanationem proprietatum ab eſſentia, non conſtituitur eſſentia operativa: ergo nec ſubſtantia. Rurſus. Quòd à ſubſtantia dimanent accidentia operativa, non ſufficit ut ſubſtantia ſit cauſa radicalis effectus accidentalis eorum accidentium, ut ignis non eſt radicalis cauſa calefactionis, ſed plenè eſt à calor ignis: ergo nec ſufficit, ut ſit cauſa radicalis effectus ſubſtantialis.

4. Magiſter Moneda poſt hos dicendi modos impugnatos, aſſerit ſubſtantiam eſſe radicaliter operativam, quia influit verè & propriè in effectum, ſed non per virtutem propriam, ſed per virtutem accidentis, ſibi naturaliter connexam. Dicit ita in ſubſtantiam aquæ calidæ non influere in calefactionem, quia calor ille non cõnectitur naturaliter cum qua, & ab illa non dimanat.

Hæc expoſitio eſt verior: diſpliceamen, quia dici influxum radicalem ſubſtantię fieri per virtutem accidentis, realiter diſtinctam à ſubſtantia. Nam quidquid ſit de virtute immediata, de qua poſteà; aliud eſt, quòd inter virtutem ſubſtantię, & effectum, mediet alia virtus accidentis; aliud quòd influxus ſubſtantię fiat per virtutem accidentis. Primum verum eſt, & probatur infrà. Secundum falſum eſt, nam ſubſtantia habet virtutem radicalem, à ſeipſa indiſtinctam, & per eam influit.

5. Dicendum ſentio ſubſtantiam radicaliter operativam, quia influit per virtutem radicalem ſecum identificatam. Explicatur: Nam in ordine ſuperno nõ datur ola virtus proxima operandi, nempe habitus Fidei, Spei, &c. ſed etiam Gratia habitualis, quæ eſt natura in ordine ſuperno; hoc

est principium radicale operationum; & hoc principium est virtus radicalis distincta à virtute immediata: ergo cùm substantia sit natura in ordine naturali, & principium radicale operationum naturalium, habet virtutem radicalem propriam, distinctam à virtute proxima & immediata: unde influit per illam. Rursus omnis influxus oritur ab aliqua virtute: ergo proximus à proximo, & radicalis à radicali. Quare cùm substantia sit radicaliter influxiva, influit sic per virtutem radicalem sibi propriam.

Hæc virtus, quam dicimus identificatam cum substantia vocatur mediata, remota, & radicalis. Est mediata; quia inter illam, & effectum mediat alia virtus. Dicitur remota, quia distat plus ab effectu, quam virtus proxima, sic dicta, quoniam immediatè post am sequitur actio, & effectus. Dicitur radicalis, quia bibit ut à radice, & fonte nascitur operatio, & effectus. Ob id substantia, quæ per suam entitatem est hujusmodi radix operationis; sit etiam per suam entitatem natura physica, ut q. 1. dictum est

§. II.

Proponuntur fundamenta sententiæ negantis.

6. NEgant substantiam esse immediatè operativam alterius substantiæ, omnes Thomistæ cum D. Thoma 1. p. q. 45. art. 8. ad 2. & 3. & q. 77. art. 1. ad 3. & 4. & q. 115. art. 1. ad 5. & 3. p. q. 77. art. 3 & 4. contra Gentes cap. 66. & ubique in scriptis suis. Accedunt omnes Ægidiani cum B. Doct. in 2. Sent. dist. 1. q. 3. art. 1. & Quodlib. 3. q. 1. ad 2. & in Examerone parte 2. cap. 11. & sæpè aliàs. Accedunt Henricus, Hervæus, & omnes antiqui, cum Aristot. 1. de Gener. cap. 7. & lib. de Sensu, & sensibili, & sæpè aliàs: quare antiquitus hæc fuit omnium Peripateticorum sententia, ut benè observat P. Suarius in Metaphys. disp. 18. sect. 2.

Hæc sententia multis rationibus probatur, & N. Argentinas quinque adducit ex doctrina D. Thomæ, quas am st nd't parum efficaces; & pro eis substituit alias ex B. Ægidio, quas dicit efficaciores. Videatur in 1. Sent. ist. 3. q 2. rt. 2 Vbi tutilsi è e hoc, & de d st nct on an mæ suis po en ijs.

7. Prima ratio D. Thomæ est hæc. Si nim esset immediatum principium operandi, habens animam, sempe in actu secundo operaretur: sed habens animam, & formam substantialem, non s mper operatur in act secundo: ergo quia forma substantialis non est immediatum principium operandi. Major patet, nam quia anima est immed atum principium essendi, & existendi, habens animam & formam substantial, sempe est, & existit in actu secundo: ergo si anima &c.

Secunda ratio. Sicut se habet essentia ad esse, sic se hab t poten ia d agere: ergo permutatim, sic se habet essentia ad potetiã, sicut se habet esse ad agere. Sed in null creatura esse est

idem

idem quod agere : ergo nec potentia erit idem quod essentia, vel è converso, esse tiendi non erit idem ac potentia.

Tertia ratio. Diversitas actuum arguit diversitatem potentiarum: nam quia videmus ignem calefacere, & tendere sursum, quæ sunt actus distincti, ideò in eo agnoscimus potentias, & formas distinctas, nempe caliditatem, & levitatem. Sed in anima intelligere, & velle differunt realiter; & in quacũque substantia esse, & operari differunt realiter : ergo in anima realiter differunt intellectus, & voluntas; & in quacumque substantia differũt potẽtia essendi, & potentia operandi. Prima est substantia: ergo secunda est realiter distincta à substantia.

Quarta ratio. Immediatum principium producendi debet esse proportionatum effectui producto. Patet hoc, quia in tali principio producens assimilatur producto : sed intelligere est accidens; & omne operari creatum est actio accidentalis: ergo intellectus, & quodcumque principium immediatum operandi, est accidens.

Quinta ratio. Actus, & potentia sunt in eodem genere : sed actus intelligendi, & volendi, item, quæcumque actiones creatæ sunt accidens : ergo potẽtiæ immediatæ horum actuum, erunt accidens. Quare substantia creata nullius operationis, aut effectus erit immediatum principium.

Confirmatur à Durando. Id quod de se est indifferens ad plures actus, ut aliquem determinatè producat, debet per aliquid superadditum id terminari : sed essentia animæ est indifferens ad actus intelligendi, volendi, & memorandi; rursus quæcumque forma est indifferens a plures actus efficiendos: ergo determinatur per aliquid distinctum, & superadditum. Hoc vocamus potentias, qualitates, & accidens immediatè operativum.

8. Confirmatur 2. à RR. Thomistis. Si substantia esset immediatè operativa, specificaretur ab operatione; at hoc implicat: ergo & quòd sit immediatè operativa. Major patet, quia quæcumque potentia specificatur ab actu, primariò inspecto, actus autem quem primariò respicit potentia immediatè operativa, est operatio. Minor etiam est certa. Quia implicat substantiam specificari ad aliquo accidenti, tunc nimperfectius specificaretur ab imperfectiori, & diceret ordinem ad aliquid imperfectius; quod sanè implicatorium est: ergo cùm omnis operatio sit accidens, implicat substantiam specificari ab operatione. Hæc ratio coincidit cum quinta D. Thom.

Moneda probat, & confirmat sic. Implicat substantiam esse ens in alio: sed si substantia esset immediatè operativa, esset ens in alio: ergo. Probatur minor. Nam potẽtia immediatè operativa, est accidens de genere qualitatis; hoc autem est ens in alio. Rursus actio, quæ in actu secundo producit substantiam, est accidens, & ens in alio : ergo principium immediatum, à quo oritur, est ens in alio. Patet consequẽt: quia actio debet proportionari principio, à quo egreditur.

9. Noster Argentinas loco laudato, propositis quinque rationibus

bus D. Thomæ, dicit: *Sed licèt conclusio sit verissima; ista tamen media multipliciter possunt improbari.* Ad primam rationē, dicit maj. esse falsam, & contra nos. Cōtra nos: Nam licèt intellectus sit immediatū principiū intelligendi, non sequitur, quòd habens intellectum, semper & in actu secundo intelligat: ergo licèt forma sit immediatum principiū operandi, non sequitur quòd habens illam, semper & in actu secundo operetur. Est falsa major, tum quia plenè instatur. Tum quia ex probatione evincitur sensus falsus. Forma enim est unicum principium essendi, nec est principium essendi, & non essendi. At forma est principium operandi, & non operandi, quia natura est principium motus, & quietis, quare habens formam, nec semper operatur, nec semper quiescit. Tum etiam, quia cùm actus secundus de linea operandi, non solùm pendeat à forma, sed à multis requisitis, ut vidimus q. præcedenti; ideò stante forma, non stat præcisè operatio in actu secundo: quare major non tenet, nec ratio prima efficax videtur.

Ad secundam rationem dicit consequentiam non valere; quia cōmutata proportio valet solùm in quātitate, & quantitativis; secùs in substantia, & qualitate. Nec inde sine fallacia figuræ dictionis, potest illa deduci consequentia. Vnde quę sola infertur legitimè, est hæc: Ergo sicut esse non stat sine essentia; sic nec agere stat sine potentia. Hoc totum est verum, sed præter intentum. Clariùs instantur secunda ratio, mutando minorem subsumptam sic. Sed in omni accidente esse est realiter distinctum ab agere: ergo in nullo accidente erit idem essentia, & potentia operandi. Quam consequentiam vides esse contra nos.

Ad tertiam rationem dicit, eam esse ceteris efficatiorem, sed non concludere. Quia sicut Sol, & quælibet causa æquivoca, eadem manens producit effectus, specie, & genere differentes, juxta diversam dispositionem subjecti. Ita anima potest dici causa æquivoca operationum intelligendi & volendi, quę licèt sit unica, determinatur tamē diversis objectis, putà à bono, & vero. Quare diversę operationes non arguunt semper diversas potentias, sed vel unicam, affectam diversis & varijs objectis. Hęc ille.

Cui addimus. Potentias distingui distinctione actuum, quando actus sunt adæquatè diversi, nec inter se subordinati. Hoc patet in ipso accidente, quod juxta D. Thom. habet potentiam essendi, & operandi, vel est potentia ad utrumque: & tamen illæ potentiæ in accidente non sunt distinctæ, licèt in eo distinguantur realiter esse, & operatio: ergo nisi probetur, quòd isti actus sunt subordinati in accidente, sed non in substantia, nihil probatur in tertia ratione, quæ instatur, ut diximus in accidente, nec reddetur disparitas, nisi probetur quod dictum est.

10. Ad quartam rationem, dicit, quòd in omni causa effectus debet proportionari principio; ceterùm similitudo effectus cum principio non petitur, nisi in causis univocis substantiarum, ut docet Commentator lib. 2.

Cœ-

Cœli, & Mundi comm. 24. Quare licèt operatio sit accidés, principiũ ejus potest esse substantia, Ceterùm demus plenè quod intendis; argumentum est contra doctrinam communem. Nam effectus productus est substantia; & actio generativa substantiæ, substantia est; maximè si teneas cum D. Thom. & Complutensibus generationem subjectari in sola materia, in qua de mente eorumdem, nullum accidens recipitur: sed juxta quartam rationem effectus debet esse similis principio immediato: ergo cùm effectus sit substantialis, ejus principium immediatum erit substantia: unde sequitur contrariũ, quod intendis.

Ad quintam rationem dicit eam esse contra D. Thom. apud quem potentia est quidam actus essentiæ: ergo si potentia & actus sunt in eodem genere, potentia erit substantia, quia actuat essentiam, quæ substantia est. Rursus licèt potentia, qua homo potest objectivè fieri homo, sit idem cum actu esse hominem, & in eodem genere: secùs potentia activa & factiva. Addo ex eodem D. Thoma in 1. Sent. dist. 7. q. 1. art. 2. dicente: *Non oportet quòd in eodem genere ponantur potentia, & actus, præcipuè de potentijs activis* At hic est sermo de potentia activa substantiæ: ergo principium illud D. Thomę nil probat ex eodem S. D. Rursus dato, quòd accidens sit immediatum principium, hoc est de genere qualitatis, actio autem de prædicamento actionis: ergo nec tunc ponuntur in eodem genere. Vide Suarium disp. 17. Metaphys. ostendentem quo sensu illud principium verum est, quod de sola potentia passiva materiæ, & forma substantiali actuante, verum est, & ita adductum à Philos.

Ad Confirmationem Durandi dicit Argentinas quòd indifferens ad plures actus, non est necessarium determinari subjectivè per aliquid superadditum, sed sufficit determinari objectivè, ut ad certiam rationem dictum est. Adde etiam, quòd cùm qualitas operativa, sit per se potentia ad esse, & ad agere, teneris ponere aliquid distinctum à qualitate, quo determinetur ad actũ agendi. Hoc negas: ergo nec ratio tua concludit intentum de substantia, & anima ad plures actus indifferente.

11. Ad secundam confirmationem, positam num. 8. quæ continet præcipuam rationem Thomistarũ, imò unicam, quam prolixè adducit Magister Palanco, si sincerè loquendum est, dicendum est nullam majoribus laborare instantijs, & difficultatibus. Nam vel loqueris de specificatione intrinseca, vel de extrinseca. Si de intrinseca. Ergo falsum assumis, & contra D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. ad 1. ubi Cajetanus §. *Ad evidentiam*, ostendens ex S. Doctore quòd potentia non specificatur intrinsecè ab actu, nec ab objecto, sed solùm ab ordine, quem dicit ad objectum. Et ratione patet. Nam specificativum est distinctivum: ergo specificativum intrinsecum est distinctivum intrinsecum. Sed distinctivum intrinsecum est intrinsecum constitutivum; & hoc non distinguitur à constituto. Ergo cùm potentia realiter differat à suo actu & objecto, nequit

ab

ab eis intrinsecè specificari. Quare si ratio facta procedit de specificativo intrinseco, falsum assumit, & sic nil probat.

Ergo restat loquaris de extrinseco specificativo, inde probans substantiam non esse immediatè operativam, quia non potest specificari extrinsecè ab accidente imperfectiori, nec ad imperfectius dicere ordinem. Hæc sanè probatio Thomist. instatur in eorũ principijs tenentibus objectum Logice esse ens rationis, ab eo que, ut a objecto primario, extrinsecè specificari. En Logica ens reale, en etiam ens rationis nedum imperfectius omni ente reali, verùm eam imperfectionem habens solùm vi cognitionis fingentis. Et tamen per vos non implicat ens reale specificari extrinsecè ab imperfectiori, ad ipsum que dicere ordinem mensurati ad mensuram: ergo nec substantia perfectior, impotens erit specificari ab accidenti imperfectiori.

12. Respondet M. Palanco q. 11. num. 20. quòd ens rationis in se absolutè, est imperfectius Logica: at non ens rationis, ut actu videndum, & cognoscendum; nam cùm actu cognoscere sit perfectius quàm posse cognoscere: Logica quæ est habitus ad posse cognoscere, non est ita perfecta ac ens rationis actu cognoscendum, nam in hoc importatur actu cognoscere. Idem dicit de colore, qui non in se, sed ut actu videndus, est objectum potentiæ visivæ, & sic perfectior illa. Hæc ille.

Sed cùm vidisset se novam calcare viam pro objectis potentiarum, & habituum, quæ sunt non objecta actu visa, vel videnda, alioquin actus esset objectum sui ipsius; sed ob-objecta, ut visibilia, vel attingibilia: ideò aliam instantiæ dat solutionem num. 21. dicens, quòd ens rationis in esse entitativo est imperfectius Logica, ceterùm non in esse habitudinis, in esse objecti, & extrinsecæ mensuræ. Nam cùm objectum sit mensura extrinseca habitus, & potentiæ; & mensura sit perfectior mensurato; ideò ens rationis esse imperfectius, potest in esse objecti specificare extrinsecè Logicam, quia in esse objecti perfectius est.

Benè: sed dic idem de substantia, quæ licèt in esse entis sit perfectior accidẽte, & sua operatione; ab ea tamẽ mensurata, erit imperfectiõr sua mensura: ergo poterit ab operatione in esse mensuræ specificari. Quo ruit ratio Thomistica. Dices: implicat, quòd substantia mensuretur ab operatione, quæ est accidens. Contra. Nam per te non implicat habitum realem mensurari ab ente rationis: ergo nec debet implicare substantia mensurata ab accidente. Nam non magis, sed minus distat accidens à substãtia, cum qua convenit in ration_ entis realis, quàm ens rationis cum ente reali, cum quo solùm convenit æquivocè in voce entis.

Dices. Est contra conceptum substantiæ, quæ est ens ad se, & in se, specificari, & mensurari ab aliquo extra suum genus. Ob id dicitur, quòd *substantia est, ut sit: accidens est, ut operetur.* Quare licèt non sit contra essentiam accidentis recipere operationem ut finem sui esse, & sic ab ea specificari: at

hoc

hoc est contra essentiam substantiæ, cujus finis non est operatio, sed existentia & esse.

Benè: Ergo finis substantiæ non est operatio, sed existentia, ut patet ex illo axiomate allegato: Ergo quantumcumque substantia sit immediatè operativa, non debet extrinsecè specificari ab operatione; & sic nulla est ratio tua. Probat. conseq. ultima ex D. Thom. in Disput. p. 2. q. 15. de ratione superiori, & inferiori, art. 2. ubi agit de specificativo potentiarum, & dicit potentias specificari ab actibus, quando respiciunt, ut fines: sed quantumcumque substantia sit operativa, numquam respicit operationem, ut finem, quia semper *substanti st sit*: ergo numquam specificatur ab operatione, licèt ponatur immediatè operativa.

Sed demus ab operatione specificari: negamus quòd specificaretur ab aliquo accidente. Nam substantia solùm ponitur operativa effectus substantialis: ergo solùm ponitur activa generationis substantialis. Sed generatio substantialis non est accidens juxta Thomistas: ergo non specificaretur ab aliquo accidente. Probatur min. sumpta. Generatio substantialis juxta D. Thom. & PP. Complutenses recipitur in sola materia prima: sed materia prima juxta D. Thomam & dictos PP. non est subjectum accidentium, ut suprà vidimus: ergo generatio substantialis non est accidens.

Vide PP. Complutenses, & alios Thomistas in lib. de Gener. docentes ex D. Thoma quòd subjectum generationis est sola materia prima, quæ juxta D. Thomam non est subjectum alterationis, nec ullius accidentis. Et hoc docent, sive generatio sit actio distincta ab alteratione, sive indistincta, & veluti terminus alterationis: Ergo sicut materia prima respicit generationem, nec respicit aliquod accidens, sic substantia specificatur à generatione; nec specificabitur ab aliquo accidente.

14. Ex his patet ad confirmationem Mag. Monedę, positam eodem num. 8. cujus min. est falsa. Prima ejus probatio ostendet, quam potentia, quæ est secunda species qualitatis, est illa, quæ à natura data est propter operationē, quare est illa, quæ operationem respicit ut finem. Substantia autem, si esset immediatè operativa, non respiceret operationem ut finem; sed ut effectum, ut dictum est. Rursus potentia, quæ est qualitas, est potentia ad operationem accidentalem. At potentia substantiæ non respicit, nisi generationem substantialem, & hæc non est accidens, sed substantia, ut vidimus ex mente Thomistarum: & certiùs id patet in nostris principijs, nondistinguentibus actionem à terminato entitativè, vel modaliter, sed solùm quidditativè, ut lib. 3. dicemus.

Ad secundam probationem dico quòd antecedens est falsum. Dato tamen quòd operatio factiva substantiæ esset accidens; ejus tamen principium non esset accidens. Nec proportio principij, & actionis id exigit, ut dictum est num. 10.

15. Viso cum nost. Argentina,

rationes omnes sententiæ in gantis, sigillatim instari; ecce ex principijs Thomistarum instantia generalis pro omnibus illorum probationibus. Docent ipsi cum D. Thom. quòd Angelus cognoscens suam substantiam, non indiget specie impressa distincta, sed substantia ipsa est species impressa sui ad sui cognitionem. Docent etiam quòd species impressa est virtus objecti, quę effectivè concurrit ad intellectionem, & est concausa efficiens cum intellectu intellectionem juxta illud P. August. *Ab objecto & potentia paritur notitia.*

En substantia Angeli in ordine intentionali est immediatè activa & effectiva intellectionis: & hoc quin specificetur ab operatione; vel si specificatur, hoc non incōvenit substantiæ. Rursus id habet, quin potētia, & actus sint eodē genere; vel si sunt, stat sine incōvenienti quòd substantia Angeli sit in eodem genere cum intellectione accidentali, & sic de alijs rationibus. Ergo in genere physico erit substātia immediatè activa alterius substātiæ sine ullo incōvenienti; nec oppositum probat ulla ex rationibus, ad hoc adductis.

16. De hac instātia agunt omnes Thomistæ, sed non uno ore ab illa se expediunt. Palanco ubi suprà, & Magist. Moneda, negant quòd objectum, vel species impressa cōcurrant effectivè ad intellectionem, tenentes concurrere solùm in genere causæ formalis, actuando, & fœcundando intellectum, Et d meis objicitur hanc esse sententiam plurium Thomistarum. Respondet Palāco num. 35. quòd quando aliqua opinio reputatur falsa ob aliquod argumentum, nulla est obligatio solvendi tale argumentum juxta eam opinionem. Quia est de mente horum AA. instantiam esse adeò efficacem, ut propter eam reputent falsā opinionem Thomistic. de concursu effectivo objecti ad intellectionem.

Ceterùm eis ponimus ex resa verba D. Thom. 1. p. q. 56. art 1. ubi quærit, an Angelus cognoscat seipsum? Et in corpore respondens affirmativè, explicat qualiter objectum concurrit ad intellectionem, tum ad reliquos actus immanētes, per hęc verba: *Sed in actione, quæ manet in agente, oportet ad hoc quòd procedat actio, quòd objectum uniatur agenti. Et ita se habet objectū unitum potentiæ ad hujusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus. Sicut enim calor est principiū formale calefactionis in igne; ita species rei visæ est principiū formale visionis in oculo.* En teneris negare hanc expressam D. Thomæ doctrinam, vel fateri quòd objectum cognitionis concurrat ad intellectionem, ut calor ad calefactionem, & ut forma substantialis ad quamcumque actionem in alijs agentibus. Sed negari non potest quòd forma est principium effectivū actionis in omni agente, imò magis principium, quàm materia; calor ité est magis effectivus calefactionis, quàm ignis substantia: ergo negare non poteris (nisi cōtra D. Thom.) quòd objectum intellectus est magis principium effectivum intellectionis, quàm intellectus.

17. Ob hæc alij respondent ne-

negando conſequentiam: concedunt enim ob inſtantiã factam, quòd ſubſtantia in ordine intẽtionali eſt immediatè operativa: ceterùm id negãt in ordine phyſico, de quo eſt nũc diſputatio. Hæc ſolutio non tenet; quia intellectio licèt ſit de ordine intẽtionali, ſe tamen accidens; & ſubſtantia ſpecificatur ab intellectione, verè ſpecificatur ab aliquo accidenti: ergo reſtat his DD. dare raitonem, cur ſubſtantia in ordine intentionali ſpecificatur ab accidenti ſine implicatione; ſecùs in ordine phyſico; vel cur in ordine intentionali eſt immediatè activa, quin ſpecificetur ab operatione; ſecùs in ordine phyſico. Sed horum ratio nec datur, nec facilè poteſt aſſignari.

Alij ſe evader tentant, dicentes, quòd ſubſtantia Angeli ſub cõceptu ſpeciei impreſſę eſt immediatè activa intellectionis, ſed non ſub conceptu ſubſtantiæ. Ratio utriuſque eſt, quòd conceptus ſubſtantiæ repugnat pro expreſſo muneri principij immediati operationis: at conceptus ſpeciei impreſſæ, cùm pręſcindat à ſubſtantia, & accidente, huic muneri non repugnat expreſsè.

Hæc ſolutio non ſubſiſtit; nam Scotiſtæ, & alij ejuſdem contrariæ opinionis, poterunt etiam in ſubſtãtia diſtinguer duos conceptus, unum ſubſtantiæ, & alterum põtiæ operativæ; & dicere quòd ſub primo repugnat ſubſtãtiæ eſſe principium immediatum, ſed non ſub ſecundo. Accedit etiam eadem ratio ſolutionis.

Nam ſicut diſtinguis in Angelo duos illos cõceptus & dicis conceptũ ſpeciei prælcindere à ſubſtãtia, & accidente: ita pręſcindit ab utroque cõceptus potentiæ operativæ. Patet hoc. Nam ideò cõceptus ſpeciei impreſſę prælcindit ab utroque, quia aliquando eſt ſubſtãtia, ut in Deo; aliquando accidens, ut in nobis. At etiam potẽtia in Deo eſt ſubſtantia, & in nobis accidens. Rurſus ſi cõceptus potentiæ eſſet cõceptus accidentis, repugnaret Deo potẽtia activa, quia illi repugnat habere accidentia: ergo &c.

18. Noſter Gavardi, qui ſæpè propugnat rationes Thomiſt. hanc etiam inſtantiã propulſat tom. 3. ſuæ Theologię agẽs de Cognitione Angelorum. Ibi docet quòd ſubſtãtia Angeli non concurrit immediatè ad intellectionẽ, ſed medio lumine. Probatur nã. Quia concurrit ut objectum manifeſtatum proprio intellectui: at juxta Apoſtolũ *Omne, quòd manifeſtatur, lumen eſt*: ergo non cõcurrit immediatè ſubſtãtia Angeli, ſed media virtute luminis, quæ eſt virtus accidẽtalis. Quare adhuc in ordine intentionali, ſubſtantia non eſt immediatè activa.

Hæc ſolutio, primo aſpectu vera, non ſubſiſtit. Nam vel hoc lumen quo intellectui manifeſtatur propria Angeli ſubſtãtia, eſt diſtinctum à ſubſtantia ipſa, vel non. Si eſt indiſtinctum? Ergo per ſeipſam, & ſine medio diſtincto cõcurrit immediatè ſubſtantia ad intellectionem. Si eſt diſtinctum? Ergo jam ſubſtantia Angeli non unitur per ſeipſam proprio intellectui, ſed medio aliquo diſtincto; quod, & nil liq habent etiam objecta

jecta materialia.

Præterea: falsum est substantiâ Angeli uniri proprio intellectui, & ei manifestari medio aliquo distincto. De unione patet, quia substantia illa radicat intellectum, & voluntatẽ Angeli; radix enim est intimè præsens, & unita per seipsam radicato. De manifestatione constat: nam spiritualitas est lux intellectualis; & ob id species materiales irradiantur ab intellectu agente, quia spiritualizantur, dum denudantur à conditionibus materialibus: at substantia Angeli est per se ipsam spiritualis, nec indiget irradi tione luminis intellectualis, quia lumen ipsum intellectus irradiatur à substantia ipsa Angelica: ergo non manifestatur proprio intellectui medio lumine distincto.

Sed demus sic uniri, & manifestari medio lumine distincto: at non agit in intellectionem medio illo distincto lumine. Nam lumen sive glorię pro visione beata, sive Fidei pro actu credendi, sive naturale pro actibus naturalibus, est virtus potentiæ intellectivæ, non est virtus objecti, ut ipse Gavardi cum Thomistis docet contra P. Vazquium: ergo per illud lumen, quod admittimus distinctum à substantia Angeli, non cõcurrit substantia ad intellectionem per modum objecti, sed per virtutem distinctam à lumine. Hæc non est alia, nisi ipsum objectum, & substantia Angelica; ergo &c.

§. III.

Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis.

19. TEnent substantiam esse immediatè operativam alterius substantię omnes Scotistæ, qui cum Subtili Doctore putant nullum accidens posse esse immediatum principium effectus substantialis. Ante Scotum eandem sententiam docuit Henricus Gandavensis, & plures Nominales, quibus accedunt quàm plures DD. Societatis, qui vel sentiunt cum Scoto, vel cum P. Suario, de cujus mente §. sequenti.

Probatur hæc sententia 1. ex P. Augustin. qui ad illa verba Gen. 1. *Germinet terra herbam virentem*, dicit sic lib. 2. de Genes. ad litter. *Produxit terra non solùm virtute, sed etiam ex substantia sua, herbam.* Vbi vides quòd substãtia terræ fuit herbę productiva.

Rursus 9. de Trinit. cap. 4. dicit: *Mens, & spiritus, non relativè dicuntur, sed essentiam demonstrant.* Et ibidem ait: *Hæc tria, videlicet mentem, notitiam, & amorem, esse in anima, non tanquam in subjecto, ut color, aut figura in corpore, aut ulla alia quantitas, aut qualitas.* Et lib. 10. cap. 12. dicit: *Memoriam, intellegentiam, & voluntatẽ, esse unam vitam & unã essentiam.* Quibus verbis docet, quòd potentiæ non distinguũtur ab anima, nec in anima sunt ut in subjecto: ergo sentit substantiam animę esse immediatè activam intellectionis, volitionis &c. Idẽ habetur in lib. de Spiritu, & ani-

ma

ma cap. 13. & in D. Bern. lib. Meditationum cap. 1, dicente: *Tria quædam intueor in anima, memoriam, intelligentiam, & voluntatem; & hæc ria est ipsam animam.* Ergo juxta S. Doct. animæ substanti est immediatè operativa, cùm non distinguatu à suis potentijs, quibus op u.

20. Probatur à ratione. Implicat quòd accidens sit mmed atè operativum substantiæ: ergo vel negandu est substanti m c uiari b effici te cr ato; vel ten ndum s bstantiam esse immediatè operativam. Probatur anteced. Implicat quòd imperfectius sit causa perfectioris: sed accidens est imperfectius substantia: ergo &c. Probatur maj. effectus non potest produci à causa; in qua non præcontinetur; nam nemo dat quod non habet, nec præcontinet: sed eff ctus perfectior non præcontinetur in causa imperfectiori; ergo.

Communis Thomist. solutio dicit majorem esse veram de causa pr ncipali, non verò de causa instrumentali, quæ non operatur in virtute propria, nec assimilat sibi effectum, sed causæ principali in cujus virtute operatur; unde non st eccsse, quòd virtute propria cõtineat effectum, nec quòd sit m joris, vel æqu l's perfectionis cum effectu; sed sat est, si contineat effectum in virtute causæ principalis, cujus est instrumentum.

21. Contra hanc solutionem sunt plures instantię, & prima sic. Accidens operari in virtute substantiæ, vel est operari per virtutem participatam à substantia; vel est esse virtutem substantiæ: sed tr mq e epugnat: ergo & solutio datã. Probatur m n. quoad 1. partem. Nam illa virtus, quam acci ens participat à substantia, vel e accidens, vel substantiá. Si s bstantia? Ergo jam substantiá erit immediatè operativa. S c cid ns? E go s t c idens e imroportionatum ad effectum substantialem, antequam partici aret illam virtu m; sic e iam manet post participationem illius.

Quoad 2. partem probatur illa min. Quòd accidens per eipsum sit virtus substantiæ, non facit quòd accidens adæquet p rfectionem effectus substantialis, & illum præcontineat; erg nec sufficit, ut l'um producat. Secundo id probat Arr aga. Dicere quòd accidens est, & operatur in virtute substantiæ, est denominatio extrinseca accidentis: sola ergo substantia continet perfectionem effectus substantialis. Quid ergo prodest accidenti famulanti, quòd substantia contineat effectum, si accidens non continet illum? Parum prodest Regem esse egregium ducem, ut ejus milites nomine & virtute illius decertantes, hostes, superent. Similiter quid pauperẽ juvat, ut sui Domini nom e magnificos sumptus faciat, si Dominus ei numos non donat, nec mutuos præbet!

Tertiò probatur idem: Ideò calor dicitur virtus ignis, quia ignis non producit alium, nisi medio calore; sed ignis etiam non producit alium calorem, nisi medio calore; ergo sicut calor dicitur virtus ignis, ad

producendum alium ignem, sic erit virtus ignis ad producendum alium calorem. Hoc ultimum est falsum; ergo & primum.

Quarto. Nostra solutio implicat duo contraria. Nam dicimus quòd accidens ex natura sua & ab intrinseco est virtus substantiæ; dicimus etiam quòd accidés non est causa principalis, sed instrumentalis substantiæ: sed hęc duo implicãt: ergo & solutio data. Probatur min. Causa, quæ ex natura sua & ab intrinseco causat effectum, non est causa instrumentalis, sed principalis illius: ergo implicat, quòd accidens sit causa instrumentalis semel quòd ex natura sua &c.

Tandem. Ideò qualitas dicitur virtus substantiæ; quia à substantia dimanat: sed hæc ratio non tenet: ergo &c. Probatur min. Quantitas etiam dimanat à substantia; & tamen virtus substantiæ non est: ergo &c.

22. Secundum fundamentum hujus sententię est hoc. Per nos accidens est immediatè operativum: ergo & substantia. Probatur conseq. Nam perfectio, quæ conceditur accidenti, non est neganda substantiæ perfectioni; sed esse principium immediatum operandi, est perfectio, ut patet in Deo, qui per se ipsum immediatè operatur: ergo.

Confirmatur. Substantia per seipsam immediatè exercet causalitates causæ materialis, formalis, & finalis; ergo & per se ipsam exercet causalitatem causæ efficientis. Sed hoc est esse immediatè operativam: ergo talis substantia est &c.

Confirmatur 2. Calor ut duo habet majorem proportionem cum calore ut quatuor, quàm calor ut octo cum substantia ignis: sed calor ut duo, nequit immediatè producere calorem ut quatuor: ergo nec calor ut octo potest immediatè producere substantiam ignis.

Confirmatur 3. Quando agens operatur medio instrumento separato, v. g. quando ignis separatus aliquantulum à ligno, immittit illi calorem, quo ab igne producitur novus ignis, lignum destruens. In isto casu calor manens in igne, non producit ignem novum in ligno, quia nemo operatur in distans: Insuper non producit novum ignem calor ille in ligno receptus, & ab igne causante separatus. Nam calor non agit nisi in concreto, idest in ligno: sed lignum nequit seipsum corrumpere, ergo calor ille in ligno nequit esse causa novi ignis: Ergo restat novum ignem causari ab ignis substantia.

23. Tertium fundamentum. Si substantia non esset immediatè operativa, esset causa per accidens alterius substantiæ: sed hoc dici non potest; cùm substantia fiat per se à causa substantiali: ergo nec dici potest non esse immediatè operativam. Major patet, nam operaretur medio accidente superaddito, & hoc est operari per accidens.

Confirmatur 1. Illa est causa per accidens, sine qua potest dari, & existere effectus: sed in contraria sententia potest dari effectus sine substan-

ſtantia cauſante; nam icunt, quòd. Petrus poteſt generari jam mortuo ſuo genitore, & ſic jam non exiſtente ſubſtantia patris, ſed exiſtente ſolùm virtute accidentali genitoris: ergo.

Confirmatur 2. Influxus mediatus in effectum non ſufficit ad rationem cauſæ principalis: ſed nos ſolùm concedimus ſubſtantiæ influxum mediatum in effectum ſubſtantialem: ergo tollimus à ſubſtãtia rationẽ cauſæ principalis alterius ſubſtantiæ. Probatur maj. 1. Nam ideò probant Theologi contra Durandum, Deum concurrere immediatè ad omnes effectus creatos per concurſum ſimultaneum, quia ſi ſolùm concurreret mediante creatura, ut inſtrumento, non eſſet cauſa principalis effectus creati; ergo &c. Secundò. Nam materia eſt cauſa mediata extenſionis formæ: & tamen non eſt cauſa principalis illius, quia non cauſat illam immediatè: ergo idem.

24. Quartum fundamentum. Subſtantia Angeli gerit munus ſpeciei impreſſæ ad propriam intellectionem ſui: ſed ſpecies eſt immediatum principium intellectionis: ergo jam ſubſtantia eſt immediatè operativa.

Confirmatur 1. Subſtantia eſt immediatum principium dimanationis ſuarum proprietatum, & accidentium, ut frigiditas dimanat à ſubſtantia aquæ, calor à ſubſtantia ignis: ſed quod dimanat, verè fit, & per veram actionem: ergo quod eſt verum, & immediatum principium dimanationis, ut eſt ſubſtantia, eſt immediatè operativum.

Cõfirmatur 2. Quando aqua calida recuperat priſtinam frigiditatem, tunc de novo producitur in aqua nova frigiditas, diſtincta à frigiditate deſtructa per calorem: ſed hujus frigiditatis nõ eſt aſsignabilis alia cauſa, niſi ſubſtantia aquæ: ergo illa ſubſtantia eſt immediatè operativa. Probatur min. Nam agens, quod primò produxit aquam, jam non exiſtit, quando aqua recuperat frigiditatem deſtructam per calorem: ſed ab agente non exiſtente, nequit effectus produci: ergo.

25. Quintum fundamentum. Generatio ſubſtantialis eſt actio, quæ dicitur propria ſubſtantiæ, eique tribuitur ſpecialiter, quod non audeat in alijs actionibus: ergo ſaltem ad generationem ſubſtantialem concurrit immediatè ſubſtantia. Patet conſq. quia ex oppoſito, non apparet ratio, cur potiùs una, quàm altera actio tribuatur ſubſtantiæ.

Confirmatur 1. Generatio eſt *Origo viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ per principium conjunctum.* Sed actio vitalis, qualis eſt generatio viventium, debet eſſe à cauſa principali, ut patet in viſione beata, quæ oritur ab intellectu potiùs quàm à lumine: ergo generatio debet eſſe immediatè à ſubſtantia.

Vrgetur. Nequit generatio eſſe in ſimilitudinem naturæ, niſi effectus aſsimiletur in natura cauſę proximę, & immediatæ: ſed effectus generationis eſt ſubſtantia, quæ ſoli ſubſtantiæ generanti poteſt aſsimilari in natu-

tura : ergo principium immediatum generationis est substantia.

Cõfirmatur 2. Idem est principium essendi, & operandi, quia unumquodque operatur, quod est in actu; sed principium immediatum essendi est forma substantialis: ergo hæc etiam erit principium immediatum operandi.

Confirmatur 3. substantia, & accidens, sunt in suo ordine causæ principales, substantia substantiæ, & accidens accidentis; sed accidens ita participat à Deo esse causam principalem accidentis, ut sit etiam ejus causa immediata: ergo substantia, quæ perfectior est, participabit ita esse causam principalem substantiæ, ut sit etiam immediata.

§ IV.

Proponitur sententia P. Suarij cum suis fundamentis.

26. PAT. Suarius in Metaphys. disp. 18. sect. 2. libratis hinc inde fundamentis utriusque sententiæ, suprà positis, dicit substantiam, & accidens immediatè concurrere ad productionem effectus substantialis, quoniam cùm accidens se solo tantum effectum non possit producere, adjuvatur à concursu immediato substantiæ, ipsum confortante. Quando autem non existit substantia confortans, ut in accidentibus Eucharisticis, & multis viventium generationibus, tunc Deus supplet earũ defectum, & confortat activitatem accidentis speciali concursu suo, ut valeat producere novam substantiã.

§ TERTIVS.

Probatur hæc sententia 1. ex Arist. 2. de Gener. textu 54. & 55. Vbi reprehendens eos, qui propriam efficientiam formarum negabant, sic ait: *Amplius autem, & potentias attribunt corporibus propter quas, & generant valde instrumentaliter, auferentes eam, quæ secundùm formam, causam.* En vbi Philosop. reprehendit negantes efficientiam formis substãtialibus, vel eam confundentes cum efficiẽtia potentiarum, quæ est instrumentalis; ergo quia sentit substantiales formas agere influxũ distincto ab influxu instrumentali potentiarum. At hic distinctus non potest esse medijs instrumentis, alioquin esset instrumentalis: ergo est immediatè à sola substantia.

Nec dici potest substantiam satis agere, quia ab illa dimanant accidentia operativa. Non sufficit, tum quia dimanatio illa jam præterijt; nec ratione dimanationis præteritæ potest nunc operari. Tum, quia hoc non est propriè & per se influere, sed radicaliter, & remotè, sicut influit unus ignis, qui alium generavit, in novum igne, quem producit ignis, à se genitus. Quare ablata prima dimanatione qualitatum à substantia, hæc manebit in perpetuo tio, quia suis accidentibus commisit tolam virtutem, & munus efficiendi.

27. Confirmatur ex D. Thoma 3. p. q. 77. a. 2. ad 2. ubi ait *Ita actio formæ accidentalis pendet ab actione formæ substantialis, sicut esse accidentis pendet ab esse substantiæ: & ideò sicut Divina virtute dantur speciebus sacramentalibus, ut possint esse sine*

sub-

ſubſtantia, ita datur eis, ut poſſint agere ſine forma ſubſtantiali, virtute Dei, à quo ſicut à primo agente dependet omnis actio formæ ſubſtantialis, & accidentalis. En duplex actio una ſubſtantiæ, alia accidentis; & quando non adeſt ſubſtantia, ut in Euchariſtia, Deus ſupplet actionem ſubſtantiæ, alioquin non haberet quid poſſet ſupplere, nam actio accidentis manet. Rurſus dum actio accidentis à ſubſtantia, jam fuit: vel nil ſupplet tunc, vel ſupplet immediatum influxum ſubſtantiæ, qui adeſſet, ſi maneret vini ſubſtantia in Sacramento.

A ratione probatur 1. Quia aliter concurrit accidens ad productionem alterius accidentis, ac ad productionem ſubſtantiæ: ſed ad productionem accidentis concurrit calor v. g. ſine concurſu ſubſtantiæ; ergo ad productionem ſubſtantiæ concurrit calor, adjuvatus à ſubſtantia immediatè concurrente.

Rurſus. Anima concurrit immediatè cum ſuis potentijs ad actiones vitales: ergo & ſubſtantia cum accidentibus ad effectum ſubſtantialem. Patet conſeq. quia major eſt neceſsitas hujus, quàm primi, cùm nobilior ſit effectus ſubſtantialis, quàm quælibet vitalis actio. Antec. prob. Quando intellectus poſt prandium vehementer traditur ſtudio, vel contemplationi, tunc vehemens intellectus operatio impedit alimenti decoctionem: at tunc non deficit ſtomacho calor, à quo fit coctio inſtrumentaliter: rurſus nec deficit influxus radicalis animæ; cùm potentiæ, & qualitates maneant in anima radicatæ: ergo nil deficit niſi influxus immediatus animæ, quæ tota occupata eſt in cooperando intellectui.

Tertiò. Si anima non concurreret ad intellictionem immediatè, poſſet intellectus ſeparatus ab anima intelligere; & hoc dato, poſſet videre Deũ, & eſſe beatus; quo dato fieret, ut etiam deſtructa anima, fieret beata per intellectum; quod ſanè repugnat: ergo quia anima immediatè concurrit ad int[illegible]

28. Hanc ſententiam ſic olim confirmabam. Ad ens ſubſtantialem non ſolùm accidens concurrit activè, ſed etiam ſubſtantia, ut patet ex dictis, tùm hic ex Philoſop. & D. Thomâ, tum §. 1. ubi oſtenſum eſt ſubſtantiam eſſe radicaliter operativam: ergo tam ſubſtantia, quàm accidens concurrunt immediatè. Probatur conſeq. Nam dato concurrere activè, vel concurrunt eadem actione, vel diverſa: quidquid dicas, concurrunt immediatè: ergo &c.

Si dicis concurrere eadem actione: en argumentum. Concurſus duplicis cauſæ ſimul concurrentis per eandem actionem, eſt concurſus duplicis cauſæ immediatè concurrentis per illam actionem. Hoc patet in concurſu ſimultaneo Dei, qui ſemel quòd operetur cum creatura per eandem actionem, effectus immediatè oritur à Deo, & immediatè à creatura. Sed concurſus ſubſtantiæ, & accidentis, eſt concurſus duplicis cauſæ, ſimul

concurrentis per eandem actionem: ergo est concursus duplicis causæ immediatè concurrentis. Minor patet, quia substantia est causa principalis, accidens est causa instrumentalis; causa autem principalis, & instrumétalis non est unica, sed duplex; & per te concurrunt per eandem actionem.

Si dicis, concurrere diversis actionibus; arguò sic: Actio substantiæ, quæ per se est diversa ab actione accidentis, non oritur ab accidente; alioquin vel superflueret, vel non esset distincta ab actione accidentis, quæ immediatè oritur ab accidente, & mediatè à substantia: ergo actio illa substantiæ, quam dicis distinctam, immediatè oritur à substãtia: sed causa, à qua immediatè oritur actio, est causa immediata: ergo posito quòd substantia, & accidens concurrant diversis actionibus, concurrunt æquè immediatè ad effectum substãtialem.

§ V.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

29. NOstra sententia est cum Thomistis negantibus substantiam esse immediatè operativam tum effectus substantialis, tum operationum vitalium, quoniam anima realiter distinguitur à suis potentijs. Hanc docuit Arist. D. Thomas, & B. Ægidius locis allegatis § 2. nec est cur specialia verba reponamus in re omnibus notissima. Hanc sententiam edocet nos ipsa natura, quæ substantias ornavit potentijs, organis, & qualitatibus activis, ut medijs ipsis operentur. Et cùm videamus quòd deficiente substantia, operentur accidentia; at contra deficientibus accidentibus, vel corruptis organis, & si maneat substantia, non sequatur operatio; sensus nostri testantur accidentia immediatè operari, non autem substantiam. Accedit quòd nulla ex rationibus sententiæ affirmanti urget, nec cogit nos recedere ab antiqua, & cõmuni sententia, ut patebit: ergo standum est sententiæ negativæ.

Probatur 1. Ex P. Augustino, qui licèt à nobis allegatus sit q. 9. num. 6. pro sententia negante formas substantiales fieri ab agente creato; at dato eas sic fieri, de mente illius tenendum est, fieri immediatè ab accidentibus; & mediatè solùm à substantia. Hoc patebit ex ratione probativa nostræ sententiæ, quæ desumitur ex principio Augustiniano, distinguente agentia creata ab increato, quia solus Deus est agens per essentiam. Rursus probatur, quia de præcipuis animę operibus, quibus vivit, docet non oriri immediatè ab anima, sed à potentijs, quas astruit ab anima distinctas: pro quo accipite sequentia testimonia.

30. Primum est ex serm. 3. de tempore, ubi ait: *Aliud est anima, aliud est ratio, & tamen in anima est ratio, & una est anima, sed aliud anima agit, aliud ratio. Anima vivit, ratio sapit. Et ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et cùm unum sint, anima sola suscipit vitam,*

ra-

ratio sola suscipit sapientiam; & tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima. Et licèt lib. 12. de Ordine c. 11. & alibi, rationem vocet actum rationis at hìc intelligit mentem, & intellectum, ut lib. 3. de Genes. ad litt. cap. 10. dicens, *Ratio, mens, & intelligentia, sunt idem.*

En distinguit Magn. P. N. intellectum ab anima ob duplicem probationem. Primò, quia diversas habét actiones, quia *anima vivit, ratio sapit*: ac si dicat, anima est principium essendi, intellectus principium intelgendi, & operandi immanenter. Secundò, quia *in anima est ratio*: ac si dicat, ratio est in anima, ut in subjecto; quare anima sit substantia; ratio, vel intellectus sit accidens & ens in alio. Nec anima, & ratio sunt unum unitat dent tat s, sed potiùs sunt aliud, & aliud; ait enim *Aliud est anima, aliud ratio.* Sed ab August. dicũtur vnum, sicut homo unus est, licèt compositus ex corpore, & anima.

Rursus Epist. 102. expressis verbis dicit: *Memoria, intelligentia, & voluntas, non sunt anima.* Sed ut dicit lib. 5. de Civitate Dei cap. 11. *In anima immateriali est memoria, sensus, & appetitus.* & lib 13. de Trinit. cap. 7. docet, *mentem esse animam, sed partem ejus excellentem in ipsa*, sicut est oculus in carne. Idem habet tract. 15. in Joann. Vbi intellectum vocat oculum animæ, qui à Deo illuminatur; & dicit esse idem, & distingui ab anima, sicut oculus est idem, & distinguitur à carne. Est quidé oculus caro genericè, quia est corpus carneum; sed differt à carne, ut pars specifica, vel integralis carnis. Sic mentem electus est idé cum anima in spiritualitate generica, sed differt ab illa specificè, veluti pars animæ integralis.

Tandem lib. 6. de Trinit. cap. 6. dicit: *Anima est quidem in corporis comparatione simplicio, sine comparatione autem corporis multiplex est etiam ipsa, non simplex.* Quia nempe anima quantũcumque spiritualis, & indivisibilis, cõstat tamen ex potẽtijs realiter distinctis, cum quibus facit cõpositionem. Vide N. Argentinam loco citato.

31. Probatur nostra conclusio ratione fundamẽtali, desumptaex P. Augustino lib. 5. de Trin. cap. 10. ubi ait: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse &c. aliud est magnitudo, aliud ea, quæ participatione magnitudinis magna sunt.* Ex hoc principio probat quòd Deus est sua sapiẽtia, intellectus, bonitas, &c. & per identitatem, & per essentiam est bonus, sapiens potẽ, quia à nullo participat has perfectiones. Ergõ creatura autem creatura, quæ illas habet per participationem, illas habet per distinctionẽ, quare differt à sua magnitudine, sapientia, potentia &c. De hoc principio Augustiniano egimus lib. 1. quæst. ultima num. 29. Vbi actum est de triplici participatione, nempe *transitiva*, quæ arguit distinctionem; & *intransitiva*, quæ stat sine distinctione. Vide loco citato.

Ex his argue sic: Omnis substantia creata operatur per virtutem realiter ab ipsa distinctam: ergo nulla est immediatè operativa. Patet consq.

Nam omnis ſubſtantia operatur per aliquam virtutem : ergo ſi virtus eſt diſtincta, jam mediat virtus diſtincta, & ſic non agit ſubſtantia immediatè. Probatur anteced. Omnis ſubſtantia operatur per virtutem participatam, & tranſitivè participatam : ſed quod participatur tranſitivè, realiter diſtinguitur à participante : ergo omnis ſubſtantia &c. Min. patet tum ex verbis P. Auguſtini, qui dum probat ex participatione diſtinctionem, loquitur ſanè de participatione tranſitiva. Tum, quia in participatione intranſitiva non datur diſtinctio ſubjecti participantis à perfectione, quæ participatur, ut patet in ſubſtantia quæ participat à Deo ſuùm eſſe, ſed eſſe illud non diſtinguitur à participante, quia participatur *intranſitivè*. Ergo ab oppoſito, quod participatur *tranſitivè*, realiter diſtinguitur à participante.

Major autem probatur. Quidquid participatur, & non eſt de conceptu eſſentiali participantis, realiter *tranſitivè* participatur: ſed ſubſtantia participat à Deo virtutem operandi, non enim illam habet à ſe, & imparticipatam; item hæc virtus non eſt de cõceptu eſſentiali ſubſtantiæ participantis: ergo illam participat tranſitivè. Major Patet exemplis in omni participatione intranſitiva. Ideò enim ſubſtantia participat intranſitivè ſuum eſſe à Deo; Gratia hitualis participat intrãſitivè à Deo vim ſanctificandi; calor vim calefaciendi; intellectus vim intelligendi; quia eſſe ſubſtantiale eſt de conceptu eſſentiali ſubſtantiæ, vis ſanctificandi de conceptu eſſentiali Gratiæ, vis calefaciẽdi de conceptu eſſantiali caloris &c. ergo à contrario, quod non eſt de conceptu eſſentiali participantis, participatur *tranſitivè*.

Minor principalis probatur. Conceptus eſſentialis ſubſtantiæ creatæ eſt eſſe *ens per ſe*, ſic enim diffinitur : ſed virtus operandi non eſt per ſe, & propter ſe, ſed propter operationem, & ad operationem ordinata: ergo virtus operandi non eſt de conceptu eſſentiali ſubſtantiæ. Rurſus. Quidquid eſt de conceptu eſſentiali, conſtituit eſſentiam, & non ſupponit illam conſtitutam: ſed virtus operandi ſupponit eſſentiam ſubſtantiæ conſtitutam ; ſicut enim prius eſt eſſe, quàm operari, ſic principium operandi ſupponit principium eſſendi, & à princi i eſſendi conſtituitur eſſentia: ergo virtus operandi non eſt de conceptu eſſentiali ſubſtantiæ.

32. Hęc ratio, quæ fundamẽtalis eſt in doctrina Auguſtiniana, ut vidimus, duobus verbis dat diſcrimẽ inter ſubſtantiam Dei, & creaturæ. Subſtantia Divina agit immediatè, quia agit per virtutem non participatam; creata autem agit media virtute diſtincta, quia agit per virtutem participatam. At quia ſub his terminis, inſtatur ratio in ipſo accidente, quod agit virtute à Deo participata, ſed non diſtincta; item in ſubſtantia radicaliter operativa, cujus virtus radicalis participata eſt, ſed indiſtincta à ſubſtãtia; tandem in ſubſtantia Angeli per modum ſpeciei concurrentis ad intellectionem per vir-

virtutem indistinctam, sed participatam: ideò oportuit distinguere participationes, ut ita nulla esset instantia, sicut reververa non adest.

Patet nullam esse instantiam, ex ipsa ratione nostra. Nam vis productiva in accidente, est de conceptu essentiali accidentis de genere qualitatis, quare participatur intransitivè. & sine distinctione à participante. Vis radicaliter operativa est de conceptu essentiali naturæ, quæ essentialiter convenit substantiæ, ut dictum est quæst. 1. hujus libri. Virtus concurrendi ad intellectionem ex parte objecti, est cognoscibilitas, & spiritualitas substantiæ Angelicæ, quæ est de essentia entis spiritualis. Ergo ratio nostra probat has omnes virtutes esse indistinctas à subjecto participante; quare nullum reliquit locum instantijs. Vides etiam ex ratione nostra, cur substantia sit immediatè operativa in ordine intentionali, secùs in ordine physico: nam licèt in utroque ordine agat per virtutem participatam; at in intentionali habet vim participatam intransitivè, secùs in ordine physico; quare in hoc agit media virtute realiter distincta.

33. Noster Argentinas loco laudato adducit quinque rationes B. Ægidij pro isto asserto, quas defendit ab instantijs aliorum DD. ea omittimus in præsenti, quoniam directè probant potentias distingui ab anima. Vnamt ntùm apponimus, quæ formatur sic. Substantia Angeli non est immediatè effectiva intellectionis, sed media potentia intellectiva distincta à substantia: ergo nec substantia animæ nostræ est immediatè activa, sed medijs potentijs distinctis. Prob. anteced. Implicat quòd inter extr ma identificata detur medium, distinctum ab extremis: sed hoc daretur, si substantia Angeli esse immediatè effectiva intellectionis: ergo sic effectiva non est. Probatur min. Inter intelligens, & objectum intellectum, mediat intellectio, sicut actio inter agens, & passum: sed si substãtia Angeli esset immediatè effectiva intellectionis, dum Angelus intelligit suam substantiam, eadem substantia Angeli esset intelligens, & intellecta, quare sunt duo extrema identificata: ergo vel intellectio medians, non esset distincta à substantia Angeli, quod est falsum; vel daretur inter extrema identificata medium realiter distinctum ab utroque extremo; quòd implicatorium est.

Nobis aliquando sic arguentibus, ita redarguebat ingeniosus quidam, ut ostenderet rationem istam nil concludere. Supponamus, inquit, quòd intellectus in Angelo est realiter distinctus à substãtia ejus; & quòd intelligit seipsum. En argumentum. Angelus sic intelligẽs seipsum, est extremũ intelligens, identificatum cum extremo intellecto: & tamẽ mediat intellectio distincta tum ab intelligẽte, tum ab objecto intellecto: ergo licèt in casu idẽtitatis intellectus cum substantia Angeli, subjectum intelligens, & objectum intellectum identificentur; potest cadere intellectio distincta medians.

Re-

Respondemus instantiam nil concludere, quia ex suppositione ipsa distinctionis intellectus à substantia, supponitur etiam distinctio intellectionis à substantia: ergo ex suppositione distinctionis facta in instantia, non potest concludi, quòd intellectio Angeli substantia sit, nec indistincta ab intelligente, sed distincta. Nec ista cadit inter extrema identificata. Nam intelligens *ut quod*, est sola substantia, objectum autem intellectum *ut quod*, non est substantia sola, sed substantia cum intellectu, quem supponis distinctum: at substantia sola differt realiter à complexo substantiæ, & intellectus, si supponitur distinctus: ergo quia aliquid ponis distinctum ex parte objecti intellecti, jam cadit actio distincta. At in casu argumenti B. Ægidij, nil ponis distinctum à substãtia intelligente, nec ex parte objecti intellecti: ergo non potest cadere intellectio distincta.

34. Aliter formatur laudatum N. F. D. ratio, & deducitur ab inconvenienti, quòd intelligere Angeli sit ejus substantia. Nam implicat quòd extrema identificentur inter se, & quòd medium medians, non indétificetur cum extremis: sed substantia Angeli intelligentis, idétificatur cum se ipsa intellecta: ergo intellectio medians inter substantiam intelligentem, & intellectam, erit idem cum substantia Angeli; & sic intelligere Angeli erit ejus substantia, quod ab omnibus Theologis reprobatur.

Dices: Hæc ratio instatur in ipso intellectu angelico, quem supponimus distinctum. Nam demus quòd intellectus ille intelligat se ipsum; tunc intelligens, & objectum intellectum identificantur; & tamen intellectio medians non identificatur cum intellectu: ergo nec in casu substantiæ intelligentis se ipsam.

Respondeo negando majorem. Nam intelligens in eo casu non est solus intellectus, sed ipse actuatus per speciem impressam repræsentativam sui, hæc est substantia Angeli, quæ repræsentat nedum se ipsam, sed omnes passiones, & postétias sibi proprias. Ergo principium intelligens non est solus intellectus, sed complexum ex substantia Angeli, & intellectu. Hoc complexum distinguitur ab objecto intellecto, quod est solus intellectus, ut supponitur in instantia: quare potest mediare actio distincta. Observa pro his, & alijs conditionibus. Quòd data identitate intellectus cum substantia, tunc agens, & passum sunt quid simplex entitativè, & identificãtur. Inter simplicia identificata non potest cadere medium distinctum. At posita distinctione intellectus à substantia, ex utroque fit extremum compositum; quare dum totus Angelus intelligit se ipsum, extremũ intelligens, & intellectum sunt idem; ceterùm utrumque est extremum compositum. Inter extrema composita cadit medium distinctum; quia compositio ipsa extremi supponit distinctionẽ & infert distinctionẽ medij, ut suprà dictum est.

35. Tandem probatur communis sententia ratione experimentali, desumpta ex observatione effectuum

ctuum naturæ. Nam sæpè generantur substantiæ medijs accidentibus, quando nulla est forma substantialis, à qua possit esse actio, vel quia longè abest, vel quia jam non est. Sic sol longè distinctans à terra, producit aurum, & mineralia in visceribus terræ. Cùmque substantia solis distantis, & sola virtus ejus cum luce diffusa, sit terræ approximata, ille effectus substantialis fit à solo accidente immediatè. Sic in omni generatione viventium, generans vel non existit quando fœctus formatur, vel longè distat; cùm amen in decisso semine remaneat virtus ejus activa, quę sola immediatè operatur. Sic in Eucharistia, ubi nulla est substantia vini, sed sola accidentia ejus; dum ipsis miscetur gutta aquæ, convertitur in substantiam vini; nec hujus conversionis causa immediata adest, nisi qualitas remanens post destructionem, & annihilationem substatię vini. De hoc vide B. Ægidium Theorem. 48. Hoc ideò, quia accidentia illa habent eandem virtutem separata, ac habuerunt conjuncta: ergo quia principium immediatum effectus substantialis non est substantia, sed accidens de genere qualitatis.

Huic argumento non adest solutio, nisi vel dicas agens posse operari in distans, & quando jam non existit; vel quòd causa prima supplet defectum agentis creati distantis, vel non existentis. Prima pars est contra Arist. & veritatem, de qua lib. 7. ubi agentis de approximatione agentis ad passum. Secunda tollit de medio omnes generationes naturales, & facit Deum Authorem specialem omnium effectuum substantialium: nec erit cur causa creata dicatur generare sibi similem in natura, si Deus solus, non autem causa creata distans, vel non existens in effectum influit. De quo vide RR. nostræ sententiæ.

§. VI.

Solvuntur fundamenta contraria.

36. NEC urgent fundamenta contraria, posita à num. 19. Ad primam authoritatem P. Augustini dicimus, terram herbam produxisse ex substantia sua, sed non immediatè, sed media virtute activa, quam probavimus distinctam argumento Augustiniano.

Ad secundam respondet D. Thomas 1. p. q. 79. art. 1. quòd nomine mentis intelligit ibi P. August. substantiam animæ; sicut in Scriptura Angeli vocantur intellectus, & virtutes, & Arist. 1. de Anima textu 64. humanum animum vocavit intellectum.

Si quæras cur homo non vocatur visus, vel potentia ambulativa, cùm per nos æquè distinguatur intellectus ab anima, ac distinguuntur istæ potentię? Respondet benè M. Froylanus, quòd potentia intellectiva est perfectior in homine: unde nomine intellectus explicatur hominis perfectio, non autem si dicatur visus.

Ad tertiam authoritatem, dicam non posse intelligi, ut sonat, alio-

lioquin intellectio, & amor non essent actiones distinctæ ab anima, nec accidentia in ea recepta. Restat ergo eam intelligi eodem sensu, quo intelligitur quarta, & hæc exponitur à D. Thoma quæst. unica de Anima art. 12. ad 5. ubi ait, quòd *mens, amor, & notitia*, sunt idem objectivè cum anima, sed non subjectivè. Hoc est, quòd quando anima se amat, & intelligit, tale objectum amoris, & notitiæ, est ipsa anima. Sic patet ex contextu litteræ P. Augustini, ibi dicentis, *Quomodo illa tria non sint ejusdem essentiæ, non video, cùm mens ipsa se amet, atque ipsa se noverit*. At mens, amor, & notitia, subjectivè sumpta, sunt intellectus, voluntas, & cognitio, quæ accidentia sunt, distincta ab anima.

Ad authoritatem libri de Spiritu, & Anima dicit D. Thom. librũ illum non esse P. Augustini, & sic nullius authoritatis. N. Argentinas ubi suprà, omnia hæc etiam exponens cum B. Ægidio, dicit librum istum scriptum à quodam fratre Ordinis Cistertiensis.

Ad authoritatem D. Bern. Resp. D. Thomas q. unica de Spiritualibus creaturis art. 11. ad 1. quòd memoria, intelligentia, & voluntas, sunt ipsa anima originativè, & demanativè, inquatenus dimanant ab anima, & in ea subjectantur. Sicut si diceres quòd calidum, siccum, & lucidum sunt unus ignis. Merinero Scotista objicit etiam authoritatem D. Thomæ 1. p. q. 77. art. 6. docentis accidentia dimanare à substantia. At inde nil colligi pro Scotistis patebit dum tractemus de dimanatione.

37. Ad primam rationẽ Scotistarum, positam n. 20. dicimus solutionem datam inter arguendum, esse de mente Thomistarũ qui docent quòd accidens elevatur ad productionẽ effectus substantialis, participando à substantia virtutem. At dicunt quòd non participat illam *transitivè*, sed *intransitivè*, quia nil distinctum ab accidente participatur, nec in eo recipitur, ut ineptè putatur à contrarijs. Quòd si quæras quid sit hæc elevatio, vel participatio intransitiva, vi cujus accidens operatur in virtute substantiæ, & ut instrumentum ejus? Respondẽt, nihil esse aliud, quàm subordinari substantiæ in operando, ut causæ principali. Quòd si iterùm quæras, quid sit hęc subordinatio in operando? Nescio quid dicatur, nec aliud audivi, aut legi, nisi quòd hic reposui.

Huic solutioni acquiescere non possumus, stando probationibus nostris. Nam vidimus, quòd substantia ex se non habet virtutem operandi, sed illam participat à Deo; ergo accidens, quòd est virtus operativa substantialis effectus, non participat illam à substantia, in qua non est, sed à Deo, cujus participatio est. Est ergo accidens operativum, quædam participatio intransitiva virtutis activæ Dei; sicut substantia est quoddam esse substantiale participatum intransitivè ab esse substantiali Dei. Ergo accidens nil participat à substantia transitivè, nec intransitivè.

Rursus. Si substantia ex se non est immediatè activa effectus substantia-

tialis, quomodo potest elevare accidentia, ut immediatè operentur? Quomodo potest eis dare elevando, quod ipsa non habet, nisi emendicando à Deo virtutem accidentalem: Suarius tenens substantiam esse immediatè operativam, potest dicere, & dicit quòd substantia elevat accidentia, suoque consortat consortio. At Thomistæ qui plenè nobiscum negant in substantia virtutem immediatè operandi, quomodo potest elevare, & dare accidentibus efficientiam immediatam, quam non habet? Habet quidem radicalem, sed hanc non præstat accidénti, nec accidens habet transitivè, nec intransitivè efficientiam radicalem. Quid ergo?

Sed age: demus quòd accidens improportionatum ex se ad talem effectum, proportionetur, & elevetur à substantia. Quomodo elevatur? Respondent, quòd intransitivè, sine receptione alicujus distincti, per hoc solum, quòd in operando subordinetur substantiæ causæ principali. Hoc etiam non capio in doctrina Thomistica. Nam poterit etiam intellectus noster elevari intransitivè ad actus supernaturales sine receptione doni intrinseci distincti, per hoc solum, quòd in operando subordinetur omnipotentiæ, extrinsecè assistenti, quæ causa est principalis omnis entis supernaturalis. Hoc negatur à Thomistis cum D. Thoma expressissimo pro hac sententia negativa; negatur etiã, quia quod est intrinsecè impotés, nequit fieri intrinsecè potens, quin mutetur intrinsecè, nec intrinsecè mutatur, nisi recipiat aliquid intrinsecè. Ergo, cùm accidens ex se sit intrinsecè impotens ad effectum substantialem, & debeat fieri potens intrinsecè à principio elevante, hoc non poterit esse intransitivè sine receptione alicujus intrinseci. Quidquid sit.

38. Respõdemus ex nostris principijs argumento posito num. 20. Quòd accidens non est principium *quod* effectivum substantiæ, sed est principium *quo*. Principium *quod* debet esse entitativè superius, vel æquale in perfectione cum effectu, & ita est, quia principium tale est substantia, quæ medio accidente, ut virtute operatur. Principium *quo* in esse entis non debet, esse æqualis perfectionis, sed in esse virtutis; quia cùm sit virtus productiva, debet esse contentiva; nec esset, nisi in esse virtutis æquaret perfectionem. Illam æquat, & revera superat accidens. Nam cùm substantia non sit immediatè activa, & accidens sit activum immediatè, perfectius est accidens in esse virtutis; imò est perfectio substantiæ, cùm illam ornet, & reddat virtuosam. Hæc major perfectio accidentis in esse virtutis, non venit à substantia, ut jam dictum est, sed à Deo, qui cùm sit activus per essentiam, accidens habet esse activum per participationem, vel est ipsa participatio virtutis activæ Dei.

Nec contra hanc solutionem faciunt, quæ objecta sunt num. 21. Fatemur enim accidens esse virtutem substantiæ, non quòd habeat illam à substantia, sed quia ipsi substantiæ propria est, vel appropriata, vel quia substantia illam exigens, deriva-

vit à Deo. Negamus autem accidens operari in virtute substantiæ, vel per virtutem à substantia participatam. Quod si dicas. Substantia est causa principalis; accidens causa instrumentalis: sed omne instrumentum elevatur à causa principali, & ab ea participat virtutem: ergo accidens elevatur à substantia, & operatur in virtute substantiæ, & ab ea derivat virtutem. Respondeo, Accidens non esse instrumentum substantiæ; imò id docent Tomistæ, vocantes illud virtutem instrumentariã. Nos vocamus illud virtutem causæ principalis, vel virtuositatem principalis causæ, nullo autem modo vocamus instrumentum, nec virtutem instrumentariam. Quòd si quæras, an accidens sit causa instrumentalis, vel principalis substantiæ? Respondeo quòd neutrum. Nam causa solùm at principium *quod*, & tale non est accidens. Est ergo principium *quo*, & virtus causæ principalis: unde est principium *quo* principiale, non instrumentale. Sicut intellectus non est causa principalis intellectionis, quia hæc est anima; nec instrumentalis, quia perfectè continet intellectionẽ: unde est principium *quo* principale intellectionis. Ex his ad 2. probationem, quæ nil habet contra nos.

Ad tertiam dic quòd calor non solùm est virtus ignis ad producendum alium ignem, sed ad producendum aliud calorem, quia, ut dictum est de emanatione, generans dans formam, dat consequentia ad formam: ergo ignis causans ignem, causat etiam eius calorem. Respicit tamen calor diversimodè utrumque effectum, nam substantialem respicit æquando illum in esse virtutis, sed non in esse entis; accidentalem autẽ æquat utroque modo, & respectu caloris producti potest calor activus esse principiũ *quod*, sed respectu substantiæ solùm principium *quo*.

Ad quartam patet ex dictis; cùm negemus accidens esse causam instrumentalem substantiæ. Jam patet quo sensu eum vocamus principiũ *quo* principale. Ad ultimam dic, admissa majori, quòd aliter dimanat qualitas à substantia, & quantitas. Nam qualitas est virtus operativa, & dimanat, vel exigitur à substantia, ut quod m participatio virtutis Dei. Quantitas est accidens faciens ad esse, non ad operari; unde dimanat, participando à Deo quidquam de linea operandi, sed de linea essendi.

39. Ad secundum fundamentum, positum num. 22. dic quòd esse principium immediatum per essentiam, est perfectio infinita, ut patet in Deo. Esse tale per participationem intransitivã, est quidem perfectio in linea accidentali; & ideò qualitas, quæ operativa est, perfectior est quantitate non operativa. At in tota linea entis creati nõ est perfectio, vel imperfectio repugnans substãtiæ. Nam cùm ad participationem intransitivam requiratur, quòd participatum sit de conceptu essentiali participantis, repugnat enti substantiali per se, & ad se, quòd per essentiam ordinetur ad aliud, & sit propter operari. Quod enim in accidente est perfectio, in sub-

substantia foret imperfectio. Sic simplicitas in Deo perfectio est, sed in puncto est imperfectio. Carere partibus perfectio est in Angelo, sed imperfectio in substantia corporea.

Ad 1. Confirmationem, nego consequét. Disparitas est quòd virtus causandi materialiter, formaliter, & finaliter participatur *intransitivè* à substãtia, eò quòd de essentia materię est virtus receptiva; de essentia formæ virtus informativa, & de essentia substantiæ est bonitas finalizans, cùm bonum non differat ab ente. At non est de essentia substantiæ esse operativam, quare participatur *transitivè*, & cum distinctione, & ob id non potest per se ipsam exercere causalitatem efficientis causæ, benè tamen materialis, formalis, & finalis.

Ad 2. Confirmationem, dic quòd calor ut duo habet in esse entis majorem proportionem cum calore ut quatuor, quàm calor ut octo cum substantia; at non in esse virtutis. Et hinc fit quòd hic potest producere immediatè substantiam, ille autem nequit producere caloré, ut quatuor: nam ad productionẽ attenditur proportio in esse virtutis, non autem in esse entis. Sic substantia materialis nequit immediatè uniri intellectui, & influere in intellectionem; cùm tamen species impressa ejus, que est accidens, & inferior, uniatur, & influat: hoc ideò, quia non attenditur perfectio major, vel minor in esse entis, sed in esse intelligibili, & virtutis.

Ad 3. Confirmationem, dic quòd etiam contrarij tenentur resistere: Nam si calor ignis distans non agit in ligno, nec etiam substantia ignis, quæ distans est, poterit agere. Respondemus in eo casu ignem agere in aërem, & corpora proxima, per quæ diffundit tamquam per mediũ, suum calorem; & in calore virtualiter existés, tamquã in virtute sua, producit novum calorem in ligno. Hic calor lignidestruit lignum, quare lignũ seipsum destruit per accidens, sicut aqua calida calefacit per accidens. Tribuitur calefactio non aquæ, cui non est calor naturalis; sed igni, cujus est virtus data & derivata à Deo.

40. Ad tertium fundamentum positum num. 23. dicimus quòd operari per accidens, non est operari media virtute accidentali, nam stat sic operari, & esse causam per se. Est ergo taliter operari, ut sine illo influxu possit dari effectus. Ceterùm hoc modo non agit substantia medio accidente, quia si accidens non influeret, effectus nullus esset.

Ad 4. Confirmationem dic quòd potest dari effectus substantialis sine substantia causa formaliter existente, sed non sine ea virtualiter existéte in sua virtute. Sic vivens generatur, patre aliquando mortuo, & semper distante; at existit pater virtualiter in semine. Sic accidentia vini convertunt guttam aquæ in vinum, cùm tamen substantia vini sit destructa per consecrationem. At existit virtualiter substantia illa in suis accidentibus; & sic numquam fit effectus sine causalitate substantiæ formaliter, aut virtualiter existentis.

41. Dices: Si sufficit existen-

tia virtualis, ut substātia sit operativa, sufficit quòd substantia sit virtualiter potentia immediatè operari: sed substantia est virtualiter potentia immediata: ergo operatur immediatè. Probatur minor. Potest quantitas gerere vices materiæ, & esse virtualiter materia, ut patet quā'o ex accidentibus Eucharisticis generatur vermis. Potest item qualitas, quæ est accidens secutum ad formam, gerere vices formæ substantialis, & operari destructa forma, ut ibidem patet: ergo poterit substantia quæ est perfectior, esse virtualiter accidens operativum, & gerere vices illius.

Resp. neg. minor. Ad probationem concesso utroque exemplo, nego consequent. Vt una res faciat quod altera, debet esse talis vel *formaliter*, vel *eminenter virtualiter*, vel *ministerialiter*. Quantitas non est materia formaliter, quia non est substantia; nec eminenter, quia non est perfectiori, sed imperfectioris naturalis, cui sit accidens: est tamen materia ministerialiter, quia materiæ subordinatur. Idem de qualitate respectu formæ substantialis, cui subordinatur in agendo, ut virtus causæ suæ causæ. At substantia non est virtus proxima formaliter, ut probatum est, quia talis est qualitas. Nec est talis eminenter, quia tunc foret perfectiùs operativa, quàm esset, si foret activa formaliter. Sed ex quo esset formaliter operativa proximè, foret activa per essentiam, ut Deus: ergo si foret activa eminenter, esset perfectiori modo activa, quàm Deus: quod est implicatio supra implicationem. Tandem nequit esse ministerialiter potentia immediata, quia nequit substantia subordinari qualitati: ergo nullo modo potest esse virtualiter potentia immediata.

42. Ad 2. Confirmationem dic. quòd concursus immediatus Dei ad omnem effectum sit ex latius, tum ut omnis effectus immediatè pendeat à Deo, tum ut Deus sit causa principalis omnis entis. Talis non esset, si solùm concurreret media creatura. At ista mediatio creatu est mediatio suppositi, quæ tollit rationem causæ principalis. Accidens medians inter substantiam, & effectum, non mediat mediatione suppositi, sed vi utris; & hæc non tollit à substantia rationem causæ principalis.

43. Ad secundam probationem ejusdem confirmationis dic. eriam esse causam remotissimam extensionis formæ, cujus minus remota est forma substantialis sub gradu corporeitatis, quæ faciens unum cum materia, sustinet quantitatem, per quam forma sub ulterioribus gradibus extenditur. De quo vide dicta lib. 1. q. 9. §. 3. circa gradus formarum. Ob id materia non dicitur causa principalis extensionis. At substantia, quæ causa mediata est operationis, non est remotissima, nec in diverso genere, sed in eodem causæ efficientis.

* * *

* *

*

§ VII.

§. VII.

Reliqua argumenta solvuntur, & explicatur quid sit dimanatio.

AD quartum fundamentum positum num. 24. dic DD. Thomistas non facilè expediri ab importuna hujus instantiæ, ut patet ex dictis à n. 16. usque ad 19. Nos facilè, ut patet ex num. 32. respondemus concessis præmissis, distinguendo consequens, & concedo quòd substantia sit immediatè operativa per modum speciei in ordine intentionali; sed id nego de substantia in ordine physico; quia licèt utrobique concurrat per virtutem participatam, at virtus ad ordinem intentionalem participatur intransitivè, quia nil est aliud, quàm cognoscibilitas; & spiritualitas substantiæ, quæ essentialis est Angelo. Virtus autem activa in ordine physico, participatur transitivè; & sic est quid distinctum à substantia.

43. Ante solutionem 1. & 2. confirmationis oportet disquirere, quid sit emanatio? Plures cum Suario docent, quòd est vera & rigorosa actio; quare essentia, quę est principium emanationis suarum proprietatum, est verè effectiva illarum.

Scotus cum sua Schola dicit quasdam esse proprietates, quę identificantur cum essentia, ut intellectus, voluntas, & potentiæ operativæ animæ: & istæ non dimanant ab essentia per veram actionem essentiæ, sed fiunt à generante essentiam. At verò aliæ proprietates, quæ ab essentia distinguuntur, ut quantitas, calor, & alia extrinsecùs advenientia; hęc fiunt per veram actionem essentiæ, distinctam ab actione generantis essentiam.

Thomistæ cum D. Thoma 1. p. q. 77. art. 6. ad 3. & Ægidiani cum B. Ægidio Quodlib. 6. q. 12. tenent quòd proprietates dimanant ab essentia sine actione distincta ab actione generantis essentiam. Pro hujus explicatione nota, quòd accidentia aliqua habent naturalem connexionem cum essentia, & illi debentur ex natura rei ab instanti generationis, v. g. quantitas respectu materiæ, calor igni, frigiditas aquæ, risibilitas homini. Alia sunt accidentia communia, & separabilia naturaliter à suis subjectis, nec eis debentur in instanti generationis. De primis accidentibus est præsens dubium: de alijs est certum non dimanare ab essentia, sed fieri à generante, vel alijs agentibus.

Sententia Thomistica, & Ægidiana docet, quòd agens producens essentiam aquæ v. g. producit etiam per eandem actionem frigiditatem in aqua: unde actio illa habet duplicem terminum, unum primarium, & talis est substantia aquæ; alium secundarium, & est frigiditas ejus.

Quòd si quæras, cur frigiditas aquę dicitur proprietas dimanans ab aqua, si hæc nullum influxum habet in frigiditatem? Respondet Mag. Santo Thom, & Moned cum alijs, quòd ratio est hæc. Essentia connectitur naturaliter cum suis proprietatibus taliter, ut semel posita essentia, hæc ponit naturaliter, quòd actio agen-

gentis ei tribuat suas proprietates. Vi hujus exigentiæ,& connexionis, dicitur essentia principium dimanationis proprietatum.

44. Huic explicationi non acquiescimus. Nam materia prima jam disposita, petit quòd agens in ea producat formam : & tamen materia non est principium dimationis formæ: ergo quòd essentia petat suas proprietates &c. Rursus. Proprietates dimanãt ab essentia influxu physico: sed cõnexio essentiæ cum proprietatibus, & exigentia illarum , non est influxus physicus : ergo aliquid aliud est dimanatio. Dicendum est hoc aliquid distinctum, esse aliqualem influxũ essentiæ in proprietates, quem non habet materia respectu formæ , & ideò non est illius principiũ dimanativum.

Quæres , qualiter fiat hic influxus aliqualis ? Respondemus exemplo, quo utitur D. Thomas opusc. 48. cap. de Proprio. Considera clavum infixum trabi , & agens movere trabem fune, ad clavum alligato : tunc totus motus nascitur ab agente movente; ceterùm etiá clavus activè movet trabem, & physicè movet per eundem influxum, & motum agentis. Sic in casu nostro: Agens producit essentiam ; & quia hæc connectitur cum proprietatibus ; semel quòd essentia producta est, actio agentis extenditur ad productionem proprietatum: ceterùm per eandem actionem agentis etiam essentia se habet activè ad suas proprietates.

45. Restant nunc duo explicanda. Primum est , an hoc sit substantiã immediatè operari? Secundum est, an doctrina data benè fundetur. Circa primum dico , quòd illud non est substantiam immediatè operari. Nam immediatè operari, est esse principium immediatum operationis: sed licèt aqua influat in suam frigiditatem, non tamen influit per operationem , à se elicitam , sed elicitam à generante; & sic non est principium immediatum operationis: ergo sic influere, non est esse immediatè operativam.

Venio ad secundum. Superfluè astruitur in essentia actio distincta ab actione generantis , ut producantur proprietates, & dimanent ab essentia: ergo præter actionem agentis producentis essentiã, nulla altera concedenda est. Probatur antecedens. Agens dans formam , dat consequentia ad formam; sed proprietates formæ naturaliter consequuntur ad formam ; ergo actio agentis formam , extenditur ad proprietates, & sic superfluit, &c. Rursus. Vt clavus infixus trabi, activè se habeat ad tractionem trabis , non requiritur actio distincta, ab actione extrinseci trahentis : ergo &c.

Rursus. Aqua nequit habere actionem vitalem , alioquin viveret per eam, quod patet esse falsum: sed si haberet actionem propriam , & distinctam ab actione generantis, ut influeret in suas proprietates, illa actio, esset vitalis : ergo non habet distinctam actionem &c. Probatur minor. Actio vitalis est illa, quæ recipitur in eodem principio, à quo egreditur; est, enim

enim vita *motus à se, & in se*: sed actio propria aquę, egrederetur ab aqua, & in aqua reciperetur: ergo esset vitalis.

46. Nunc ad Confirmationes positas num. 24. respondemus: & ad 2. disting. min. quod dimanat verè fit, verè fit à generante, concedo min. verè fit à principio dimanationis, nego min. quia hoc principium nō est principium actionis, qua influit, sed influit licèt impropriè, per actionē ipsius generātis. Ex quo non sequitur quòd substātia sit immediatè activa in sensu quęstionis, ut dictum est n. 45.

Ad 2. Confirmationem dic, quòd aqua calida recuperans frigiditatem suam, illam recuperat media quadam forma accidentali, quam recepit à generante, dum primò producta est. Hæc forma data est à natura provida, sicut forma gravitatis, & levitatis, data gravibus, & levibus. Natura enim providet, nec deficit in necessarijs: sed quoniam gravia, & levia possunt violenter poni extra centrum, providit, & dedit eis formas accidentales gravitatis, & levitatis, quibus centrum recuperarent: ergo quoniam aqua violenter potest privari sua nativa frigiditate, aquæ dedit formam etiam accidentalem, à calore non destructilem, qua frigiditem recuperat. Ex aquæ substantia non est causa immediata hujus frigiditatis, sed media virtute accidentali.

Dices: ergo jam aqua habet actionem vitalem à se, & in se, quam suprà negavimus. Respondeo neg. conseq. nam sicut actio gravis recuperantis centrum, non est vitalis,

quia non est à se applicativè, sed à generante, qui dedit formam gravitatis: sic actio aquæ est à generante, qui dedit formam, jam explicatam.

47. Ad quintum fundamentum positum num. 25. dic, quòd generatio substantialis tribuitur specialiter substantiæ, quia licèt fiat media virtute accidentali, est tamen opus primariò intentum à natura, & perfectius in illa; quare non tribuitur accidenti imperfectiori, sed substantiæ perfectiori.

Ad 1. Confirmationem dic quòd actio vitalis debet esse solùm mediatè à causa principali, non immediatè, & ob id in viventibus tot potentias, & organa diversa multiplicavit natura, ut ab eis immediatè, & mediatè à causa principali, fierent actus vitales diversi. Instatia de visione non est ad rem, nam sunt variæ sententię circa principale principium effectivum illius. B. Ægidius docet quòd visio beata ut est actus intellectus, est à Beato causa principali: ut verò est actus supernaturalis, est à Beato instrumentaliter, & à lumine Gloriæ principaliter. Sed de hoc in tractu de Visione.

Ad urgentiam nego majorem. Cùm enim natura sit radix operationum, assimilari in natura, est assimilari in principio radicali, non autem in proximo. Rursus, sicut instrumentum non assimilat sibi effectum, sed causæ principali, quia non sibi operatur, sed principali agenti, sic cùm potentia generativa non agat sibi, sed agenti principali *quod*, ideò non sibi,

sed

se d principio *quod* asimilat effectũ.

Ad 2. Cnfirmationem, nego maj. de principio proximo, quam concedo de radicali. Substantia per se ipsam est immedi t m princ pi i n essendi, quia intransitivè participat à Deo suum esse. At quia virtutem immediatam operandi pa.ticipa.t.ã-sitivè, ideò per se ipsam non est princi ium immediatum operandi, nec per se ipsam est in actu operandi, sed in solo actu essendi.

Ad 3. Confirmationem nego conseq. nam v rtus immediata operandi participatur ab accidente intransitivè, & à substantia transitivè; quo fit, ut probatum est, substantiam operari media virtute distincta; accidens autem per virtutem identificatam.

28. Ad fundamentum P. Suarij, positum num 26. respondemus, & ad authoritatem Phi. dicimus, quòd data communi sententia, docente formas substantiales fieri ab agente creato, digniss imè reprehenditur, qui negat eas fieri à substantia influente, nam non debet secludi influxus nobilior pro effectu nobiliori. Nego tamen istum influxum substantiæ fieri per actionem diversam ab actione accidentis. Non enim substantia, & accidens sunt duæ causæ partiales, petentes actiones diversas, sed sunt unica causa specifica, quæ constat ex principio *quod*, & *quo*. Pro unica causa sufficit unica actio, delativa influxus causæ. Nec confunditur influxus substantiæ, aut redditur instrumentalis, licèt fiat mediante potentia, tum quia potentia non est instrumentum, ut dictum est; tum quia talis p tentia, uæ latè vocatur instrumentum, data est substantiæ à nat ra, ut possit principaliter causare, quod autem est ratio causandi principaliter, non est impeditio, sed exp ditio influxus principalis. Solutiones, quas Suarius impugnat, non sunt doctrina nostra, quare de impugnatione nihil ad nos.

Ad authoritatem D. Thom. posítam n. 27. aliqui concedunt, quòd Deus in Eucharistia supplet actionem substantiæ vini destructæ, Eos impugnat Moneda dicens, Deum supplere existentiam substantiæ, non autem ejus actionem, quæ substantiæ semper repugnat. Accidentia vini sunt virtutes, & quasi instrumenta conjuncta, quæ sicut non possunt existere sine subjecto; sic nec operari. Ex suppositione cõversionis in sanguinem Christi, facit Deus duo miracula, unum, quòd accidentia vini existant sine subjecto, aliud, quòd sine subjecto operentur: in hoc secundo suppletur aliquid, sed non est actio substantiæ, sed conjunctio substantiæ, & accidentis, quæ debebat esse ad operationem, & non est.

Judico tamen verius dicendum cum D. Thoma, ibi distinguente actionem substantiæ, & actionem accidentis, & hanc ab illa pendere, quòd loquitur de influxu radicali substantiæ, qui non est diversa actio ab influxu accidentis, sed per eandem actionem defertur uterque influxus, ut dictum est. Hunc influxum radi-

talem supplet Deus, quia illum non potest præstare substantia destructa. Sed inde non infertur quòd substantia influat immediatè, ut patet.

49. Ad 1. rationem Suarij, dic actietatem stare in eo, quòd accidens ad producendum aliud accidens concurrit ut principium *quo*, & *quo*, proportionatum tam in esse virtutis, quàm in esse actus. Cæterùm ad productionem substantiæ concurrit ut principium *quo* tãtùm, & solùm proportionatum in esse virtutis. Vide dicta n. 38. ad tertiam probationem.

Ad 2. rationem nega quòd anima cõcurrat immediatè ad actiones vitales. Ad probationem dic quòd vehemens applicatio intellectus impedit coctionem alimenti, non quia tollit influxum immediatum animæ in actionem nutritivam; nam talis concursus impossibilis est, ut maiet probatum, sed quia vehementia applicationis animæ ad studium, rapit ad cerebrum majorem copiam spirituum vitalium; & stomachus destitutus spiritibus, tardiùs, & perperam decoquit alimentum. Hæc est ratio cur aliquando aspiciens nimis attentè objectum aliquod, non audit vocantem. Omnes enim potentiæ animales egent spiritibus vitalibus, à corde immissis, ut suas exerceant actiones; nimia oculorum attentio rapit spiritus ad se; & auris destituta debitis spiritibus, non exercet sensationem suam.

Ad 3. rationem N. Argentinas concedit quòd intellectus separatus ab anima intelligeret; & ibi dist putat sic posset se ivinitus beatus. Sed communis solutio negat intellectum posse agere separatus, quia est potentia conjucta, & principium *quo* vivendi; hoc autem non potest operari separatum à vivente ut *quod*, alioquin daretur vita sine vivente, quod implicat.

50. Ad nostram confirmationem, positam num. 28. dicimus substantiam, & accidens concurrere per eandem actionem; negamus tamen hunc concursum esse duplicis causæ, vel esse simultaneum, sicut est concursus Dei, & creaturę, aut aliarum causarum, suprà dictum est substantiã, & accidens non esse duas causas, sed unicam, adæquatã ex virtute radicali, & proxima. In cõcursu simultaneo Dei, & creaturę, aut quarumcumque causarum, dãtur duæ causæ, quarum quælibet habet virtutem suã proximam sibi propriam adæquatam, si causæ sunt adæquatæ, vel inadæquatam, si causæ sunt inadæquatæ. In præsenti non sic, quia substantia sola nullam, adhuc partialẽ, habet virtutem proximam, nec accidens virtutem radicalem; quare nec sunt duæ causæ inadæquatæ, sed unica. Nec officit probatio, quia suprà satis ostensum est, quòd accidens non est causa instrumentalis, imò nec ullo modo causa, sed principium *quo*, & virtus proxima causæ principalis, eidem appropriata.

Hęc Suarij sententia de simultaneo concursu substantiæ, & accidentis, improbatur fundamentis datis contrà Scotistas. Rursus, quia da-

to quòd substantia sit immediatè operativa, jam ponis causam æquantem perfectionem effectus, & illum continentem: ergo superfluit influxus accidentis. Sicut à contrario, semel posito accidente immediatè operativo, superfluit influxus immediatus substantiæ.

Si dicas cum Suario, requiri ad confortandum accidens. Contra, nam sæpè dum generatur fœtus, non existit substantia generantis, vel existit distans: quomodo ergo confortatur accidens à substantia non existente, vel distante? Si dicas cum eodem, Deum tunc supplere concursum substantiæ. Contra: Nam tunc Deus erit auctor specialis earum generationum, & sequentur alia inconvenientia, quæ Scotistis objicuntur: de quibus vide Monedam, Froylanum, & alios RR. Thomistas.

QVÆST. XI.

Quid sit, & quæ requirat causa instrumentalis?

§. I.

Traditur diffinitio, & divisio causæ instrumentalis.

1. IN solo genere causæ efficientis dantur instrumenta; quare ad completam notitiam causæ efficientis, agimus hìc de instrumentis, eidem deservientibus. Nec pro dignitate erit disputatio præsens, quia pendet à pluribus, quæ Theologica, vel animastica sunt. Sic quæritur. An humanitas Christi Dñi fuerit causa instrumentalis miraculorum? Quomodo Sacramenta novæ legis sint causa instrumentalis Gratiæ? An noster intellectus sit instrumentum luminis, & voluntas Gratiæ? An phantasma sit instrumentum intellectus agentis ad formandas species? An semen sit instrumentum generantis? In his, & alijs quæstionibus, DD. suam de instrumentis dant doctrinam, non certè ab omnibus vniformem; nec patet quando loquuntur de instrumentis latis, quando de rigor sis; unde non levis confusio oritur in eorum scriptis.

Doctrinam communem pro omnibus instrumentis dare intendimus, non tam disputativè, quàm doctrinaliter, desumptam ex D. Thom. 3. p. q. 62. art. 5. & 4. contra Gentes cap. 41. & ex B. Ægidio in 2. Sent. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 3. ubi diffinit instrumentum sic: Est illud, *quod elevatur ad agendum extra sphæram suæ propriæ activitatis, & agit simpliciter ut motũ applicatum ab agẽte principali* idem habet Quodl. 3. q. 1. & alibi.

Non agimus de instrumentali causa, latè sumpta. Sic vocatur quæcumque supponit aliam priorem causam, & quæcumque ab alia priori accipit virtutem. Quare cùm causæ sublunares inferiores, supponant Cœ-

le-

lestes, & omnes Deum primam causam; omnes dicuntur instrumenta Dei. At quia teste P. August. 7. de Civitate Dei cap. 30. *Sic Deus administrat omnia, quæ creavit, ut etiam propios motus exercere sinat*; ideò relatè ad proprias operationes sunt causæ principales, non instrumentales.

Idem P. N. super Psalmum 73. dicit de Romanis: *Facti sunt instrumentum irati, non Regnum placati. Facit hoc Deus, quod plerumque facit & homo. Aliquando iratus homo apprehendit virgam, jacentem in medio, cædit inde filium suum.* Et supra Psalm. 36. eundem reponens sensum, dicit: *Quid sibi plaudit iniquus, quia flagellum de illo fecit Pater meus? Illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium.* En proprium instrumentum. Virga inanimis, ex se impotens ad mirabilem effectum correctionis filiorum, assumitur à Patre principali causa correctionis, in ministerium corrigendi, ut deserviat correctioni. Sic Romanos, olim potétes, assumpsit Deus, ut cùm ex se essent Ecclesiæ persecutores, fierent instrumenta Patris emendantis filios suos. Et sicut homo semel emendato filio, eum amplexatur, & instituit heredem, virgam autem projicit in ignem: ita (ait P. August.) eos persecutores, quos assumpsit Deus in ministerium correctionis filiorum, projicit in ignem æternum, electos autem suos purgatos, & emendatos admittit ad hereditatem.

2. Vt ergo diffinitionem Ægidianam, supià positam intelligas, nota quòd virtus causæ potest esse illi propria tripliciter, nempe per sustentationem, per subordinationem, & per dimanationem. Tunc est propria per sustentationem, quando subjectum, in quo est virtus, non est proprium, nec illi debetur; at virtus illa continens effectum, recipitur in subjecto permanenter. Sic calor continens effectum calefaciendi, & lux effectum illuminandi, dum sunt in luna, & ferro candente, sunt in subjecto non proprio, quia nulli debentur: cæterùm quia semel receptæ virtutes istæ, fiunt propriæ per sustentationem illis subjectis; ideò dum ferrũ candens inflammat stupam, dum luna illuminat aërem, nec luna, nec ferrum sunt causæ instrumentales eorum effectuum, quia agunt per virtutem sibi aliquomodo propriam, unde non agunt plenè extra sphæram suæ activitatis.

Dicitur virtus propria per subordinationem, quando non dimanat à subjecto, nec est ei cõnaturalis, cæterùm continet effectum perfectè, & ita subordinatur subjecto operanti per illam, ac sic esset illi propria. Sic se habent habitus Fidei, & lumen Gloriæ respectu intellectus nostri, Charitas relatè ad voluntatem, Gratia habitualis in anima, & alia dona supernaturalia, præcipuè habitus supernaturales, qui licèt sint supra nostram naturam, & plenè indebiti; eis tamen in nobis receptis, utimur dum volumus, ac si essent nobis connaturales. Ob id Prophetia non est talis juxta D. Thomam, quia nullus prophetat dum

vult, sed dum movetur à Spiritu sancto, ut observant Theologi cum D. Thoma. Hinc fit, ut anima nostra, & potentiæ nostræ non sint causæ instrumentales actuum supernaturalium, quia agunt per virtutem sibi proptiã per subordinationem. Sed lingua, & mens Prophetæ est causa instrumentalis actus prophetandi, quia non agit peri virtutem sibi subordinatam, & propriam; sed per motionem Spiritus sancti causæ principalis.

Virtus est propria per dimanationẽ, quando continet effectum, & dimanat à forma, ut proprietas illius. Sic ignis mẽdio calore producens aliũ non agit instrumẽtaliter, sed principaliter, quia agit per virtutem continentem effectũ, ab ipso igne agente dimanãtem.

Hinc habes primam partem diffinitionis explicatam. Nam perinde est instrumentum agere extra sphæram activitatis propriæ, ac agere per virtutem plenè alienam, & nullomodo propriam. Vnde illud erit rigorosum instrumentum, quod agit per virtutem ab eo non dimanantem, nec illi subordinatam, nec in eo permanenter receptam. Sic Caiphas, cùm esset Pontifex anni illius prophetavit, & ejus lingua facta est instrumentum Spiritus sancti, quia id fecit per motionem virtuosam transeunter ipsi communicatam, ut posteà dicemus. Et ut exemplis notioribus utamur, serra scindit lignum, ut instrumentum artificis, quia nullam habet virtutem scindendi permanentem, aut illi propriam aliquo modo ex dictis, sed scindit per impulsum artificis, ipsi transeunter impressum, à quo elevatur, ut scindat.

3. Ex dictis patet secunda pars diffinitionis. Si enim instrumentũ non agit per virtutem, sibi ullo modo propriã, agit per virtutem alienam, & elevatur à causa principali dante virtutem transeunter. Sic data virtus, non tam est virtus, quàm motio, & applicatio ad agendum. Virtus dicit permanentiã, quia est secunda species qualitatis, & hæc est permanens. Ergo cùm instrumentum non agat per vitutem permanenter receptam, sed tranleunter, nõ tam agit per virtutẽ, quàm per applicationem. Ob id dicitur quòd instrumentum agit, ut motum, & applicatum ab agente principali.

Triplex est instrumentum, nẽpe *naturale*, *artificiale*, & *supernaturale*. Hæc divisio ab effectibus sumpta est; nam quia effectus est naturalis, vel artificialis, vel supernaturalis, tale dicitur instrumentum, qualis est effectus, ad quem assumitur. Ob id semen dicitur instrumentum naturale, quia deservit ad generationem naturalem effectus. At quia in semine est virtus generativa permanenter, ut patet in trit co, faba, & alijs seminibus, forsan hæc instrumenta non sunt, quod in præsenti non est opus disputare. Melius explicabis cum P. Augustino, dicendo agricolas non esse creatores frugum, sed instrumenta Dei creantis, & multiplicantis, quatenus deserviunt ad eum effectum naturalem. Vide S. P. lib. 3. de Trinit. cap. 8. Serra, & penicellus, instrumenta sunt artificialia, quia deserviunt effectibus artificiosis. Sacramenta nostra sunt instrumenta supernaturalia, quoniam di-

diſerviunt Deo cauſæ principali Gratiæ, nobis collatæ per Sacramenta. *Tanta ergo eſt virtus aquæ* (ait P. N. de Baptiſmo) *ut corpus tangat, & cor abluat.*

§. II.

Explicatur quomodo inſtrumenta elevãtur ad operandum.

CVM inſtrumentum ſit de genere cauſæ efficientis, quæ conſideratur jam in actu primo, hoc eſt potens cauſare, jam in actu ſecundo, id eſt actu cauſans; quæritur per quid elevãtur inſtrumenta in actu primo, per quidve in actu ſecundo?

Plures ex noſtris docent inſtrumenta artificialia elevari in actu primo per formam artificioſam, in eis introductam v. g. ferra dentificatur, ut ſic dentata ſit potens ſcindere. At in actu ſecũdo elevatur ferra per impulſum fabri ſcindentis, quo illã movet, applicat, & dirigit ad ſecandum.

De inſtrumentis naturalibus dicunt elevari per virtutem tranſeuntem derivatam à principali agẽte; quæ virtus qualitas eſt tanſeunter recepta. Talem habet ſemen ad generationem ſubſtantialem. Cetertùm in actu ſecundo elevatur per motum, & applicationem generantis; vel per rationes ſeminales rebus inditas, de quibus lib. 1. dictum eſt.

Hoc probant ratione; quia inſtrumentum non habet ex ſe virtutem ad effectum principalis agentis: ergo debet illam habere participatã à principali agente. Sed iſta eſt qualitas: ergo inſtrumentum in actu primo elevatur per receptionem qualitatis, ab agente derivatam.

Quoad ſecundam partem probant. Quia ſolùm indiget motione diſtincta illud, quod eſt indifferens ad operandum, vel non operandum: ſed ſemen, & inſtrumenta naturalia, non ſunt ita indifferentia, ſed plenè determinata ad ſuos effectus; ergo non egẽt motione, quę ſit entitas diſtincta ab inſtrumento, ſed rationibus ſeminalibus, quæ à rebus indiſtinctę ſunt.

5. Dicendum breviter nunc puto quod alibi prolixiùs probare ſpero; nempe inſtrumentum non elevari in actu primo, nec id eſſe neceſſarium; ſed ſolùm in actu ſecundo. Probatur hoc aſſertum, quia cauſa inſtrumentalis propria non agit effectum, quem continent, ſed quem non continet, & ob id agit extra ſphęram ſuæ activitatis, ut aqua Baptiſmi ablutionem animæ, quam nec continet, nec poteſt continere, cùm effectus ſpiritualis nequeat contineri in virtute corporali & ſenſibili: ergo non debet elevari in actu primo. Patet conſeq. quia talis elevatio ſolùm eſſet, ut inſtrumentum contineret effectum, & ſic illum poſſet producere: ſed ad hoc non eſt neceſſarium inſtrumentum, quia non aſſumitur ad effectum, quem continet, ſed ad quem non continet; ergo.

Rurſus: Non tam aſſumitur inſtrumentum, quàm actio inſtrumenti ut deſerviat agenti principali: ergo non debet elevari inſtrumentum, ſed ejus actio ad effectum principalis agentis: ſed ſi elevatur actio inſtrumenti, ele-

va-

vatur instrumentum in actu secundo, non in actu primo: ergo instrumentum non elevatur per illam qualitatem receptam, qua fiat potens & virtuosum. Hinc habes, quòd semina, & segetes non sunt instrumenta; quia cùm habeant virtutem, ut semel tertæ mandata, & passo applicata, multiplicentur, instrumenta non sunt, saltem rigorosa.

Dic secundò, quòd instrumenta in actu secundo elevantur ab agente principali per applicationem, qu eorum actio ordinatur ad effectum agentis principalis. Explicatur in serra, quæ ratione suæ artificiosæ denaturę, potest scindere, & hæc actio est ei velut propria. Certum licèt nullam qualitatem receperit, qua in actu primo contineat cathedram, vel scamnum, quæ sunt effectus fabri agentis principalis, ejus tamen scissio; vel actio scindendi elevatur à fabro-lignario ut efficiat scamnum, vel cathedram. Sed per quid elevatur? Non sanè, nisi quia serręactio ordinatur ab artifice in illum effectum. Sic actio naturalis aquæ exteriùs lavantis corpus ordinatur à Deo ad effectum lavandi animam. Hæc ordinatio est elevatio instrumenti, nec est in actu primo, sed in actu secundo.

6. Circa instrumenta supernaturali major difficultas est, quæ Theologos in varias divisit sententias. Prima asserit, quòd elevantur in actu primo per aliquam qualitatem supernaturalem, sic plures Thomistæ cum D. Thoma, tenente in Sententiarijs, quòd Sacramenta sunt causa instrumentalis effectiva Gratiæ, quia educitur de potentia subjecti, & non creatur à Deo. Rursus Baptismus, Confirmatio, & Ordo sunt effectiva characteris; ceterùm hęc Sacramenta, cùm corporalia sint, nequeunt producere effectum spiritualem, & supernaturalem, nisi eleventur ut instrumenta Dei causæ principali, & sic elevantur in actu primo per qualitatem quãdam supernaturalem, & spiritualem.

Contra hanc sententiam agit N. Argentinas in 4. Sent. dist. 1. art. 2. ostendens ex P. Augustino, quòd virtus Sacramentorum non est intrinsecè recepta in eis, sed est virtus Dei eis extrinsecè assistens, & producens effectum. Tum ratione, quia Gratia, & character non educuntur, sed creantur, ut docet D. T. Quod enim educitur, debet esse de potentia naturali subjecti; sed ad effectus supernaturales nulla est in nobis potentia naturalis, ut dicitur contra Pelagium: ergo Gratia, & omne supernaturale non educitur, sed creatur, & sic à solo Deo fit. Tum quia virtus illi data Sacramentis, cùm sit spiritualis, esset tota in toto Sacramento, & tota in qualibet parte, quod patet non sic esse, quia illa virtus non est in qualibet parte, aut verbo formę sacramentalis. Vide plura loco citato.

Alij dicunt sacramenta elevari per quamdam motionem virtuosam, Sic Parra, Prado, & alij, qui quatenus dicunt elevari per motionem, videntur solùm concedere elevari in actu secundo; ut autem dicunt

mo-

motionem esse virtuosam, indicant esse virtutem, transeunter datam, & sic elevantem in actu primo. Quid quid sit, dummodo assigent qualitatem intrinsecam receptam in instrumentis, easdem habent contra se difficultates, ac prima sententia.

Alij docent cum Suario, elevari instrumenta per auxilium & concursum effectui proportionatum, sed indebitum instrumento, ut res quædam est. Alij docent elevari per extrinsecã assistẽtiam Dei causę principalis effectus supernaturalis. Cęterùm vel instrumẽtis conceditur efficientia in effectũ supernaturalem, vel non. Si primum? Non sufficit extrinseca assistentia, quę relinquit intrinsecè naturalem actionem instrumenti, & sic ineptam pro effectu naturali. Si secundum? Non est necessaria illa extrinseca assistentia ex parte instrumenti, sed ex parte effectus, qui illam peteret, etsi à sola causa principali ouiretur.

7. In re difficili, & Theologica satis erit pro nunc sententiam insinuare. Dicimus cum B. Ægidio, & ejus discipulo Argẽtina ubi suprà, quòd Sacramenta, & instrumenta supernaturalia, quæ dicuntur causare Gratiam, non habent efficientiam immediatam in effectum spiritualem & supernaturalem, sed unicè dispositivã, quatenus causant dispositionem quãdam, quæ non est talis ex natura sua, sed ex institutione Dei authoris Sacramentorum. Vnde ego causent istam dispositionem, non elevantur in actu primo per qualitatem spiritualem, sed in actu secundo. Hæc elevatio in actu se-

cundo nõ est per motionẽ virtuosam, aut extrinsecam assistentiá aut, cõcursum indebitum, ut docent sententiæ relatæ, sed per meram assumptionem actionis propriæ instrumentorum, & ordinationem ejus ad effectum Gratiæ causandum. Quare per hoc quòd Christus Dñus assumpserit pro Gratia regenerationis danda, actionem aquæ exteriùs abluentis, & illam per verba formæ ordinaverit ad talem regenerationem impertiẽdam, aqua elevata est, & Gratiam causat instrumẽtaliter.

Breviter ex dictis probatur. Quia instrumentum non petit cõtinentiam effectus, nec elevationem in actu primo, ut probatum est: ergo solùm debent Sacramenta elevari in actu secundo: sed instrumentum elevatur in actu secũdo, quatenus actio elevatur: & actio instrumenti elevatur quatenus ab agente principali ordinatur ad effectum causæ principalis, instrumento improportionatum: ergo sine qualitate additá, sine motione virtuosa, & sine alijs, de quibus suprà, satis elevantur instrumenta supernaturalia per ordinationem, à nobis explicatam.

§ III.

An sit necessaria propria actio in instrumento, ut elevetur.

Affirmativa sententia in nonnullis quoad aliquos principijs est evidentissima: sed tamen nonnulli elevatur, nisi quatenus ejus actio assumitur ad effectum principalis agentis, & instrumentum, quod

quod nullam propriam habet actionem, non erit elevabile: ergo nec erit, aut esse poterit instrumentum.

Hanc sententiam tenent omnes communiter contra Scotum, & aliquos. Pro qua vide Complutenses disp. 12. q. 2. & N. B. Ægidium in 2. Sent. dist. 1. p. 1. q. 2. art. 5. Docetur communiter, quòd res plenè inanimis, & mortua, hoc est carens omni actione, non potest esse causa instrumentalis.

Conclusio est æquè certa de omnibus instrumentis, sed evidentiùs ostenditur in artificialibus, & naturalibus. Nam si de ratione instrumenti non esset habere actionem propriam effectivam, vel dispositivam ad effectum principalis agentis, frustrà agerentur artificialia, vel naturalia instrumentis ad sua opera; cùm æquè agerent, nec amplius illis adjuvarentur, quàm sine illis. Rursus, non magis conduceret unum instrumentum, quàm aliud, cùm nulla actio cõducens esset in uno, & non in alio; quare æquè benè posset quis uti malleo, aut serra ad scribendum, quàm calamo, & penicello. Sed hæc ad oculum falsa sunt: ergo & quòd instrumentum dari possit, quod non habeat actionem propriam.

Hæc ratio nedum probat quòd instrumẽtum debet habere actionem propriam, sed quòd illa debet conducere ad effectum principalis agentis. Est patet, nam serra & calamus suas habent actiones proprias, necessariùm quilibet actio calami magis conducit ad scribendum, quàm actio serræ; ideò serra non est elevabilis ad scribendum, benè tamen calamus.

9. Sed quid dicemus de instrumentis respectu Dei, qui non utitur illis ex indigentia, sed ex fœcunditate? Dicendum est cum B. Doct. loco citato, quòd etiam in instrumentis Dei requiritur actio propria. Probatur. Nam instrumentum est causa effectus, inquantum ministrat agenti principali: sed res quæ nullam habet actionem, in nullo potest Deo ministrare: ergo talis non est elevabilis ut sit instrumentum Dei.

Dicimus secundo. Res, quæ habet quamcumque actionem, & si non conducentem ad effectum Dei est tamen elevabilis à Deo, ut sit ejus instrumentum. Vnde sicut Deus instituit aquam ad lavacrum spirituale, quia in ea invenit actionem lavandi corporaliter, quæ conducebat; potuit ignem, aërem, aut aliud elevare ad spirituale lavacrum. Probatur. Quia Deus non utitur instrumentis, vt eis adjuvetur, hoc enim est proprium agentis creati, virtutem habentis finitã: sed utitur ex fœcunditate, ut nempe illis conferat activitatem? ergo quamcumque in instrumẽto inveniat actionem, eam potest ordinare in effectum principalem. Hinc colliges instrumenta Dei, præcipuè Sacramenta non tam esse physica, quàm moralia, quatenus actio physica sæpiùs non conducens, ordinatur ex institutione Dei ad talẽ effectum causandi. Objicies contra primum assertum. Aliqua sunt instrumenta ubi nulla apparet actio propria, de

sin-

ſtincta ab actione agentis : ergo quia non requiritur ad rationem inſtrumenti. Probatur antecedens. Sigillum imprimens figuram in cera, nullam habet actionem, niſi impreſsionem; & hæc eſt actio agentis imprimentis. Serra etiam, quæ non habet niſi duriem ferri, figuram dentatam, & gravitatem, qua tendit deorſum. Ab his enim nulla actio propria oritur, nec alia apparet niſi ſciſsio, quæ eſt actio moventis. Corpus mortuum nullam habet actionem; & tamen ad ejus contactum fiunt ſæpè miracula, quorum Sanctorum corpora inſtrumentà ſunt. Mors, & Reſurrectio Chriſti D. noſtram nunc juſtificationem operantur; cùm tamen nullam habeant actionẽ, eò quòd jam præteritę ſunt.

Reſpondemus neg. antec. quod non probant exempla. Ad primum, & ſecundum exemplum dic, ſigillum artificiosè lineatum, & ſerrã arte dentatam, habere virtutem ſciſsivam, & figurativã; quæ ut exerceatur per actionem, pendet ab impulſu moventis, qui ſanè diſtinctus eſt ab actione ſciſsiva ſerræ, & figurativa ſigilli. Sicut in pipere, & vino virtus eſt calida, ſed pendens à calore ſtomachi, ut actum ſuum efficiat. Ad aliud de cadavere dic in eo contactu aliquam habere actionem, & talis eſt vel impulſus, quo cadaver applicatum eſt, vel gravitas qua deſcendit, vel aliqua infrigidatio, vel altera qualitatis alteratio, qua corpora tanguntur ſecundùm ſenſibiles qualitates. Ad ultimum dic quòd Mors & Reſurrectio Chriſti Dñi non fuit cauſa inſtrumentalis noſtræ juſtificationis, ſed conditio, ut humanitas Chriſti eſſet inſtrumentum juſtificationis noſtræ, & remiſsionis peccatorum, nec non reſurrectionis noſtræ.

Pro complemento doctrinæ circa cauſam efficientem plura deſiderantur, quæ alibi diſcutientur, ut de cauſalitate cauſæ efficientis, de quæ lib. 3. ſequenti: de cauſa efficiente increata, de creatione, de concurſu cauſæ primæ ad effectus & actiones cauſarum ſecundarum; de quibus in principio tomi ſequentis uberrimè, ne præſens ſit nimia molle oneroſior.

QVSÆSTIO. XII.

Quænam ſit ratio formalis finalizandi?

§. I.

Explicatur quid ſit finis, & quotuplex.

1. ACTVM eſt de cauſis materiali, formali, & efficienti in particulari, nunc reſtat de finali cauſa utiliſsima, licèt difficilis diſputatio, quam Theologi etiam inſtituunt agentes de ultimo fine. De fine plura diſputãtur, nec poſſumus in præſẽti omnia prolixè diſcutere, neceſſa-

laria tamen de mente Doct. nost. proponemus, præsertim, quę nos juvare possunt pro stabilienda tomo sequenti Augustiniana sententia circa cõcursum Dei ad actiones creatas.

Dari causam finalem, testantur omnia agentia, quę, ut videbimus, operantur propter finem; unde sicut in mundo nihil est, quod non habeat causam efficientem, cùm omnia à Deo facta sint; ita nihil est, quod non sit ordinatum, & non habeat causam finalem; alioquin temerè, & sine providentia factum esset, ut arguit P. August. lib. 83. qq. disputans contra negantes causam finalem, & casum admittentes, ubi ait: *Quidquid casu fit, temerè fit: quidquid temerè fit, non fit providentia: si ergo casu fiunt aliqua in mundo, non providentia universus mundus administratur. Quòd si non providentia, est ergo aliqua natura, atque substantia, quæ ad opus providentiæ non pertinet.* Quo dimisso veluti absurdo, dicit stultos esse sic cogitantes, cùm omnia eum servent ordinem, & in eum tendant finem, quem eis præscripsit Divina providentia.

2. Finis ergo qui aliquando sumitur pro termino rei, & sic opponitur principio ejusdem; nunc sumitur pro illo bono intento ab operante, & diffinitur ab Arist. hìc textu 29. sic: *Est id, cujus gratia alia fiunt.* Vnde ab alijs sic, *id propter quod fit effectus.* Vnde P. August. in Rhet. cap. 2. dicit: *Finis est in omnibus rebus, ad quem cuncta referuntur, cujus gratia fiunt reliqua omnia.* Sic deambulatio fit gratia sanitatis, & propter sanitatem; quare est finalis causa deambulationis.

Observa quòd ad rationem finis duo requiruntur, nempe quòd finis appetatur propter se, & quòd reliqua appetantur propter ipsum. Hinc finis intermedius, ille scilicet, in quo non sistit appetitus, sed ad alium ordinatur, finis propriè non est, cùm propter se non appetatur, sed propter id, ad quod ordinatur, ut docet Philos. lib. 2. Metaph. text. 8. & P. August. lib. 11. de Trinit. cap. 6. dicens: *Voluntas videndi, finem habet visionem, & voluntas hanc rem videndi, finem habet hujus rei visionem*, quia nempe, ut ibi docet, visio ipsa ordinatur ad rem, quæ videtur, & propter rem videndam appetitur visio.

3. Dividitur finis in finem *cui*, & finem *cujus*. Iste est, cujus gratia aliquid fit, vel intenditur: ille est subjectum, cui tale intenditur bonũ. Sic medicamenta sumuntur propter sanitatem. Sanitas est finis *cujus*, subjectum autem cui sanitas desideratur, est finis *cui*.

Quæres, quis horum habeat propriè rationem finis? Henricus, Gabriel & Okam, dicunt quòd finis *cui*: nam in illo sistit intentio agentis. Alij docent oppositum. Dicendum tamen cum communi sententia, quòd ex utroque resultat finis adęquatus.

Probatur. Nam in utroque est sufficiens bonitas, nec possunt seorsim appeti; quia sicut non fit sola materia, nec sola forma, sed compositum ex utraque: sic non potest quis optare solam sanitatem, nec solum subje-

jectum, sed utrumque, nempe sanitatem huic subjecto. Nota, quòd finis *cui* est veluti materia, & finis *cujus* est ut forma; quia sicut agens intendit formam in subjecto, sic appetitus terminatur ad sanitatem, subjecto convenientem.

4. Rursus dividitur finis in formam, & usum. Finis *forma* est rectitudo artefacti; finis *usus* est usus, vel utilitas illius. Sic dum fabricatur domus, ut habitetur, finis forma est domus rectè facta; sed hic finis ordinatur ad alium superiorem, scilicet ad finẽ usus, quia fit ut habitetur. Huic divisioni coincidit alia, nempe in finem operis, & finem operantis. Ille est illud, quod fit: iste autem est illud, ad quod deservit id quod fit. Vt in exemplo dato.

Rursus dividitur finis in finem *qui*, & *quo*. Finis *qui*, est illud quod intenditur; finis *quo* est ipsa consecutio, vel actus quo consequitur. Sic Deus est noster finis *qui*, unio autem nostra cum Deo per cognitionem, & amorem, est finis *quo*. Cum ista coincidit alia divisio in finem formalem, & objectivum. Formalis est consecutio illius quod intenditur; objectivus est bonum desideratum. Sic Deus in se est finis, & beatitudo nostra objectiva: fruitio autem, delectatio, amor, & cognitio, quę sunt actus nostri, quibus Deum assequimur, sunt beatitudo nostra formalis & formalis finis.

Rursus dividitur finis in finem effectum, & finem obtinendum. Obtinendus est, qui existit ante operationem agentis, sed non possidetur: ut Deus finis noster. Effectus, vel efficiendus, est qui efficiendus est per operationem agentis appetentis. Vt domus efficienda ab artifice, propter quam plura præparat, & efficit.

5. Rursus alius est finis ultimus, alius non ultimus qui vocatur intermedius. Vltimus est, qui ad nullum alium ordinatur, ut Deus. Intermedius est, qui nõ propter se, sed propter alium, ad quem ordinatur appetitur: Sic omnes creaturæ, si debitè amantur, nõ propter se, sed cum ordine ad Deũ, & propter Deum amãtur.

Vazquius negat finem intermedium esse propriè finem, cùm non ametur propter se, sed propter aliud: unde solùm agnoscit finem ultimum. Contrarium docet communis sententia, & videtur expressum in P. August. lib. 11. de Trinit. cap. 6. Vbi relatis varijs voluntatibus, quibus bona intendimus particularia, dicit: *omnes istæ, atque aliæ tales voluntates, suos proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, qua volumus beatè vivere, & ad eam pervenire vitam, quæ non referatur ad aliud, sed amanti per se sufficiat.*

Ratio idem suadet: Nam causa efficiens inferior est vera causa, licèt relatè ad causã superiorem sit potiùs effectus illius. Rursus principia scientiæ subalternatę sunt vera principia, licèt relatè ad scientiam superiorem subalternantem sint potiùs conclusiones. Ergo potest quid esse finis alicujus actionis, etiam si relatè ad finem superiorem non sit finis, sed medium.

Observa quòd in fine intermedio

dio est ratio finis, & ratio medij. Finis est, quatenus est bonum de se appetibile: medium, quatenus appetitur, non ratione suę bonitatis, sed ratione conducentiæ & ordinationis ad ulteriorem finem. Et cùm in medijs non repugnet ista duplex bonitas absoluta, & relativa, non repugnat esse finem, & ad aliud ordinari.

Vide in B. Ægidio alias divisiones fin's, ut in finem actus, & finem objecti &c. de quibus D.N. in 2. Sent. dist. 33. dub. 3. litt. Si verò desideres has divisiones disputatas, cõsule P. Suarium in Metaphysica disp. 23. sect. 2.

6. Explicata finis essentia, ejusque divisionibus, dubiũ est an sit causa realis? Videtur quòd non. Nam causa realis est principium: sed finis non est principium: ergo nec causa. Rursus causa realis realiter influit; & ad sic influere necessaria est existẽtia: sed finis sæpè non existit quando agens dicitur agere propter finem, ut dum infirmus sumit medicinam propter sanitatem; tunc enim non existit sanitas, sed posteà erit: ergo non est causa realis. Rursus nil potest esse causa realis sui: sed finis aliquando est causa actionis, qua finis fit, ut sanitas est causa curationis, qua sanitas efficitur: ergo non est realis causa. Tandem finis non influit nisi metaphoricè: sed causa metaphorica non est realis: ergo &c vide plura in Suario vbi suprà sect. 1.

Contraria sententia est verissima, & teste Suario est dogma philosophicum, & Theologicum. Docetur ab Arist. lib. 2. Metaphys. c. 3. & lib. 11. c. 1. & 2. & in Physica lib. 2. text. 15. & seqq. Idem docuit Plato in Phędone. & Socrates nullã aliam causam putavit, nisi finalem: quod intelligendum est ita, ut sit omniũ prędipua, & prima ordine causalitatis, & dignitatis, ut docuit Arist. hìc textu 31. dicens: *Quæ enim est, cujus causa potissima est.* Id probat B. Ægidius in prima propos. de causis littera R. dicens: *Nam finis imponit necessitatem efficienti; efficiens formæ; & forma materiæ.* Vnde lib. 2. Physic. lect. 10. dicit N.F.D. *Finis comparatur ad efficiens, quasi forma ad materiam. Sicut enim materia de se quid indeterminatum dicit, determinatur autem per formam; sic efficiens determinatur per finem.*

Ratione probatur. Nam efficiens operans propter finem, movetur à fine, propter quem operatur: sed hæc determinatio, & motio non potest oriri à causa ficta, chimærica, & rationis: ergo à vera, & reali causa. Rùrsus finis sic movet aliquando, ut tollat libertatem nostram, ut patet in Beatis, qui à Deo clarè viso & fine ultimo necessitantur ad sui amorem: at causa, quæ non esset realis ex genere suo, nec Deo posset convenire, munus illius, nec ita fortiter agere, ut potentiã liberã necessitaret: ergo &c.

7. Nec urgent fundamenta cõtraria, quorum solutio plena pendet ex dicendis. Ad 1. dic quòd finis est primum, & ultimum: primum in intentione, & sic est principium, & causa motus; ultimum in executione, & sic est terminus, in quo cessat motus, & appetitus.

Ad 2. dic quòd finis non exi-

stens

ſtens in re, exiſtit in cognitione, & apprehenſione; vi cujus exiſtentiæ poteſt eſſe cauſa realis, & realiter influere. Vnde ſanitas apprehenſa movet infirmum ſumere potionem amaram propter ſanitatem habendam in re.

A 3. , hoc eſt peculiare in finali cauſa, quòd poſit eſſe cauſa ſui; quia illa ſola non exiſtens in re, ſed in apprehenſione cauſat, & poteſt eſſe cauſa ſui ut in re. Neque eſt neceſſarium quòd dicat relationem realem ad ſeipſam, ſed ſatis eſt, quòd actio, qua fit ſanitas in re, dicat relationem dependentiæ à cauſa finali, nempe à ſanitate ut apprehenſa.

Ad ultimum, cauſalitatem finis non ideò dici à Phyſis. metaphoricam, quia non ſit vera & realis, ſed quia hoc verbo illam diſtinguunt à cauſalitate cauſæ efficientis, vel quia efficiens cauſat ſe diffundens, finalis autem à ſe trahens, vel ſi finalis etiam influit, ut dicemus, non petit exiſtentiam realem, ſed intentionalem ad hoc: & ideò vocatur metaphorica cauſa. At eſt realiſſima, & realium prima, ut benè notat Suarius vbi ſuprà ſect. 1. num. 6. & patet in omnium Theologorum ſententia, qui contra Socinianos defendunt actus immanentes Dei non habere cauſam finalem, nec unum eſſe propter alium, ut finem, eò quòd Deus ens à ſe, nullam habet ſui cauſam. Quæ probatio nulla eſſet, ſi finis in omnium ſententia non eſſet realis cauſa. Hoc amplius conſtabit dum realem virtutem ejus, illius cauſalitatem, & effectum realem explicemus.

§ II.

An finis moveat efficienter, explicatur.

8. PRIus quam videamus, qua virtute cauſat finis, oportet expendere quomodo cauſat. Prima opinio fuit Gotfredi, qui Quodl. 6. tenuit voluntatem, & intellectum eſſe potentias merè paſſivas, & nullam in actus ſuos habere efficacitatẽ, ſed intellectionẽ fieri à phantaſmate, & recipi in intellectu; volitionẽ autem fieri ab objecto apprehenſo, & recipi in volũtate. Hæc opinio impugnatur à Scoto in 2. Sẽt. diſt. 25. q. 1. & à noſtro Ariminẽſi in 2. diſt. 24. q. 1. Et omiſſis varijs impugnationibus, ũnica nobis ſufficit pro voluntate, quę eſt potentia libera: ſed libertas non ſtat ſine dominio & influxu in ſuos actus; quapropter Tridentinum damnat hæreticos docentes voluntatem noſtrã ſe habere merè paſſivè ad ſuos actus ſupernaturales Seſſ. 6. Can. 4. ut potè ſic evertẽtes libertatem voluntatis: ergo hęc opinio, ut erronea rejicienda eſt. Vide Durandum eadem diſt. q. 2. impugnantem eandem opinionem, quæ quoad voluntatem fuit aliquorum Scholaſticorum, unde ab hæreticis deſumpta eſt.

Secunda ſententia eſt Marſilij in 2. Sent. diſt. 16. art. 3. concluſione 2. ubi docet actiones naturales, & indeliberatas voluntatis, quas vocat primarias, eſſe effectivè à ſolo objecto cognito; ceterùm actiones liberæ ſunt à volunte efficiẽter. Hoc probat, quia voluntas in efficiẽtia ſuorum actuum eſt libera: ergo actus voluntatis,

qui

qui liberi non ſunt, à voluntate non ſunt, ſed ab intellectu, & objecto cognito. In hanc ſententiam teſte Vazquio inclinat Scotus.

Ceterùm rejicitur, quia actus illi neceſſarij voluntatis ſunt vitales, & ſpontanei, & voluntarij: ergo ſunt à voluntate vivente per illos, & influente, ut principio intrinſeco cum cognitione. Deinde nam volũtas Dei, & Beatorum, amans neceſſariò divinam bonitatem, verè eſt activa ſui amoris, & verè vivit amando: vivere autem non eſt purè pati, ſed agere, quia vita eſt *motus à ſe, & in ſe*. Ly *à ſe* dicit principium effectivum, ſicut ly *in ſe* ſubjectum receptivum.

9. Suppoſito de mente omnium Scholaſticorum omnes actus voluntatis eſſe efficienter à voluntate, dubium eſt an ſint efficiẽter etiam ab objecto cognito? Sententiam affirmativam ut de mente D. Thomæ defendit Cajetanus 1. p. q. 80. art. 2. Conradus eodẽ articulo. Henricus Quodl. 9. q. 5. litt. C. Nec diſſentit Durand. in 2. diſt. 24. q. 2. num. 21. & ut Cajet. obſervat, illi Thomiſtæ, qui tenent cum D. Thoma voluntatem moveri quoad ſpecificationem ab objecto, tenentur aſſerere objectum concurrere efficiẽter ad actus voluntatis. Eandem ſententiam docuit B. Ægidius in 2. Sent. diſt. 1. p. 2. dub. 3. litt. & diſt. 38. q. 1. art. 1. & Quodl. 5. & alijs locis, quæ allegat in Theologia N. Gavardi, ut teneat prædeterminationem conſiſtere in actu inſpirato; nam dicit volitionem noſtrã fieri ab objecto ſub ratione qualitatis, & quòd per illam voluntas moveatur, ut actu ſe exerceat vitaliter, & libere per volitionem. Sententiã Ægidianam de influentia objecti in volitionẽ docent noſtri Jacobus de Viterbio Quodl. 8. q. 5. art. 2. Gerardus in 1. Sent. diſt. 1. q. 4. Villanova 2. Phyſic. diſp. 5. dub. 5. & eſt communis in noſtra Schola.

Hujus ſententiæ fuiſſe P. Auguſtinum, conſtat ex lib. 9. de Trinit. cap. 12. Vbi agens de principio cognitionis, docet eſſe intellectum, & objectum. Ibi conſequenter tractans de principio amoris, aut volitionis, dicit eſſe etiam objectum cognitum. En verba S. P. *Omnis res, quamcumque cognoſcimus, congenerat in nobis notitiam ſui.* Non dicit *generat*, ſed congenerat, ne putes à ſolo objecto effici intellectionem, & notitiam, ſed etiã ab intellectu comproducente. Poſteà dicit ſic: *Manifeſtè oſtẽditur hoc eſſe amoris principium, unde procedit; ab ipſa quidem mente procedit*: en ab intellectu, proponẽte objectum, efficienter procedit amor, & quicũque actus voluntatis.

10. Probatur etiam authoritate Commẽtatoris 12. Metaphyſicæ comm. 75. vbi docet quòd appetibile dupliciter movet appetitum, ſcilicet effectivè ſecundùm quod eſt apprehenſum; & finaliter ſecundùm quod eſt extra animam. Vnde D. Thomas 1. p. q. 80. art. 2. in corp. dicit quòd *Potentia appetitiva eſt potentia paſſiva, quæ nata eſt moveri ab apprehenſo.* Quem locum, ſicut alia exponit ibi Cajetanus de motione effectiva, & de finali, ut de mente Averrois dictum eſt.

In

In eodem principio fundatur B. Ægid. u obje to tribuat eficiétiá in actus voluntatis. Nam paſsivum, ut p ſſivum non oteſt agere, ſed pati; ſed volu tas eſt potentia a petitiva paſsiva, ut talis: ergo niſi actuetur ab bjecto ap rehenſo, nil poteſt efficere. Nec ſufficit actuari formaliter, ut dicunt DD. contrarij, ſed requiritur actuari efficient . Tum quia formalis actuati ſt p r modum objecti, & reliquit voluntatem ſubjectivè paſsivam, ut ra anteà, & ſic impot ntem agere. Tum, qu a ſicut materia non poteſt agere, quia eſt potentia paſsiva; agit tamen in compoſito dum cooperatur formæ activæ; ita voluntas cooperans objecto cognito, agit, nec aliter agere poſſet.

II. Secundò probatur ratione. In actu voluntatis quidquid eſt, ab aliquo principio effectivo eſt: ſed in actu eſt ſ tificati , & ex rcitium, hoc eſt conceptus ſpecificus, & individualis actus: ergo uterque eſt ab aliquo principio. Sed ſpecificatio actus nō eſt à voluntate: ergo eſt ab objecto effectivè. Patet conſeq. & m n. ſubſumpt r batur. Si ſpecificatio actus eſſet à potentia non poſſet voluntas habere actus diverſæ ſp cici, ut ſunt amor, odium, fruitio, deſiderium &c. quod conſtat eſſe falſum. Seque a patet. Omnes actiones, quæ ſunt à calore ejuſdem ſpec ei, unt actiones ejuſdem ſp ci i, non enim ſt major diſtinctio in pr ncipiatis, quàm in principijs, dum diſtinctio effectivè venit à principijs. Voluntas utem eſt potentia ejuſdem ſpeciei: rgo omnes actiones ejus ſorent juſd m ſp c ei.

Confirmatur à Caje ano ex D. Thoma hìc. Voluntas eſt in potentia ſecundùm ſe ad pecificationem; ob id n m determina ur ab objecto, nec poteſt à ſeipſa: ergo vel effectivè à nullo determina ur, & hoc ſtultum eſt; vel determin ur effectivè ab objecto; & ſic objecti.... non ſolùm formaliter objectivè oncur t ad volition m, ſed efficienter.

Confirmatur 2. à p ritate Verbi Divini, quod effectivè producit ſpiritum Sanctum, qui eſt amor. Verbum Diuinum eſt notitia ſubſiſte s, ſicut verbum noſtrum eſt notitia accidentalis intellectui inhærens. Vnde ſic. Subſiſtentia adjuncta cauſæ, non mutat cauſam de uno genere in aliud, ſed mutat tantùm modum cauſandi ſntra idem genus: ſed Verbum Divin m quod eſt objectum cognitum, & Verbum à Patre expreſſum, effectivè producit amorem: ergo verbum noſtrum, & objectum cognitum à obis effectivè concurrit ad actus noſtræ voluntatis. Diſcrimè autem ſubſiſtentiæ in Verbo Divino facit illud eſſe principium *quod*, quia actiones ſunt ſubſiſtentium *ut quod*: verbum autem noſtrum non eſt effectivum *ut quod*, ſed *ut quo*.

Et urg tur. N m licè intellectus noſter ſit accidentalis, Divinus autem ſubſtantialis, infert D. Thomas intellectu n Patris eſſe potentiam geer tivam, & ſſimilativam Filij in natura, ex quo noſter intellectus eſt licèt imperfectè aſſimilativus: ergo ex quo Divinum Verbum ſit ef-

fe-

fectivum amoris, benè sequitur nostrum etiam esse amoris effectivum, licèt non ità perfectè, nempe illud *ut quod*, & amoris substantialis; hoc autem *ut quo*, & amoris accidentalis.

12. Dices cum Vazquio, cui hæc ratio non placet. Verbum non ideò influit in amorem Divinũ, quia est Verbum, & notitia, sed quia à Patre recipit, quidquid Filiationi non repugnat, & talis est potentia spirativa amoris. Contra. Nam hoc est verum, sed non dissolvit. Nam intellectus noster dimanans ab anima radicante intellectionem, & amorem, etiam recipiet ab ea omnem vim, quæ intellectui non repugnet; sed intellectui non repugnat influere in amorem per modum verbi cogniti, sicut ei non repugnat juxta contrarios actuare formaliter voluntatem: ergo sic influit.

Præterea. Spiritus sanctus, qui est amor, procedit à Patre, & à Verbo Divino effectivè, quia est amor mutuus, petens procedere à duobus: at etiã amor noster determinatus quoad speciem, & quoad exercitiũ, petit procedere effectivè à principio utroque modo determinato: ergo petit procedere à duobus, nempe objecto determinante quoad speciem, & voluntate determinãte quoad exercitium. Adde quòd non est major ratio cur intellectio procedat ab objecto cõcurrente effectivè, quàm ut volitio procedat effectivè ab objecto cognito, ut ex P. Augustino dictum est.

13. Contrariam sententiam tenent Capreolus, & alij citati à Cajetano, nec non Vazquius 1.2. disp. 36. Hurtado disp. 14. de Anima sect. 5. §. 36. Moventur 1. quia nulla est ratio urgens, ad statuendum quòd objectum movet efficienter voluntatem, & cum ea efficiat volitionem. 2. quia non est intelligibile qualiter concurrat. Nam ad veram efficientiam requiritur existentia causę: sed bonum, quod desideratur, aliquando, & ferè semper non existit: ergo non influit efficienter. 3. Causa non agit in distans: sed aliquando voluntas amat bonum distans: ergo talis amoris non est causa bonum amatum. 4. Actus liber non potest esse effectus causalitatis necessariæ: sed causalitas objecti est necessaria: ergo objectum non est effectivum actus liberi. 5. Omnis actus vitalis debet esse à principio adęquatè vitali: sed objectum nõ est principium vitale: ergo &c. 6. Effectus assimilatur suæ causæ: sed amor non assimilatur objecto cognito, nec speciei, nec cognitioni, sed solùm voluntati: ergo sola voluntas est causa effectiva illius.

Confirmatur 1. Objectum non potest esse causa principalis, nec instrumentalis amoris: ergo nullo modo est causa efficiens. De instrumentali probatur sic. Instrumentum est ignobilius effectu: sed amor non est nobilior cognitione objecti, sed è contra: ergo cognitio non est instrumentum. De principali sic. Si cognitio objecti esset causa principalis objecti, amor viæ, & Patriæ essent specie diversi, quod negat D. Thomas. Probatur sequela. Nam variata causa principali, variatur effectus: sed cogni-

tio

tiones Dei sunt distinctæ in viatoribus, & Beatis; nam in via cognoscimus per Fidem, & obscurè, in Patria autem per lumen Gloriæ, & clarè: ergo differunt amores secuti.

Confirmatur 2. à P. Hurtado. Cognitio supernaturalis non potest influere in peccatum; alioquin peccatum illud sequens naturã suæ causæ, foret supernaturale, & sic à Deo authore speciali totius entis supernaturalis, quod implicatorium est: sed si cognitio influeret in actus volũtatis, posset cognitio supernaturalis influere in peccatum: ergo &c. Probatur min. Potest Deus infundere homini scientiam supernaturalem, qua nosceret omnia objecta creata: sed hæc scientia non redderet hominem impeccabilem; cùm hoc solum efficiat visio clara Dei: ergo scientia illa posset influere in peccatum.

Explicatur. Hic actus Fidei est supernaturalis, *Mors est obeunda potiùs, quàm Deus negandus*; Hic actus relinquit hominem liberum, ut fugiat mortem negando Deum. Supponamus hominem liberè negantem Deum: tunc si cognitio influit in actum volũtatis, sequitur quòd ille actus Fidei influat in peccatum gravissimũ, quod sanè impossibile est, & absurdum.

14. Hæc levia sunt. Ad 1. dic pro nostra sententia adesse authoritates P. Augustini, D. Thomæ, B. Ægidij, & Commentatoris, ob quas gravissimi Doctores laudati, pro illa decertant: adsunt etiã rationes urgentes, quas dedimus à num. 10. nec urgentiores sunt, quæ in contra objiciuntur, ut patebit ex earum solutione. Adde contra Hurtadum, & alios docentes cognitionem efficienter produci ab objecto vero, consequentiam doctrinæ petere idé sentire de volitione producta ab objecto bono; nec nisi difficulter evaditur inconsequentia, ut videbis apud laudatum Patrem.

Ad 2. dic quòd bonum non existens in re, existit in apprehensione; & hæc existentia sufficit ut sit principium effectivum amoris, & desiderij. Si enim pater non existens in re, sed virtualiter in semine, satis existit ut sit causa effectus physici realis; cur non sufficiat existentia intentionalis objecti in cognitione, ut sit causa effectus realis intentionalis?

Ad 3. dic quòd bonum distans in re, est volũtati proximum in cognitione; & sic influit. Sicut apud contrarios, verum distans in re ab anima, ei tamen intentionaliter unitum per speciem, influit in cognitionem. Nullum enim ferè argumentum conficitur contra objectum voluntatis, quod etiam non sit contra objectum intellectus, data hujus influentia in cognitionem.

Ad 4. dic, quòd licèt causalitas objecti sit in se necessaria, est tamen libera voluntati, potenti illam impedire. Sic etiam habitus Charitatis non est liber in se, sed determinatus ad solum amorem. Ceterùm quia voluntas potest impedire illius influxum, ideò est liber voluntati; & actus evadit liber, libertate sumpta à potentia, non ab habitu, vel objecto.

Ad 5. dic, quòd sicut intellectio,

quæ est vitalis, oritur ab objecto, quod non est principium vitale: sic etiam in v l'tione dicen'dum est. Imò in visione beata patet, quòd cùm vital s sit, oritur tamen effectivè à lumine gloriæ, quod vitale non est, saltem *ut quod*, & solùm dicitur v tale *ut quo*, quatenus concurrit cum potentia vi li, ut virtus ejus. Omnium ratio est, quòd vitalitas actus non petit vitalitatem in omnibus comprincipijs, ied in sola potentia, ejusque virtute, quæ si vitalis est, actus evadit vitalis.

Ad 6. dic primò, effectum non assimilari causæ æquivocę, sed univocæ: objectum autem est causa æquivoca, & ideò ei non assimilatur amor voluntatis. Dic secundò, quòd amor non habet assimilare se suo principio, sed amantem ama o, & ob id dicitur amorem esse trasformativum amãtis: & Philosophus d'c't, quò *Talia quisque appetit, qualis est*. De hoc satis diximus lib. 1. agentes de appetitu materiæ. At objectum media cognitione uni um voluntati, facit amantem simi lem amato: ergo sic influit in amorem transformativum. Dic ter iò, B atos per visionem Dei deificar intentionaliter, quia intellectus intelligendo objectum, fit illud objectum: per amorem autem deificantur affectivè: hic amor, qui est unio affectiva, fit similis unioni intentionali.

15. Ad 1. confirmationem dic quòd objectum cogn tum est causa instrumentali amoris. Nec obitat quòd sit perfectius ipso amore. Nam etiam juxta D. Thomam natura est causa instrumentalis dimanationis proprietatum, licèt sit perfectior ipsis proprietatibus. Dic secundò esse causam principalem, & nega sequelam. Nam licèt .F.D. teneat amorẽ viæ, & Patriæ specie differre; id negat D. Thomas, nec in præsenti conclusione, quæ D. Thomæ, & Thomistarum est, oportet recurrer ad specialia principia. Admitto cum D. Thoma quòd utraque Charitas est eadem, non solùm p cificè, sed numericè, ut S. D. docet. 1. 2. q 67. rt 6. n go autem sequelam argumenti.

Ad probationem sequelæ, dic S. Thom. ibi in solutione ad 3. d'cere quòd *Visio est quædam causa amor s, ut dicitur 9 Ethicorum cap.* 5. En ubi tenet u rumque amorem esse ejus'em speciei, non negat nostram sententiã de influxu cogniti n s in amorem, sed ea stan'e, solvit objecta. Solu io nostra datur ibi à D. Thoma; & summa illius est. Quòd cognitio non est causa amoris, u. s- ren . ex pa.te Charitatis, quia sic caus tur ab o'jecto, nempe Deo qui'idem est in via; & in Patria; sed est causa amoris, ut se net ex parte subjecti; unde hic causat amorem imperfectum, in Patria autem amorem perfectissimum. Hæc variat'o i on est specifica, aut numerica amoris, & Charitatis, sed subject' mantis in diverso statu. Quo fit, ut diversitas causæ principalis, variat effectus, dum causa principalis varia- ta, est t l's ex parte formæ, non tamen du it talis respectu subjecti.

Clariùs fortassis dic, quòd non ponimus cognitionem esse causam

sam amoris, sed objectum cognitum: at objectum cognitum in via, & in Patria est idem specie, & numero, nempe bonitas divina: ergo licèt varientur cognitiones Fidei, & visionis beatæ, non variatur amor viæ, & Patriæ. Facit varietas cognitionis quòd objectum magis, vel minus moveat, plus, aut minus ametur &c. ceterùm hæc varietas, ut dictum est, non est ex parte formę & Charitatis, sed respectu subjecti.

16. Ad 2. confirmationem dic, ea probari quòd habitus Charitatis non influit in amorem Dei super omnia. Nam habitus ille non reddit nos impeccabiles: ergo eo stante, potest voluntas peccare, vel omittendo amorem Dei, vel ponendo odium ejusdem. Ergo vel Charitas influit in odium, quod est impossibile, vel non influit in actum Charitatis.

Respondemus, quòd sicut Charitas ita influit in actum amoris, ut relinquat voluntatę liberam ad omissionem, in quam Charitas non potest influere. Sic cognitio supernaturalis objecti influit in actum liberum amoris, ita ut relinquat voluntatem potentem peccare, etsi non possit influere in ejus peccatum. Pro peccato enim aderit altera cognitio naturalis objecti, quę influat in actum pravum.

Sed insurgit Hurtado. Demus quòd Deus, ut potest, omnem cognitionem naturalem suspendat, & solá concedat supernaturalem: tunc enim non erit creatura impeccabilis: ergo in ejus peccatum influet cognitio supernaturalis, vel in nullum voluntatis actum influit cognitio objecti.

Respondeo dato casu, tunc creaturam reddi impeccabilem ab extrinseco. Si enim Angelus impotens erràre circa naturalia, est sic impeccabilis directè contra finem naturalem; quia non datur peccatum in voluntate, nisi præcedat error in intellectu. Ergo data creatura non habente aliam cognitionem, nisi supernaturalę, quæ nec erronea esse potest, nec in peccatũ influere; redderetur impeccabilis. Ex dictis patet ad explicationem confirmationis.

§. III.

Explicatur, an malum possit movere voluntatem.

PRIusquam virtutem finis, motivá discutiamus, oportet etiam scire an malum sub ratione mali possit finalizare, aut saltem sub ratione communi, & indifferenti ad bonum, & malum. Tenent partem affirmativam Nominales citati à N. Lusitano, quibus consentit Arriaga disp. 7. de Anima sect. 1. nec dissentit Scotus, quem sequuntur aliqui Scotistæ, licèt vindicetur à Mastrio hìc disp. 7. q. 8. art. 2. Hæc sententia docet quòd ratio formalis finalizandi, aut movendi voluntatem, est appetibilitas ut sic, communis bono, & malo; quare malum ut malum amari potest, vel saltem sub ratione illa indifferenti bono, & malo.

17. Hæc sententia probatur 1. Quia contrariorum eadem est ratio, & potentia, eadem enim po-

tentia visiva est ad nigrum,& album, quæ contraria sunt: sed bonum, & malum sunt contraria; bonum autem finalizat voluntatem: ergo etiam malum. 2. Multa peccata fiunt ex malitia: sed peccatum ex malitia est illud, quo voluntas tendit in malum, cognitum,ut malum;alioquin si malum cognosceretur ut bonum, esset peccatum ex ignorantia, & non ex malitia: ergo potest voluntas,sic peccans, tendere in malum, ut malum.

Tertio: Si voluntas non posset tendere in malum, ut malum, non esset libera erga bonum, sed necessitata tendere in bonum: at voluntas erga bonum est plenè libera, præsentim in statu viæ:ergo quia potest tendere in malum,ut malũ.4. Potest quis suo corpori infligere mala, ut mala, qualiter fecerunt Sancti corpora affligentes jejunijs,cilicijs &c. Rursus potest quis infligere sibi mortem,ut malam, & eam sibi optare, qualiter faciunt desperati. Rursus potest quis optare mortem inimico, quam sanè illi non optat ut bonam, sed ut malam: ergo quia malum,ut malum potest appeti à voluntate. 5. Dantur fines indifferentes, potentes movere voluntatem; ut exire in agrum, levare festucam, fricare barbam &c.ergo jam aliquid præscindens à bono, & malo; & utrique indifferens potest finalizare voluntatem.

18. Contraria sententia est plenè verissima docens voluntatem solùm moveri à bono, nec posse tendere, nisi in bonum reale, aut in malum sub ratione tamen boni saltem apparentis. Est expressa sententia Aristot.hic textu 31. ubi explicans divisiones causarum, ait: *Aliæ autem sicut finis, & bonum aliorum.* Docetur etiam à D. Dionysio de Divinis nominibus cap.4. dicente: *Nemo, proposito sibi malo, facit.* Vnde ortum axioma, *Nemo intendens in malum operatur.* Hoc veluti dogma philosophicũ, & Theologicum,ubique in suis scriptis adducunt D. Thomas, & B. Ægidius.

Probatur 1. ex P. Augustino in Enchitidio cap. 26. dicente: *Beati esse volumus, & miseri non solùm esse nolumus,sed nec velle possumus.* Eu non possumus velle miseriam,quia nempe mala est;nec amari,aut experi potest, ut mala. Et lib. 8. de Civit. Dei cap. 5. *Non amas certè, nisi bonum.* Et paulo infrà. *Pudeat autem, cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, unde bona sunt;* nempe Deum. Et serm. 107. dicit: *Dic mihi quid malum velis? Quidquid volueris,bonũ vis.* Et supra Psalm. 102. *Hoc ipsum quod fortè peccas, eligendi boni aviditate falleris.* Et ibidem *Vbicumque peccas, quasi bonum quæris.* Qua propter lib. 2. Conf. cap. 5. quærit quid amaverit in quodam puerili pomorum furto; cùm tamen nec poma, nec ipsam malitiam peccati amaverit? Relpondet sic: *Ergo amavi ibi consortium eorum, cum quibus id feci.* Sunt ferè innumera P.N. asserta,semper docentis non posse amari,aut appeti nisi bonum.

Probatur ratione. Voluntas non potest amare nisi conveniens;sed malum, ut malum non est conveniens; ergo

ergo

ergo malũ ut malum non potest amari. Rursus. Appetitus est inclinatio a petētis: sed nihil inclinatur nisi in sibi simile; malũ autē non est simile, sed dissimil appetitui, & appetibile: ergo nemo appetit malum, tanquam malum. Rursus. Sic se habet finis in practicis, sicut principium in speculabilibus: sed principium nequit movere intellectũ ad assentiendum falso ut tali; unde non est scientia nisi verorum: ergo nec finis potest movere appetitu ad amandum malum ut malum.

Confirmatur. Nam ex contraria sententia sequitur dari duos fines ultimos, unum bonum, alium malum: sed hic fuit error Manichæorum: ergo cõtraria sententia illativè erro est. Probatur maj. Malum, ut malum non potest movere in virtute Dei, nam Deus est summè bonus, & virtus quæ movent bona creata; nihil autem movere potest in virtute Dei, nisi moveat sub ratione boni. Ergo malum ut malum, moveret per se; & sic esset finis ultimus, vel in virtute alterius mali, quod esset malum per se; & hoc foret finis ultimus malus: quare sequentur duo fines ultimi &c.

19. Fundamenta contraria non urgent. Ad 1. dicimus quòd contraria positivè talia pertinent ad eandem potentiam, ut albedo, & nigredo; quæ ita co veniunt in ratione generica, quæ est specificativum potentiæ. At contraria negativè, ut sunt bonum, & malum, lux & tenebræ, sonus & silentium, licèt attingantur ab eadem potentia, non tamen eodem modo, sed diverso: videt enim oculus lucem, sed non videt tenebras nisi videndo. Auris percipit silentium, sed hoc tantùm non audiendo. Ita voluntas tendit in malum ut malum, sed non tendit mando, aut prosequendo, sed fugiendo, & recedendo.

Ad 2. dic quòd in peccatis ex malitia voluntas tendit in malum cognitum ut malum, sed non tendit in malum, ut tale, sed ut bonum delectabile; ob idque imperio suo cessat intellectus à cognitione mali, & considerat unicè in malo delectabilitem.

Ad 3. dic quòd voluntas erga bonum in communi est necessitata quoad specificationem; at est libera circa bonum in particulari, & sic se exercet liberè vel circa bonum honestum, vel circa utile, vel circa delectabile. Semper tamen adhuc dum peccat, & malè agit, quæri bonum, ut ex P. Augustino dictum est: quare semper est necessitata circa bonum in communi, ut præscindit ab honesto, utili, & delectabili.

Ad 4. dic Sanctos sibi mala infligere, quatenus conducunt ad bonum amatum, nempe vitam æternam: ob id Santo Stephano fuerunt dulces lapides, Laurentio prunæ delectabiles &c. Qui verò desperantes se interimũt, cupiunt morte sua liberari à miseriis præsentis vitæ; unde non appetũt mori, ut malum; sed quietem sanè bonam. Eos redarguit acutissimè P. Augustinus lib. 3. de Libero arbitrio cap. 18. ubi plura, sed hæc tantùm adcipite verba: *Quod quisque rectè eli-*

eligit appetendum, cùm ad id pervenerit, necesse est melior fiat; melior autem esse on poteri, qui non erit; nemo igitur rectè eligere poterit, ut non sit. Ad aliud de o[p]tante mortem inimico, dicem ptare non urè ut inimico malam; sed ut sibi bonam, quoniam inimico malam. Tale bonum quęrunt vindicęs, & invidi, qui de aliorum malis delectantur.

Ad 5. dic, dari fines indifferentes ad hoc, vel illud bonum, sed non ad bonum in communi. Talia, quæ in argumen o numerantur, sunt indifferen ia ex objec o, sed no præscindunt plenè à bonitate. Tum quia possunt ordinari in aliquod bonum honestum, utile, vel delectabile: tum quia si per se exerceantur sine ulla ordinatione; in eis voluntas suam exercet libertatem, & hoc aliquod bonum est.

§ IV.

Proponuntur sententiæ circa rationem formalem finalizandi.

20. SIcut in causa efficienti virtus, qua influit in effectum, est formalis ratio efficiendi; ita in causa finali virtus, q a causat finaliter, est formalis ratio finalizandi; unde quæ r re de ratione formali, est quę re de virtute c usat va, & motiva. Ex dictis supponitur solùm bonum movere appetitum; & cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, præsertim apud Philos. qui non benè capiunt, quomodo voluntas possit Deum amare, intellectu ab omni cognitione cessante, qualiter dicitur de contemplativis: ideò supponitur etiam quòd solum bonum appr h nsum finalizat, & movet appetitum. Dubium est, an sola bonitas moveat, cognitione se habente, ut conditione; an verò cognitio sit formalis ratio, & vir us movendi finaliter?

Prima sententia docet apprehen sionem esse formalem rationem finalizandi. Ita Avicena 6. Metaphys. c p. 5. Medin 1. 2. q. 1. art. 1. Soncin s 5. Metaphys. q. 3 & alij plures, quos refert Rubio 2. Physic. tractu 5. q. 5. Probatur 1. authoritate D. Thomæ 1 p. q. 80. art. 2. ad 1. ibi ait: *Appetibili non accidit esse apprehensum per sensum, vel intellectum; sed per se convenit. Nam appetibile non movet appetitum, nisi in quantum apprehensum: unde differentiæ apprehensi sunt differentiæ appetibilis. Vnde potentiæ appetitivæ distinguuntur secundùm differentiam a prehensorum, sicut secundùm propria objecta.* Hæc S. Doct. qui distinguit appetitus penes diver sas a prehensiones: ergo quia apprehensio non est conditio pura movendi appeti um, sed formalis ratio distinguendi, specificandi, & movendi.

Hinc probatur à ratione. Diversitas specifica actus voluntatis debet rovenire ab eo, quod e formalissima ratio finalizandi: sed sola apprehensio sufficit variate speciem actuum voluntatis, qui sunt circa finem: ergo tunc sola appreheusio est formalis ratio finalizandi. Probatur min. Licèt finis sit in se honestus, si tamen apprehenditur ut inhonestus, & in illum tendit voluntas, actus erit inhonestus. A contrario, si finis est in se inhonestus,

ctus, sed ignorantia invincibili apprehenditur ut honestus, actus voluntis circa illum finem, evadit honestus: ergo &c.

21 Confirmatur: Idem malum apprehensum ut præsens, causat tristitiam, & ut futurum, timorem, Idem bonum apprehensum ut absens, causat desiderium; & ut præsens delectationem: ergo apprehensio, quę est unica causa hujus diversitatis essentialis, est ratio formalissima objecti, & finis horum actuum.

Confirmatur 2. cognitio Dei obscura, & abstractiva, quam per Fidem habemus viatores, & cognitio clara, & intuitiva, quam per lumé glorię habét in Cœlo Beati, causant actus amoris essentialiter diversos: at hæc diversitas essentialis venit à diversa ratione formali, ut patet; & ex parte objecti nulla est diversitas, cùm eadem sit bonitas divina respectu nostri, & Beatorũ: ergo quia cognitiones diversæ sunt formalis ratio distinguendi, & finalizandi amores viæ, & Patriæ diversos.

Confirmatur 3. Finis ut causa est, prior est suo effectu: sed finis solùm in intentione, & apprehensione est prior suo effectu: ergo solùm in apprehensione est causa; & consequenter apprehensio est formalis ratio causandi. Minor patet in sanitate, quæ appetitur ab infirmo, antequam illam habeat, & vi motionis, & desiderij ejus, subditur medicis, & medicinis.

Quartò. Voluntas sæpè appetit aliquid impossibile, ut non peccasse, & præteritum non fuisse præteritum; sæpè etiam malum apprehẽsum ut bonum: sed tunc tota ratio bonitatis, & possibilitatis, est apprehensio; cùm in re objectũ vel impossibile sit, vel malum: ergo pura apprehẽsio tunc est formalis ratio finalizandi.

Quintò. Finis movere potest sine reali bonitate, ut patet ex dictis; non autem potest finalizare sine apprehensione, quia *Nihil volitum* &c. Ergo major est connexio inter appetitum & apprehensionem, quàm inter eandem & bonitatem. Sed implicat quòd sit major connexio inter potentiam & conditionem, quàm inter potentiam, & rationem formalem: ergo apprehensio non est conditio, sed formalis ratio finalizandi.

Tandem. Voluntas ut libera, pendet ab intellectu movente quoad specificationem: sed intellectus movet sic proponendo objectum per apprehensionem: ergo pendet voluntas ab apprehensione intellectus, ut à specificante, & finalizante actus ōnes suos.

22. Secunda sententia docet apprehensionem objecti esse puram conditionem ad movendum appetitũ, quia ratio formalis motiva est sola bonitas finis amati. Ita Cajetanus 1. 2. q. 1. art. 1. Ferrara 1. contra Gent. cap. 44. Jabelus 5. Metaphys. q. 15. & alij antiqui. Suarius in Metaphys. disp. 23. sect. 7. & 8. & communiter RR. Thomistæ quibus adde N. Gavardi in Physica lib. 2. q. 4. art. 3. & alios ex nostris.

Probatur hęc sententia 1. ex D. Thoma 1. p. q. 80. art. 1. ad 1. dicens: *Id quod apprehenditur, & appetitur, est idem subjecto, sed differt ratione:*

tione : apprehenditur enim ut ens sensibile, vel intelligibile, appetitur autem ut est conveniens, aut bonum. En ratio appetendi est bonitas, aut convenientia: ergo eadem est formalis ratio, finalizandi, & movendi appetitum.

Et confirmatur ex eodem S. D. q. 22. de Ver. art. 4. ad 1. & q. 25. art. 1. a 6. dicente: *Diversitas apprehensionum per accidens se habet ad diversificandum appetitum, & diversitas appetibilium solùm sumitur ex diversitate bonitatis apprehensæ.* Accedit quod 1. 2. q. 67. art. 6. docet quòd Charitas viæ, & Patriæ est eadem numero, quia juxta Apostolum *Charitas numquam excidit*, sed eadem quę erat in via, manet in Patria. Atqui cognitiones Dei, in via & Patria, sunt diversæ in specie, cùm una sit abstractiva, alia intuitiva, una obscura, alia clara: ergo quia ratio formalis finalizandi non est cognitio, sed bonitas objecti amati.

Probatur ratione. Illa est formalis ratio finalizandi, quæ est formalis ratio allicendi, & movendi appetitum: sed hoc est bonitas objecti, non autem apprehensio: ergo sola bonitas est formalis ratio finalizandi. Probatur min. experimentaliter. Nullus infirmus movetur ad sumendam potionem amaram propter apprehensionem sanitatis, sed propter sanitatę, q iam apprehendit ut bonam.

Confirmatur. Illa est ratio movendi finaliter propter quam obtinendam media opportuna adhibentur: sed media non adhibentur ad obtinendā apprehensionem, nec ad obtinendum finem in apprehensione, quia sic jam possidetur ante media; unde media conducunt solùm ad bonitatem finis obtinendam in re: ergo hęc bonitas finis ut in re, est formalis ratio &c.

Confirmatur. Ille est finis qui non habitus movet desiderium, sed habitus satiat appetitum; unde ratio movendi desiderium, est ratio, quæ semel habita satiat, & quietat appetitum, sed apprehensio bonitatis objecti non satiat, nec quietat, sed potiùs desiderium acuit; ipsa tamen bonitas habita in re, quietat, & satiat: ergo bonitas, & non apprehensio est formalis ratio finalizandi.

Omittimus aliorum sententias minus principales, ut sunt, quæ docet tam apprehensionem, quàm bonitatem esse rationem formalę; sicut lux, & color simul, sunt formalis ratio motiva videndi. Pro qua sententia Prado citat aliquos Thomistas, quos defendit. Item sententia Bañez docętis 1. p. q. 80. dub. 1. quòd apprehensio est radicalis ratio movędi, quatenus intellectus radicat appetitum tendentem in finem. Pro his enim nil scitu dignum adducitur, quod in præcedentibus tactum non sit.

§ V.

Nostra sententia proponitur, & aliorum fundamenta expenduntur

24. NOstra sententia, agnoscens in finali causa duas causalitates, efficientem, & finalem, distinguit etiā duas virtutes, & rationes formales causandi, nempe efficienter, & finaliter. Bonum ergo quod est objectum

jectum voluntatis, movet finaliter me dia bonitate ut formali ratione, & apprehensione se habente ut conditione. Ceterùm bonum ut est agens, movet efficienter media apprehensione ut ratione formali. Ita de mente N.F.D.N. Villanova hìc disp. 5. dub. 4. allegans Doctorem nostrum locis datis suprà num. 9. Pro eadem sunt DD. ibi allegati, nam semel dato quòd bonum cognitum cõcurrit efficienter ad actus voluntatis, assignanda est diversa ratio movendi efficienter, & movendi finaliter. Ergo cùm ratio movendi finaliter sit bonitas objecti, ut probat secunda sententia; ratio movendi efficienter est apprehensio, & hoc probat sententia prima.

Probatur ergo sigillatim; & quidem quòd apprehensio sit formalis ratio movendi efficienter, patet 1. ex P. Augustino ubi suprà num. 9. dicẽte quòd amor *Ab ipsa quidem mente procedit*. Hìc denotatur cognitionem esse causam efficientem amoris; quia est id *à quo*; & hęc est differentia essentialis causæ efficientis; sed cognitio non est causa efficiens amoris *ut quod*, sed *ut quo*, & per modum virtutis: ergo apprehensio est formalis ratio movendi efficienter. Minor patet, quia nec cognitio amat, sed anima, & voluntas: nec cognitio est objectũ quod amatur, unde non concurrit *ut quod* per modum objecti, nec per modum potentiæ: ergo concurrit ex parte objecti *ut quo*, & per modum virtutis, quia objectum influit.

Confirmatur ex eodem S.P. ubi suprà parificante amorẽ ortum à cognitione cum cognitione orta ex objecto menti unito. Objectum unitum intellectui media specie impressa distincta, influit in cognitionem, & notitiam, media specie se habẽte ut virtute, & ratione formali influendi; ob id enim species est virtus objecti: ergo bonũ unitum voluntati media cognitione, influit in amorem sequutum, media cognitione se habente, ut virtute & ratione formali influendi. Consequentia eisdem terminis constat, ac antecedens; unde sicut pro influxu objecti in amorem valet, & urget paritas de objecto influente in cognitionem, sic valet paritas de specie ad cognitionem, ut utraque sicut æquè est medium uniendi objectum cum potentia, sic æquè sit virtus objecti, principium *quo*, & formalis ratio influẽdi in actus potentiæ immanẽtis.

Confirmatur 2. Nam eo modo bonum non existens in re, existit in apprehensione intentionaliter; quo substantia generantis non existens in re, existit virtualiter in semine: sed ob hanc existentiam semina sunt virtutes agentium, & prima influentia *ut quo* in generationes substantiales: ergo ob existentiam intentionalem bonitatis in apprehensione, apprehensio erit virtus objecti, & principium *quo*, vel formalis ratio finalizandi amorem effectivè.

25. Dices. Existentia in nullo genere causæ est formalis ratio causandi, sed mera conditio: at apprehensio est mera existentia intentionalis objecti: ergo non est ratio formalis movendi adhuc effectivè, sed pura con-

conditio, ut tenet secunda sententia.

Sed contrà. Quia si cognitio est mera existentia bonitatis cognitæ, aut unitio ejusdem cum voluntate; sic species impressa objecti erit mera existétia intentionalis veri, & unitio ejusdé cum intellectu: ergo dato cum veriori sententia influxu objecti in cognitionem, species impressa non erit virtus objecti, sed mera conditio. Hæc consequentia est falsa adhuc apud negantes objecto influxum in cognitioné, nam omnes dicunt uno ore speciem esse virtutem, & vicariam objecti.

Rursus. Ideò species impressa nõ est mera existentia intentionalis objecti, sed etiam virtus ejus, quia species continet repræsentativè omnem cognoscibilitatem objecti, imò est in esse intelligibili ipsa cognoscibilitas objecti: at etiam apprehensio continet repræsentativè ipsam bonitatem, & appetibilitatem objecti: ergo non est mera existentia intentionalis ejus, sed vera virtus illius.

Rursus. Demus substantiã non esse immediatè operativam adhuc in esse intẽtionali; quod sanè verum est, quando objectum per se ipsum non unitur intellectui. Tunc enim objectũ substantiale influit in cognitionẽ media specie accidentali, quæ est virtus, & non sola conditio influendi. Ergo licèt Angelus suam substantiã amans, cùm eam habeat immediatè unitam suæ voluntati, possit forsan sine cognitione influere in amorẽ; at dum amat aliorum substantiam, non potest substantia amata influere in amorem, nisi media cognitione, quæ est virtus & ratio influendi.

26. Jam verò quòd apprehensio sit solùm conditio, ut finis moveat finaliter, & ut finis, probatur. Nam hujusmodi motio est tractiva, & allicitiva; & oritur à bonitate objecti prout in re: sed apprehensio est sola manifestatio bonitatis allicientis; & non est sicut ea quæ fit à luce illuminante colorata, sed sicut illa, quæ fit ab periente librum, ut videantur litteræ, & dictiones: ergo cùm apertio libri sit mera cõditio ad percipienda scripta, non autẽ ratio formalis; sic apprehensio est conditio, ut bonitas in re alliciat, & attrahat, non autem est formalis ratio movendi finaliter. Maj. patet ex dictis pro secunda sententia. Min. est certa. Nã bonitas ut in re existens, habet plenã rationem motivam, sicut litteræ in libro plenam rationem significandi. Deficit utrobique præsentatio potẽtiæ, quę non fit usque dum liber aperitur, & bonitas objecti ignota cognoscitur.

Vrgetur ex diverso modo tendendi intellectus, & voluntatis. Nã ille trahit res ad se, volũtas fertur ad res. Sed ut voluntas illecta à rebus, feratur ad illas, cognitio est conditio, non autem ratio formalis: ergo idem. Probatur min. Id quod est ratio trahendi res ad se, nequit esse ratio tendendi extra se, sed ad summum conditio, ne potentia tendat in incognitũ. At cognitio est ratio trahendi res ad se, & actualę exercitium intellectus sic trahentis: ergo.

27. Ad fundamenta primæ sententiæ, posita num. 20. dicimus, illis probari cognitionem ideæ formali se habere ad motionem effectivam objecti in

in actus potentiæ appetentis. Ad authoritatem D. Thomæ dic, quòd si intelligatur de appetibili movente efficienter, nulla indiget explicatione, sed ad litteram probat nostram sentétiã. Si autem adducitur pro movente finaliter, exponenda est ex verbis S. D. datis num. 22. nempe quòd diversitas apprehensionis ejusdem bonitatis, est illativè diversitas bonitatis apprehensæ; & patet, quia bonum cognitum cognitione sensitiva, noscitur ut conveniens sensui; ut cognitum apprehẽsione intellectuali, noscitur ut cõveniens naturæ rationali. Ob id à diversis cõvenientijs specificantur, & distinguuntur appetitus sensitivus & rationalis, qui solus est voluntas.

Ad rationem probativã respondemus cum DD. secundæ sententiæ quòd stat actus honestus circa finem inhonestum in re, si invincibiliter apprehendatur ut honestus. Ceterùm tũc honestas actui non venit formaliter ab apprehensione, sed ab honestate objecti, vera quidem, sed falsò applicata per apprehensionem invincibilem. Similiter mutata in contrarium suppositione, actus evadit inhonestus, non quidem ab inhonestate, quę verè sit in re, sed à vera inhonestate, quæ falsò applicatur rei per cognitionem: ergo utrobique bonitas, vel malitia objecti vitiat, vel honestat actum voluntatis, ut ratio formalis, & apprehensio solùm est conditio applicans. In nostris autẽ principijs amplius habet cognitio; nã etiam utrobique influit in actum voluntatis; unde non solùm ex fine, sed ex principio elicitivo, actus illi evadunt honesti, vel inhonesti.

Ad 1. confirm. dic, idem bonum in re, diversè tamen cognitũ, æquivalere diversis bonis; quare diversitas apprehensionum arguit diversitatem apprehensorum. Hinc fit ut in casu argumenti circa idem bonum stent actus diversi, quia arguitivè bona diversa sunt, licèt unum in re. In nostra sententia variatur per cognitiones ratio formalis effectiva finalizandi, & arguitivè etiam variatur bonitas, quæ est virtus finis, ut finis: unde ex duplici capite actus evadit multiplex, & distinctus, nempe à fine, ut agens est, & à fine ut alliciente, & attrahente.

28. Ad 2. confirm. si teneas cũ B. Ægidio, Scoto, & utriusque Scholæ discipulis amorem viæ, & Patriæ esse diversos, concede sequelam, & dic eos distingui, quoniam cognitiones, quæ sunt formalis ratio finis, ut efficiens est, variantur. Si tamen contrariã sententiam teneas cum D. Thoma, utere solutione suprà data ex eodẽ D. Thoma num. 15.

Ad 3. dic, quòd illa ratione probatur solùm quòd apprehensio sit existentia intentionalis finis. At existẽtia in nullo genere causæ est virtus causandi, sed mera conditio: ergo inde nõ probatur esse formalem rationem finalizandi. Ad 4. dic ex P. Augustino in Psalm. 102. quòd apprehendens malum, ut bonum, & impossibile, ut possibile, quærit bonũ, sed fallitur, & movetur non ab errore, sed à bono, quod errando, quærit: ait ergo P. N. *Hoc ipsum, quod fortè peccas, eligendi boni aviditate falleris.* Et iterũ: *Vbicumque peri-*

cas, quasi bonum queris. Et ratione dedit serm. 3. de Diversis, dicens: *Tanta vis est boni, ut bonum quærant & mali.*

Hinc ad 5. neg. antecedens. Nam licèt aliquando finis non habeat bonitatem in re, non tamen movet sine bonitate, sed per bonitatem veram, falsò tamen applicatam per intellectum, qui sæpè fallitur quærendo bonum ubi non est. Ad ult. dic voluntatem pendere à cognitione, movente efficiéter quoad specificationem, ut patet ex dictis num. 11.

Hinc solvitur alia importuna replica. Nam D. Thomas probat voluntatem ex intellectu, sed si cognitio esset sola conditio finalizandi voluntatem, non bene probaret; sicut, quoniam applicatio est sola conditio combustionis, ex applicatione malè probatur combustio, aut vis comburendi: ergo non est sola conditio. Solvitur benè in nostris principijs; nam cùm cognitio sit formalis ratio, & principium *quo* influendi in volitionem; benè ex intellectu probatur comprincipium amoris, & per formalem rationem. In aliorum autem sententia non sic. Argumenta secundæ sententiæ probant nostrum assertum de fine, ut finis est, nec impugnant doctrinam de fine, ut efficiens est. Quare ad alia transimus.

QVÆSTIO XIIJ.

Quæ sit causalitas finis, & quis ejus effectus?

§. I.

Assignatur constitutivum causalitatis finis.

1. RES adeò difficilis est explicari, ut varias, & inintelligibiles sententias videamus circa causalitatem finis. Eas sigillatim impugnare facillimum, sed propriam sententiam explicare difficile. Quamobrem aliorum placita referam, & duas tantùm explicationes expendam, quoniam de mente N. Doct. proponuntur à N. Gavardi, & N. Villanov. Si prolixam de hac re disputationem vis, Consule P. Suarium in Metaph. disp. 23 sect. 7.

Prima sententia docet causalitatem finis consistere in motione metaphorica. Sic plures citat à N. Lusitano. Verum dicunt, sed non satis ad rem, quia scire desideramus, quid sit hæc metaphorica motio.

Secunda sententia dicit, consistere in quadam tractione, qua finis trahit causam efficientem, ut operetur tantum effectum propter finem, & gratia finis. Istam tractionem dicunt esse quãdam qualitatem, quam finis imprimit voluntati. Pro hac sententia Villan. citat Bellarminum; nec multum distat à sententia N. Gavardi, de qua infrà.

Tertia dicit esse ipsam bonitatem finis in voluntate, ut ei intentionaliter unitam: modo quo voluntas est in re amata.

mata. Hanc docet N. Lusitanus : cui addere poteris aliorum sententiã, qui dicunt voluntatem moveri à fine sibi unito, ratione alicujus sympathiæ.

Quarta dicit esse quemdam modum derivatum à fine in voluntate, vi cujus voluntas se habet, ut mota, & finis ut movens; sicque se habet aliter dum movet, ac anteà se habebat. Ita Fonseca, & alij apud Lusitanum.

Quinta docet esse ipsam actiónẽ voluntatis, quæ à voluntate fit efficiéter, ceterùm dependenter à causa finali movente: quare in hac sententia nil est in voluntate ante suam actionem : ceterùm actio voluntatis habet relationem dependentiæ à fine ; in ea sic, consistit causalitas finis. Ita Thomistæ communiter, Suarius ibi, Carmelitani, & alij. Quibus omissis.

2. Sextam ordine sententiam docet N. Gavardi, tenens quòd objectum, vel finis producit in voluntate qualitatem amoris, & per illam qualitatem voluntas constituitur potẽs proximè amare, & se exercere per illam vitaliter amando. Vnde eadem qualitas, ut à fine venit, & imprimitur voluntati, est actus primus volũtatis, sed secundus causæ finalis. Vt autem per illam se movet elicitivè, & applicativè voluntas, est actus secundus voluntatis, & causalitatis causæ efficientis. Quare hæc sententia coincidit cum secunda, quatenus dicit finem imprimere voluntati qualitatem & concordat cum quinta, quia nihil ponit distinctum ab actu voluntatis, sed ipse amor finis sub ratione qualitatis est ab objecto, sub ratione autem actionis vitalis, est à potentia volitiva. In hac doctrina fundatur prædeterminatio N. Gavardi, consistens in actu inspirato sub ratione qualitatis. Vide ipsum in Philosophia, & in Theologia.

Si velis tenere hanc sententiam, eam confirma ex Doct. nostro hìc 2. Physic. lect. 11. ubi ait: *Finis videtur comparari ad efficiens, quasi forma ad materiam. Sicut enim materia de se quid indeterminatum dicit, determinatur autem per formam, sic efficiens determinatur per finem.* Consonat D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 2. ubi ait : *Agens autem non movetur, nisi ex intentione finis. Si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc, quàm illud.* Ex his sic.

Sicut enim materia non determinatur nisi intrinsecè recipiendo formam, quæ est actus determinatus ; sic agens non determinatur à fine ad agendum, nisi recipiendo in se aliquam formam: at non recipit formam aliquam, distinctam à suo actu, & actione: ergo recipit ipsam actionem : non quidem sub ratione vitalis, quia sic à sola potentia est: ergo sub ratione qualitatis. Prima min. patet ; quia quidquid dicas positum in voluntate à fine, & distinctum, ac prævium ad actionem, commentitium est; tum etiam, quia D. Thomas q. 22. de Verit. art. 2. explicans hanc motionem finis, dicit esse indistinctam ab actione agẽtis, ibi : *Sicut influere causæ efficientis est agere, ita influere causæ finalis est appeti, seu desiderari.* Et Arist. 3. Metaph. cap. 2. dicit: *Finis, & id cujus gratia, alicujus actionis est finis.* Vbi vides causa-

salit tem finis esse amore ipsum, quo appetitur à voluntate.

Confirmatur 2. eadem sententia ex utroque B. Doct. nam D. Thom. 1. p. q. 87. art. 4. in corpore dicit: *Actus voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam consequens formam intellectam: sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem.* Cõcinit B. Ægidius lib. 3. de Anima text. 2. dub. 1. §. *Dubitaret*, ubi ait: *Dicendum quòd sicut appetitus naturalis sequitur formam naturalem, sic appetitus animæ sequitur formam apprehensam.* Et sicut ad formam naturalem gravitatis & levitatis, sequitur inclinatio gravium, & levium in propriu[m] centru[m]; ita juxta BB. DD. ad formam apprehensam, idest ad bonitatem finis cognitam, sequitur in volũtate inclinatio quædam in bonum, quæ nil aliud est, quàm actus voluntatis, ut dicit S. Thomas.

Nunc sic. Eo modo voluntas movetur à fine media bonitate apprehẽsa, quo gravia, & levia moventur à generante media forma naturali gravitatis, & levitatis: sed generans movet gravia, & levia, causando in eis motũ sub ratione qualitatis, quo recepto, ipsa se movent in centrum: ergo finis media bonitate apprehensa movet voluntatem, causando in illa suum actũ sub ratione qualitatis, quo habito, voluntas per illu[m] se movet liberè, & vitali er. Min. patet, quia communiter dicitur gravia non moveri à se, sed à generante, dante formam gravitatis: quia generans medi[um] illa forma dat motum ex illa secutũ. Jam verò quòd det illum sub ratione qualitatis, & nõ sub ratione actionis, vel motus, patet, quia inclinatio illa gravis nõ est actio generantis, sed effectus ejus, & qualitas ab illo producta. Rursus per illam non generans, sed grave tendit in centrum, quare solùm est via, & act re spectu gravis. Hoc dicitur non se movere, sed moveri, quia cùm nullã habeat libertatem, non se movet applicativè, sed elicitivè per formam ad unũ determinata; ujus contrarium accidit in voluntate, & ideò libera est.

4. Confirmatur 3. ex B. Ægidio lib. 7. Physic. lect. 4. ubi docet quòd gens rahi rem ad se, imprimendo ei suam formam, vel aliquam qualitatẽ, qua reddit rem similem sibi. In hac doctrina fundantur duo asserta Aristotelica, nempe quòd *Simile appetit sibi simil. Et alia quæque appetit qualis est.* Quod experientia teste certissimũ est, tum in creaturis liberis, in quibus spirituales appetunt spiritualia, carnales carnalia. Tum in inanimati, nam ignis in sua sphæra trahit ad se corpora contigua, imprimendo illis suã formam, nempe calorem, per quem corpora assimilãtur igni, & levia fiunt, quo dato tendunt sursum, & citiùs, quo magis participant formam levitatis.

Et arg men tum. Ut finis moveat voluntatem ad appetitu[m] sui, debet illi imprimere qualitatem aliquam, qua voluntas fiat similis fini, & in illum inclinet: sed hæc qualitas à fine impressa, nõ potest esse alia, quàm qualitas ipsius amoris: ergo finis movet causando in volũtate amorem sub ratione qualitatis. Major patet ex dictis, & e

min.

min. probatur. Tum, quia qualitas distincta ab amore ipso, superflua est, cũ benè possit voluntas moveri, & assimilari per ipsum amorẽ. Tum quia posita qualitate distincta ab amore ipso, illa nõ erit actualis inclinatio voluntatis in finem, sed potẽtia ad inclinationem: sed causalitas finis nõ est potẽtia activa ad inclinandam voluntatẽ, sed actualis inclinatio voluntatis: ergo illa qualitas non est distincta ab amore voluntatis, sed ipse amor sub ratione qualitatis.

Hæc omnia confirmantur ex P. Augustino qui in lib. Confess. dicit: *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror.* En causalitas finis in voluntate, qua trahitur ab objecto, est pondus quoddam, quo fertur volũtas in objectum. Hoc pondus non est distinctũ ab amore, sed ipse amor. At nõ amor sub ratione actus vitalis; quia sub hac ratione nõ cõvenit inclinatio voluntatis cum inclinatione gravis in centrum, quæ pondus est, sed nõ vitale. Ergo sub ratione qualitatis, sub qua inclinatio voluntatis in bonum amatum, & inclinatio gravis in centrum, conveniunt, nam utraque qualitas est, & quasi pondus.

Hæc sententia salvat libertatem voluntatis, sic motæ ab objecto, quia licèt recipiat illam qualitatẽ amoris, potest illam abjicere, & non amare. Rursus potest magis, vel minus intensè amare per illam. Tandem docet Gavardi per illam qualitatem posse voluntatem non solùm amare, sed odio habere, & fugere; quia sicut *Eadem est via, qua Athænis itur Thebas, & qua Thebis itur Athænas*; ità per eandem qualitatem infusam potest voluntas tẽdere prosecutivè in objectum amando vel per odium fugiendo. Hoc ultimum mihi difficile apparet, nec capio quomodo qualitas immissa ab objecto bono, ut bono, possit deservire ad fugã, & odium, nisi fugiat voluntas bonum, ut bonum; & recedat ab objecto per pondus inclinans in objectum, quod apparet impossibile.

5. N. Villanova in 2. Physic. disp. 5. dub. 5. n. 112. dicit, causalitatem finis non esse qualitatẽ impressam voluntati; nam ipsa bonitas apprehensa est qualitas, & immediatè tangit volũtatem, ut eliciat primum amorem erga objectum. Quare ponere ulteriorẽ qualitatem ad hoc, superfluũ est. Rursus non est modus voluntati impressus à fine: nam voluntas immediatè trahitur à fine; & sic non trahitur mediante modo. Sicut quia materia immediatè unitur formæ, non mediat modus distinctus unionis.

Est ergo causalitas finis ipsa tractio agentis cũ ordine dependẽtiæ agentis à fine trahente Quare sicut causalitas agentis est fieri rei prout ab agente; sic causalitas finis est *Trahi causæ efficientis prout à fine*. Hæc tractio passiva agentis à fine, nec est qualitas impressa agenti, nec est modus medians inter finem trahentem, & appetitum tractũ. At cùm sit ordo quidam dependentiæ agentis à fine, erit quædam quidditas, ut de omni relatione dictum est in Logica lib. 6. Pro hac sententia citat B. Ægidium locis, quæ apud ipsum videri possunt. Et licèt obscura res sit, indi-

digens ulteriori explicatione, probatur tamen non leviter sic.

6. Primò authoritate D. Thomæ posita n. 2. ubi ait, quòd *Influere causæ finalis est appeti, seu desiderari*: ergo est ipsum trahi voluntatis à fine. Patet conseq. quia voluntas appetens fertur ad res: ergo trahitur voluntas à fine, dum hoc appetitur. Rursus ex B. Ægidio num. 2. allegato. Finis determinat agentem, sicut forma materiam: sed forma determinat materiam per solam unionem sui, sine aliquo ipsi impresso, quod sit ens vel modus, nã modus, quem materia habet à forma non est causalitas activa formæ, aut passiva materiæ, sed effectus formæ; hic autem nõ loquimur de effectu finis, sed de causalitate ejus: ergo finis causalitas est pura unio objecti cogniti cum volunte, quia voluntas passivè trahitur sine qualitate, aut modo mediante.

3. Probatur ex dictis n. 3. ubi tractio & inclinatio voluntatis dicitur à Beatis Thoma & Ægidio secuta ex forma apprehensa, sicut inclinatio gravium seq itur formam naturalem gravitatis. Sed ut gravia inclinentur nulla entitas, vel modus datur, distinctus à forma ipsa, data à generante: ergo præter formam apprehensam unitam voluntati, nil datur ut voluntas passivè trahatur à fine.

Et confirmatur ex dictis num. 4. Quia pro appetitu & actuali inclinatione in finem, sufficit quòd finis suã similitudinem imprimat appetenti: sed hanc satis imprimit uniendo voluntati suam formam apprehensam: immò hæc est magis similis in re, quàm qualitas amoris posita de mente Gavardi: ergo præter unionem bonitatis apprehensæ cum voluntate, nil requiritur ut passivè trahatur.

Confirmatur etiam ex sententia P. Augustini, qui inclinationem voluntatis dixit esse pondus. Hoc pondus relucet in voluntate, semel posita in ea bonitatis apprehensione. Nam per bonitatem apprehensam redditur voluntas ponderosior, ac erectior, & inclinata ad habendum in re bonitatem, quam habet in apprehensione.

7. In hac re sentio utramque sententiam probabilem, & menti Doct. nostri consonam: suas tamen quæque patitur difficultates. Nam sententia Gavardi habet sequentia contra se. Causalitas finis est prior causalitate efficientis, qui finis movet aliã causam ad efficiendum; movet ergo ad suam causalitatem, præcedit causalitatem efficientis: sed si causalita finis est ipsa actio efficientis, non præcedit; cùm nil possit se ipsum præcedere. Nec sufficit conceptus ille qualitatis, qui cùm non sit distinctus realiter ab alio conceptu ejusdem amoris, non potest præcedere alium conceptum precedentia reali. Rursus cùm causalitas finis sit causa causalitatis agentis, nequit esse eadem utriusque causalitas, quia nemo potest esse causa sui, nec sui ipsius causalitas.

Præterea: Amor ille voluntatis est vita ejus, & vita est *Motus à se, & in se*, quare est actus, qui priùs elicitur à potentia, quàm in ea recipiatur. Sed juxta sententiam Gavardi invertitur ordo, nam voluntas priùs recipit suum amo-

amorem ab objecto, & posteà illum elicit. Rursus est difficile explicare quomodo illum elicit vitaliter, & ab intrinseco, si illum ab extrinseco recipit? Nec pro hoc sufficit distinctio illa formalitatum in eodem actu. Quia hæc distinctio est solius rationis nostrę, nec sufficit pro reali efficientia, & productione.

Prætereà: Dato quòd objectum cognitum influat in actus voluntatis, quod plures negant, ut dictum est q. præcedente: qui tamen affirmant, eodem modo philosophantur ac de vero respectu cognitionis. Sed veritas objecti media specie unita intellectui, non influit in cognitionem ante influxum intellectus, sed simul cum eo; unde est comprincipium, non autè principium: ergo bonum apprehensum nō efficit amorem sub aliqua formalitate ante influxum voluntatis, sed in eodē signo; & ut comprincipium ejus. Quod si sic: jam non est amor ille causalitas finis, quæ debet præcedere causalitatem efficientis.

8. Contra sententiā Villanov. adest. Quòd tractio passiva agētis, si est causalitas finis, precedit actionē agētis: sed ante actionē agētis solùm datur potentia voluntatis: ergo hęc tractatio est ordo dependētię fundatus immediatè supra potentiam voluntatis. At ordo potentiæ, & supra potentiam, non est actualis tractio, sed posse trahi; potentia enim potest trahi à fine; & ut sic potens, dependet à fine potente trahere: ergo ut sic potens dicit eum ordinē dependentiæ: ergo ordo dependentiæ fundatus supra potentiam, non est actualis tractio potentiæ à fine, sed est potentia passiva, ut trahatur.

Explicatur. Voluntas in actu primo potens trahi, est potentia cum ordine dependentiæ à fine potente trahere: ergo nisi ponas aliquid præter potentiam, & ordinem potentiæ, non ponis actualem tractionem. Sed per te finis causalitas stat in actuali tractione: ergo non stat præcisè per ordinem fundatum supra nudam potentiam. Ergo vel debes addere voluntati qualitatem, aut modum, quem negas; vel recurrere ad ordinem fundatum supra actum voluntatis, quo actu amat. Hunc negas etiam, quia causalitas finis præcedit actum voluntatis.

Dices. In potentia est duplex ordo ad finem, unus ad finem potentem trahere; alter ad finem actu trahentē. In hoc secundo consistit causalitas finis. Benè. Sed dic quid addit ordo potentiæ ad finem actu trahentem, supra ordinem potentiæ ad finem potētem trahere? Nescio quid dicas, semel negato omni modo, & qualitate superaddita. Quod si respondeas, addere actualem manifestationem bonitatis. Contra est, nam hæc manifestatio fit per cognitionem finis; cognitio finis constituit potentiam proximam volūtatis ad amandum, & se tenet ex parte potentiæ: ergo hæc manifestatio non additur supra potentiam, & ordinem potentiæ. Rursus per manifestationem fit finis potens proximè movere, & trahere: ergo manifestatio non est tractio, sed potentia trahendi. Quid ergo tractio ista est?

9. Vt ergo qui hucusque fuimus

mus cum Villanova pro mente B. Ægidij defensanda, ab eo nunc non dissentiamus, ejus sententiam ampletés, dico actualem tractionem voluntatis in finem, esse quasi inchoationé amoris, & quoddam velle interpretativũ voluntatis, quo vult amare finem, ab eo tracta per manifestationem bonitatis apprehensæ. Vt enim dicit S. Anselmus *Ligari potest homo invitus, quia nolens potest ligari, sed velle non potest invitus, quia nolens nõ potest velle.* Hoc dictum, quo demonstratur voluntatẽ non posse cogi, aut violentari in actibus ab ea elicitis, suadet voluntatem nũquam amare, nisi velit amare. Hoc potest velle vel per actum distinctum ab ipso amore, vel per ipsum amorẽ, ut reflexivum supra se, vel per actum interpretativum, quo qui potest resistere, & non resistit, consentire, & velle interpretatur.

Tractio passiva voluntatis à fine, addit supra potentiam potentem trahi, actum interpretativum volendi amare finem. Hic actus non est entitas, qualitas, aut modus additus potentiæ, nec est actus amoris, quo voluntas amat finem; sed est purus ordo potentiæ ad finem actu trahentẽ, qui resultat in potentia, dum semel illi manifestata bonitate, potest illi resistere, & non resistit, sed sinit se trahi ab illa.

Quòd ergo non sit actus amoris, patet ex dictis, quia causalitas finis, & tractio voluntatis, præcedunt amorem finis, ut causalitas finis causantis amorem. Rursus hæc est vera causalis: *Ideò voluntas amat finem, quia trahitur à bonitate finis cognita.* Ergo tractio præcedit amorem, & omnem actum formalem volũtatis. At non præcedit omnem actum interpretativum. Nam in illo signo, quo voluntati proponitur bonitas, potest ei dissentire, & movere intellectum ut aliud objectum proponat: ergo si non movet sic, nec resistit bonitati; interpretativè vult trahi à bonitate. Sed voluntas sic volens interpretativè, non est mera potentia potens trahi, sed est quasi in actu inchoato amandi, & perfecto trahendi: ergo tractio illa passiva voluntatis, in qua stat causalitas finis, est iste actus interpretativus. Hic autem non est entitas addita potentiæ, nec est amor ipse finis, sed est carentia actus dissentiendi, voluntaria voluntati, potenti dissentire.

10. Istam B. Ægidij sententiam, sic explicatam, expressam judico in doctrina D. Thomæ, apud quem Deus movet physicè, & subjectivè voluntatem, sed ante motionem physicã subjectivam à Deo efficiente, datur motio moralis ex parte finis, alliciens voluntatem, eo pacto, ut si voluntas ei non resistat, sed interpretativè consentiat, tunc Deus physicè movet ad amorem; si verò voluntas resistat motioni finis, Deus non movet physicè voluntatem.

Ob id dicit q. 3. de Malo art. 2. requiri in homine dispositionem quamdam ad recipiendum influxum Dei, & juxta eam dispositionem producit bonum, vel malum actum. Non potest intelligi ante influxum Dei aliqua dispositio positiva, quæ sit actus for-

formalis ; cùm nihil positivum possit fieri sine influxu Dei: ergo solam intelligit D. Thomas dispositionem negativam , quam dicimus consensum interpretativum. Hic sanè præcedit influxum Dei, & subsequitur ad moralé motionem finis.

Expressiùs 3. contra Gent. cap. 159. ubi ait: *Licèt aliquis per motum liberi arbitrij* (en actus formalis voluntatis) *non possit Divinam gratiam promereri , aut acquirere ; potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat. Dicitur enim de quibusdam Iob.* 21. *Dixerunt Deo , recede à nobis , scientiam viarum tuarum nolumus. Et Job* 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cùm hoc sit in potestate liberi arbitrij impedire Divinæ gratiæ receptionem , vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei , quòd impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim in quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur* 1. *ad Timotheum* 2. *Sed illi soli gratia privantur , qui in se ipsis gratiæ impedimentũ præstant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit, nisi lumine solis præventus.* Hæc D. Thom. ubi Ferrariensis monet intelligendum esse non de gratia habituali , sed de Divina motione, qua ad bonum dirigimur juxta illud Apoc. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso.*

En Deus stat ad ostium voluntatis nostræ, & pulsat finaliter, vel ostendendo bonitatem suam , vel aliquam creatam, quæ est participatio bonitatis Dei. Tractiones illæ finis apprehensi, sunt pulsationes ad ostium. Ab his incipit omnis motio ; quia causa finalis est omnium prima, & sic movet finaliter ante motionem causæ efficientis. Voluntas libera, quæ ostij claves habet , potest dupliciter respondere : vel resistendo per actum positivum, dicendo *Recede à nobis , scientiam tuam nolumus.* Item positivè claudendo oculos animę, quod est avertere intellectũ à consideratione bonitatis propositæ, & allicientis. Vel negativè sinendo se trahi ab objecto, & non avertendo intellectum à consideratione objecti. Si hoc secundo modo respondet, se disponit negativè ad influxum Dei, & gratiam physicè moventem, quam Deus est paratus dare omnibus , non se impedientibus; uti sol paratus est omnes illuminare , qui oculos non claudunt. Non potest autem se disponere positivè volendo , quia ante influxum Dei non potest dari motus positivus bonus : nec in vi motionis purè finalis stat actus formalis , sed interpretativus , ut dictum est. Si respondeat voluntas primo modo resistendo fini, ei Deus denegat motionem physicam ad actus bonos. Ob id dixit Christus D. Iudæis, & Ierusalem, *Quoties volui cõgregare filios tuos, & noluisti.* En impedimẽtum Gratiæ, *nolitio* quæ est actus positivè resistens Et Stephanus dixit: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*: hoc est moventi finaliter , pulsanti , & vocanti. De hoc abundè tomo sequenti.

§. II.

Qui actus sint effectus finis explicatur.

11. NON quęrimus de omni gé-te propter finem, quia de hoc nit ermo , eq. u i v de n s, quænam agentia, & quomodo operétur propter finem. Quærimus de humanis actionibus, nobis notioribus, quibus notissimum est eas esse propter finem. Inter has aliæ sunt quæ antecedunt electionem mediorum, & sunt illæ quæ versantur circa f nem; v. g. simpl x amo bonitatis appreh nsæ, ut in se bona est: amor bonitatis ejusdem ut assequibilis, & sic dicitur intentio finis, quæ si sit efficax movet cogitare, & consulere de medijs, uibus finis ntentus assequ tur. Alij sunt actus qui versantur c rca m dia conducentia ad finem, ut sunt c nsulta-tio, electio, executio m diorum. Alij sunt actus qui upponunt finem consecutum, ut sunt gaudi m, del cta i , & fruitio. De ctibu circ media nó est difficultas, am c rtum est os esse effectus fini , cùm fa t prop er finem. De reliquis dubium est, in quo

Prima sententia docet, solas -ctiones, quæ sunt circa media, esse effectus finis. Ita Vazquius, & Lorca 1. 2. disp. 3. ca . 2. Et quidem de intétione fi is proba u. Quidquid est effectus finis, debet præin endi, ho e debet fier ex præsupositta i tentione finis: sed i t ntio finis, & prim s amor finis, non possunt fieri ex priori amore, aut ex priori intentione finis: ergo primus amor, & int t o finis, nequit esse effectus finis Explicatu .Fieri propter finem, vel gratia finis, est fieri ex amore finis: sed primus amor finis nequit fieri ex amore finis; alioquin ante pr m m d etu alter amor: ergo primus amor &c.

Confirmatur. Ita e hab t finis in practicis, sicut rincipium in s e-culabilibus; quare ita se habet amor finis, sicut assensus principiorum: sed assensus rincipiorũ nõ est ex alio assẽsu principiorũ: ergo nec amor primus finis fit ex amore finis, aut propter finem, und nec est effectus fin s.

Confirmatur 2. Finis non causat, nisi quatenus est in intentione: ergo ipsa intentio constituit finem in ratione causæ: sed quod constituit causam in esse causæ, non est effectus, sed potiùs causa: g i t n o non est effectus finis. 3. Effectus finis est medium i ter fi m nten ione, & finem in xecutione: rg finis est antùm causa ediorum. Sed inten io fin s, & primus amor j , on est medium: ergo no est effectus fin s. De alijs infrà.

12. Secunda sententia docet, actus consequentes ad acquisitionem finis, non esse effectus finis, v. g. delectatio, & fruitio. Ita Martinius, & alij citati à Gonet. Probatur. Effectus finis nequit esse posterior consecutione finis; habito enim fine, cessat motus, & tendentia, unde cessat causalitas finis; & hac cessante, jam non e effectus finis, ui nequit esse sine causalitate: sed qu e vol ra , ruitio, delectatio, & gaudium, sunt actus posteriores ad consecutionem finis: ergo non sunt effectus finis.

Rurs s. Illud quod est ultimum, habet

habet potiùs rationem fin s, quàm illud quod eſt non ultimum : ſed fruitio, delectatio, & gaudium ſunt quid ultimum ; conſecutio enim finis ultimi, & ſummi boni ordinatur ad gaudium , & delectationem , non autem è contrà : ergo potiùs habent rationem finis, quàm effectus finis.

Tertia ſententia conſentiés DD. ſecundæ, addit quòd actus, qui eſt actualis aſſecutio fi_is, no eſt effectus finis. Ita Gonet 12. diſp. 1. art. 2. §. 3. Prob_t_r. Q_i_ cauſalitas finis conſiſtit in eo, quòd m veat voluntatem a___i amorem : ſ_d Deus ut clarè vi_f_s, qui eſt ultimus finis aſſecutus per viſionem, non movet, ec determinat voluntatem ad amorem beatificum ; _ùm voluntas no ſit indiffere s , ſed plenè neceſsitata ad talem amorem : ergo actualis conſecutio Dei per amorem beatificum, non eſt effectus finis. 13. Quart_ ſentẽtia docet omnes actus volũtatis ũ circ finẽ, tũ _irca media, tum per inét_s ad aſſecutionem finis, & ea poſteriores, eſſe propter finem, & effectu_ finis. Ita B. Ægid_u_ in 2. diſt. 36. q. 2. dub. 3. 4. 5. litt. quem ſequitur Gavardi in Theologia tom. 3. q. d_ ultimo fin_ art. 2. Bon_rva 2. Phyſic. & commu_iter noſtri, ſi excipias Luſ tanum, qui contrarium ſenſit de primo amore finis; cui adhæret ex parte N. Villanova , etſi tranſeunter. Ex Thomiſtis eand_m tenent plures, cum quibus Suatius in Metaphyſ. ubi ſuprà, ſoli a ſoliditate Et habetur in D. Thoma multis locis, præſertim 1. 2. q. 1. ar_. 1. ubi ait omnes actus humanos eſſe propter finem , & conſequenter effectus finis.

Probatur hæc ſententia ex P. Auguſt. in Pſalm. 54. dicente: *Quoniã quidquid ag mus, a illum refer us, & cùm ad eum pervenerimus , ultra quod quæramus , non habemus.* Omni actio quæ ordinatur in finem, eſt effectus finis: ſed omnis actio noſtra ſive circa fin m , ſive circa media , ſive conſequ_ns finem , ſive poſterior ad conſequutionem ordinatur in finem : ergo omnis eſt effectus finis. Probatur min. ex P. Auguſt. laudato, docente quòd omne quod agimus , in finem referimus : referre, & ordinare in aliud, idẽ eſt.

Confirmatur ex eodem S. P. lib. 83. qq. q. 84. dicente : *Quidquid caſu fit, temerè fit; quidquid temerè fit, nõ fit providentia.* Ex quo ſic. Quidquid fit præter intentionem agentis, fit temerè , caſualiter , & improvidè : ſed nullus eſt actus humanus circa finem, qui fiat temerè, caſualiter, & ſine providentia: ergo nullus eſt , qui ſit præter intentionem agentis. Ergo omnis actus circa finem , eſt actus ex int_n_on_ ag_ntis. Patet conſequentia, quia eſſe, & _on eſſe ex int_n_ione agẽtis, ſunt contradictoria, quæ non admittũt medium ; idem eſt _ſſ_ præte. intentionem, ac non eſſe ex intentione. Sed quod eſt ex intentione agẽtis, eſt propter finem intentum, & ſic effectus finis: ergo omnis actus erga finem , eſt effectus finis.

Confirmatur 2. Actus , qui eſt præter intentio_em agẽ_is , eſt actus præte finem: ſed impli_at actus _irca finem, qui ſit præ_e_ fin_m: _rgo impli

cat

cat actus circa finem, qui sit præter intentionem agentis. Ergo omnis est ex intentione agentis, & sic effectus finis. Vrgetur. Omnis actus circa finem, cadit sub providentia, nam providè, & non temerè fit: sed providentia omnia ordinat in suum finem: ergo omnis actus circa finem ordinatur ad finé, & sic est effectus finis.

14. Probatur 2. ex D. Thoma 3. contra Gent. cap. 2. in quinta ratione, ubi ait: *De agentibus per intellectum, non est dubium quin agant propter finem, agunt enim præconcipientes per intellectum id, quod per actionem cõsequuntur, & ex tali præconceptione agunt.* En homo, vel Angelus, agit propter finem, quia agit, ita ut ante actionem concipiat, & cognoscat id, quod per actionem consequitur. Sed in omni actione circa finem voluntas agit, ita ut ante ejus actionem intellectus cognoscat id quod voluntas per actionem suam consequitur: ergo in omni actione circa finem, agit homo propter finem, & sic omnis est effectus finis Minor patet adhuc in primo amore finis, de quo est majus dubium. Nã ante illum amorem, verè concipit intellectus bonitatem finis, & modum, quo per amorem potest amans uniri fini amato: ergo amor iste fit ex præconceptione ejus, quod per talem amorem consequitur.

Vrgetur. Iste primus amor non fit casu, sed ex aliquo fine: at non ex alio, quàm ex ipso fine amato; ab ipsa finis bonitate stimulatur voluntas, & allicitur ut amet: ergo amor ille primus est effectus finis. Præterea: Amor ille conducit, ut voluntas intendat finem, & per intẽtionem eligat media, quibus finem consequatur: ergo amor ille primus conducit ut medium ad finis consecutionem. Sed per te media conducentia sunt effectus finis, & propter finem: ergo & ille amor primus. Vide alia in Suario, & Gavardi locis citatis.

15. Ad fundamenta contraria, posita num. 11. respondemus non urgere. Ad 1. nego maj. Non enim est tantùm effectus finis, quod fit ex præsuppositа intentione finis, sed etiam quòd fit ex præsuppositа finis motione; quod enim sic fit, propter finem fit. At primus amor, & prima intentio, fiunt ex præcedente motione finis, fiunt enim ex bonitate finis cognita: ergo fiunt propter finem. Adde quòd ipsa intentio fit ex intentione intransitivè, quia fit ab agente intendẽte finẽ per ipsam intentionem: sola enim media sunt effectus finis, quatenus præintenti, vel media intentione distincta, & præsuppositа. Hinc ad explicationem dic, quòd fieri propter finem non est præcisè fieri ex amore finis, sed fieri etiam ob bonitatem finis. At primus amor, licèt non fiat ex amore finis, fit tamen causatus ex, vel à bonitate finis: unde est effectus ejus.

Ad 1. confirmat. concedo quòd primus amor finis nõ fit ex alio amore finis, sicut nec assensus principiorũ fit ex alio assensu. At assensus principiorũ fit ex veritate objectiva principij propositi: ergo & primus amor fit ex bonitate finis apprehensa. Hoc sufficit, ut sit effectus finis, ut ostensum est.

Ad

Ad 2. confirm. dic quòd finis nō causat nisi in in nti ne, hoc est, in apprehensione. Apprehensio enim cōstituit finem in ratione causæ, vel per modum condit nis, vel per modum rationis formalis. A fine sic apprehenso venit ntentio, & p s amor, & sic est effectus finis. Si velis quòd ly *in intentione* intelligatur de actu volūtatis intendente finem, sic falsum est, quòd finis solùm cau et in intentione, quia ante hanc intenti n m est causa, ut dictum est. Hinc ad 3. dic quòd primus amor & intentio, sunt mediū inter finem in executione, & finem in intentione, hoc est in apprehensione, quæ vocatur intentio.

16. Ad fundm. posit n. 12. respon emus, & 1. icimus cum D. Th ma quòd m tus n n cessat acquisito fine, si motus comitatur finis consecutionem. Sic cœlum dum movetur circulariter consequitur suum finem; at non ideò cessat motus, eò quòd motus ipse est consecutio finis. Ita S. D. opusc. 48. Ergo cùm per actus fruitionis, delectationis &c. voluntas cōsequatur suum finem, ideò non cessat in eis mo us finis, sed continuatur, sicut cœlorum motus, qui petit esse perpetuus.

Dic secundò quòd delectatio supponit cōsequutionem finis summi, sed non adæquatè, quia ante delectation m per actum v sionis assequimur Deum, ut summè verum; est tamen Deus assequibilis ut summum delectabile, & ut summum fruibile; unde post visionem movet finis ad illos actus delectationis, fruitionis &c.

Ad confirmationem dic, quòd fruit o, & delectatio, sunt quid ultimum n xecuti ne, & formaliter; at non sunt quid ultimum objectivè, & finaliter. Causa autem finalis causat objectivè omnes actus, qui sunt circa finem. Vnde licèt illi actus sint finis effectus, & sic ultimum quid: non tamen sunt finis objectivus, sed effectus ejus.

Ad ultim. dic: quòd licèt voluntas on sit indifferens ad amore beatificum, sed necessitata, hæc necessitas venit à Deo summè bono, clarè cognito per visionem: ergo venit à Deo ultimo fine necessitante: ergo est effectus finis amor ille secutus, quantumvis necessarius. Ad e ex Suar. o. Quòd necessitas illius amoris on venit ex quo fiat modo irr tionali, c su li, & præter intent onem: ergo non venit x qu non fiat p o r r finē. Veni. ergo necessitas illa ex excellentia summi b ni, propositi p r c gnitionem perfectissimam. Erg si bonitas i u summa, & cognita imperfectè, movet finaliter ad sui amorem; potiori jure sum a bonitas perfectissimè cognita, movebit.

***

QVÆSTIO XIV.

Quænam agentia operentur propter finem?

§. I.

Deciditur quæstio de omnibus agentibus.

B. OMNIA agentia sunt in triplici ordine, nempe supremo, medio, & infimo. In supremo Deus, qui est prima causa: in infimo bruta & inanimata: in medio creaturæ intellectuales, ut Angeli, & homines. De his omnibus procedit quæstio, in qua solas assertiones proponam, quia doctrinam tenebimus communem, & ubique invenies obiecta contrarii soluta.

Sit prima assertio. Deus O. M. non agit propter finem in actionibus ad intrà, quæ sunt plenè immanentes; agit tamen propter finem in actionibus ad extrà, quæ vel sunt transeúter virtualiter, vel formaliter. Ita cõmuniter Theologi contra Soncinatẽ 5. Metaph. q. 2. & alio paucos, quo in sanum sensum exponit Suarius ubi suprà. De prima parte patet, quia actus immanentes Dei ad intrà, sunt ipsa bonitas Dei, & ipse Deus, qui non potest realiter causari in ullo causæ genere. Nec refert, quòd finis causalitas sit metaphorica; nam sic dicta est, ut tamen sit realis causalitas; & hujus incapax est Deitas, quæ est movens immotum. Potest tamen unum prædicatum Divinum esse ratio alterius motiva, sicut bonitas Dei est ratio amandi se ipsum: & hoc sine ullo causalitate, aut distinctione, ut docet D. Thomas, & B. Ægid. in 2. dist. 1, q. 1. art 1. ad 5.

De actionibus ad extrà patet ex illo Proverb. 16. *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus.* Vnde P. Augustin. 1. Confess. cap. 1. *Fecisti nos Domine ad te &c.* Quibus constat Deum omnia operari propter semetipsum uti propter finem ultimũ omnis creaturæ: sed hoc est agere propter finem: ergo in actionibus ad extrà Deus agit propter finem. Rursus patet ex dictis quæstione præcedente 13. ubi ex P. Augustin. dictũ est, ea quæ non fiunt propter finem, fieri casu, temerè, & sine providentia: sed Deus ad extrà, nil facit sic, sed providè, & sapientissimè: ergo ordinatissimè, & propter suã bonitatẽ, ut finẽ ultimũ.

2. Observa: quòd in nostris principijs Deus adhuc ad extrà operatur per actionem secum identificatam, æternam, & immanentem, quæ est virtualiter transiens, quatenus producit ad extrà terminum creatum. De hoc tom. seq. In hac doctrina, dicendum est actiones Dei *activè* sumptas non esse propter finem, ob rationes datas de actionibus ad intrà. At illæ actiones *passivè* sumptæ, hoc est termini producti per illas, sunt propter finem. Immò ipsæ actiones *causaliter* accepiæ, sunt etiam propter finem; quia hoc nil est aliud quàm quòd actio Dei causet effectum ordinando illum in finem.

Qua-

Quæres: An Deus posit agere ad extrà propter finem creatum? Respõdeo quòd benè potest proximè, sed nõ ultimò. Probatur, & simul explicatur. Potest Deus causare merita nostra propter gloriam nostram & præmium; permittere peccatum propter intentã pœnitentiam. Immò ordo universi in hoc consistit, ut à Deo quædam ordinentur in alia, & fines primos in intermedios, & omnes in finem ultimũ. Ergo licèt Deus non possit sistere in fine creato, sed omnia ordinet ultimò ad se ipsum, potest tamen agere propter finem creatum, ut propter finem proximum, non ultimum.

3. Dicimus 2. Omnes creaturæ intellectuales agunt propter finem tã in actionibus immanentibus, quàm in transeuntibus. Conclusio est certa, & maximè de actionibus liberis, quæ fiũt providè, & ex intentione agentis. Solùm est dubium de actionibus indeliberatis, ut nostri motus primò primi. Et de naturalibus, ut sunt respirare, nutriri, sentire &c. De his actibus, qui dicuntur hominis, quoniam ab homine fiunt, sed non dicũtur humani, quoniam non pendent à regulis morum, nec digni sunt laude, aut vituperio: de his dicendum est esse quidem propter finem, sed non propter finem cognitum & intentum ab operante, sed ab Authore naturæ, sicut de brutis, & animantibus dicetur infrà.

4. Dicimus 3. Quòd bruta agũt propter finem, non tamen cognitum à se, sed ab Authore naturæ, qui dirigit bruta in suos fines, unicuique proprios. Hinc bruta non tam agunt propter finem, quàm aguntur tum à fine, tum ab Authore naturæ, qui dedit illis inclinationem in propriũ bonum, non liberam, sed determinatã. Hinc P. August. lib. 9. de Genes. ad litt. cap. 14. dicit: *Sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consentit visis, vel non consentit: irrationalis autem non habet hoc individuum, pro suo tamen genere, atque natura, viso aliquo tacta propellitur.* En non tam agit anima bruti propter finem visum, quàm agitur, & propellitur à generante, & Authore naturæ. Quare licèt per instinctum, qui loco cognitionis est in brutis, & per sensitivam cognitionem plura media quasi eligant conducẽtia ad finem sibi proficuum; at non tam agunt, quàm aguntur.

Nec audiendi sunt illi antiqui, brutis concedentes quemdam rationis usum imperfectũ, & quasi libertatem indifferentiæ, qua ex mediis diversis, unum eligunt, relicto altero. Nam hæc opinio potiùs ludicra, quàm vera; & indigna, quæ teneatur ab aliquibus Theologis, satis impugnatur à reliquis DD. de quo vide N. Gavardi. Quare dicẽdum bruta eligere quidem unum præ alio, non liberè, sed quia unum præ altero movet illorum appetitum, & naturaliter fertur in unum præ alio, quod non est electio, quæ supponit consultationem de mediis, cognitionem bonitatis mediorum, & indifferentiam ad eligendum. Quæ omnia in brutis non sunt.

5. Dicimus 4. Omnia agentia naturalia, etiam inanimata, agunt propter finem, sed non ab eis cogni-

tum, sed ab Authore naturæ, illis finé præfituente. Cõclusio est communis. Ab Arist. probatur, quia quod non fit casu, fit propter finem: sed opera agentium naturalium non fiunt casualiter: ergo propter finem. Probatur minor. Quod fit casu, rarò aut nunquam fit: ab opposito, quod fit propter finem, semper, aut ferè semper fit: at effectus naturalium agentium ferè semper eodem modo fiunt; immò si aliter aliquando fiunt, hoc est, quia ab alia causa impediuntur per accidens, ne modo solito efficiant causæ suos effectus: ergo non fiunt casualiter, sed propter finem.

Idem probatur ex quo natura est immediatè à Deo, agente per intellectum modo artificioso; quare sicut agentia participant à Deo vim agẽdi, sic vim agendi artificiosam derivatam à divina arte; sed ars est directiva, & ordinativa in finem: ergo &c. Vide apud Theologos rationes probantes Divinam providentiam erga omnia creata, licèt minutissima, & eis proba præsens assertum. Huc conducunt rationes seminales ex P. August. explicatæ lib. 1. nam eis ordinavit Deus activa passivis, & omnia in fines suos.

§. IJ.

Dubia quædam circa finalem causam dissolvuntur.

6. CVM finis propriè exerceat suã causalitatem circa solas creaturas rationales, de illis sunt aliqua dubia, hìc breviter decidenda, quoniam à Theologis enucleatiùs discutiuntur, aut alibi, præcipuè in libris de Anima, disquirenda erunt.

Quæres 1. An voluntas sit libera circa finem? Videtur quòd non: nã dicitur communiter, quòd voluntas, ut libera versatur circa media; ut natura autem versatur circa finem: ergo circa finem non habet libertatem.

Dicendum, quòd vel finis proponitur cum indifferentia, vel sine illa. Si primum? Voluntas est libera circa finem. Nam stante judicio objecti indifferenti, stat libertas in voluntate; sed dum proponitur finis cum indifferentia, stat judicium indifferens, quod est radix libertatis: ergo stat libertas circa finem. Si secundum? Non stat libertas, quia hæc non potest stare sine sua radice; & radix libertatis est judicium indifferens. Ita contingit in motibus indeliberatis, quibus rapitur voluntas sine ulla indifferentia.

Judicium tunc est indifferens, quando proponit bonum cum rationibus attrahentibus, & retrahentibus, v.g. proponit intellectus virtutes ut amabiles & honestas, sed simul repræsentat eas difficiles & contrarias sensui. Hoc viso à voluntate in illo judicio, libera est, ut vel trahatur à bonitate virtutum, vel retrahatur timore difficultatis & contrarietatis. Unde sic proposito fine, circa illum voluntas est libera.

Quando dicitur quòd voluntas circa finem se habet ut natura, intelligendum est de fine, qui est bonum in communi, vel beatitudo in communi, quam nullus potest non amare.

Non

Non intelligitur de fine in particulari. Insuper adhuc circa finem in particulari voluntas aliquomodo est natura, quia non habet tantam libertatem circa illum, ac circa media, in quibus præcipuè resplendet electio, & libertas. Per quod patet ad rationem in contrarium.

7. Quæres 2. An voluntas possit necessitari à fine? Respondeo notando duplicem necessitatem. Vna vocatur quoad specificationem, & opponitur libertati contrarietatis, idest libertati ad actus contrarios, ut sunt amor, & odium. Altera est necessitas quoad exercitium, opposita libertati contradictionis, idest libertati ad actū & omissionem actus. Voluntas plenè libera est potentia ad amorem, & odium; & ad amorem & carentiam amoris. Prima potentia est libertas cōtrarietatis, & ei opponitur necessitas specificationis: secunda est libertas contradictionis, & ei opponitur necessitas quoad exercitium. Hoc notato.

Dico, quòd si finis sit summum bonum, & clarè cognoscatur, tunc necessitat quoad specificationem, & quoad exercitium. Hoc patet in Beatis, qui à Deo summè bono, clarè cognito per visionem beatam, necessitantur quoad specificationem, quia non possunt illum odio habere, sed amare; necessitantur quoad exercitiū, quia nō possunt cessare ab amore, nec est in eis potentia ad carentiam amoris Dei.

Dico 2. Quando objectum est bonum finitum, si tamen proponitur sine indifferētia, necessitat quoad specificationem, & quoad exercitium. Hoc patet in motibus indeliberatis, quibus voluntas sine ulla libertate tēdit in objectum amando. Nec hoc nascitur ex meritis objecti necessitantis, quia finitum est, & non potest movere necessitando. Sed nascitur necessitas ex imperfectione intellectus, qui cùm deberet proponere objectum cū rationibus attrahentibus, & retrahentibus, solùm considerat rationes attrahentes, & eas proponit voluntati; quæ cùm nil videat nisi incentivum amoris, fertur ut naturalis potentia, & ferè modo belluino in bonitatem objecti propositi.

Dico 3. Quando finis proponitur cum indifferentia, sive sit finitus, sive infinitus, tunc voluntas necessitatur quoad specificationem, sed non quoad exercitium. Ratio primi est: quia finis semper proponitur ut bonus; sed bonum, ut bonum non potest odio haberi: ergo proposito illo fine, necessitatur voluntas, ut si se exerceat circa illum, sit per amorem. Et tollitur potentia ad odium contrarium, & sic necessitatur voluntas quoad speciē actus amoris. Ratio secundi est: quia proposito fine cum indifferentia, potest voluntas vel repellere illam propositionem intellectus, & imperare ut cogitet de alio objecto, vel se suspendere ab omni actu amoris: ergo potest utroque modo non amare. Manet ergo libera quoad exercitium, hoc est ad amorem, & carentiam amoris.

8. Quæres 3. Quomodo se habebit voluntas circa duo bona æqualia, & æqualiter hinc inde proposita?

Casus etiam datur in unico boho, ita indifferenter proposito, ut rationes attrahendi sint æquales rationibus retrahentibus. Respondeo cum communi sententia tum voluntatem plenè suspensam remansuram. Probatur exemplo mathematico. Nam si ex adverso duo agentia æqualis fortitudinis vel ut ad se trahere corpus intermedium, illud manebit immobile utrumque agés fortiùs trahat, quàm aliud: sed voluntas ratione suæ indifferentiæ trahitur ab objecto: ergo si rationes attrahentes non trahunt fortiùs, quàm retrahentes, voluntas manebit suspensa.

Dices cum RR. contrarium omnibus. Potest unc voluntas uni objecto resistere, & alteri obedire. Sicut corpus intermedium si haberet libertatem, posset obedire uni agenti, & alteri resistere. Respondeo quòd voluntas id non potest, quia est potentia purè passiva, quæ moveri debet ab objecto, & non utcumque, sed ab objecto alliciente agis, quàm retrahente. Sic intellectus ex propositionibus æquè probabilibus, neutri potest assensum præbere. Vide N. Gavard. tom. 3. q. 6. de Synder. § 2. Potest autem voluntas præcipere, aut movere intellectum, ut consideret magis rationes attrahentes, quàm retrahentes, & ita contingit peccatoribus, quorū vos move intellectum ne consideret legem Dei prohibentem delectabilia; unde de illis dicitur in singulari, *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Hoc dato, & ablato illo æquipondere intellectus, cessat suspensio voluntatis, & prorumpit in suos actus.

9. Quæres 4. An voluntas possit simul tendere in duos fines adæquatos? Si fines subordinantur, nulla est difficultas, immò id implet charitas. Nam per illam amamus Deum finem ultimum, & creaturam propter Deū; quare finis creatus subordinatur ultimo increato. Dubium est de finibus non subordinatis. De hoc vide N. Gavardi tom. 3. Theolog. q. de ultimo fine art. 3. per totū. Quæstio est Theologica, quæ si quid habet philosophicum, expendetur tomo seq. dum sermo sit de omnibus causis, an idem effectus possit oriri à duplici causa totali. Dicimus posse à duplici efficienti, & à duplici formali, forsan etiam à duplici materiali, ut patet ex dictis lib. 1. q. 16. at non potest à duplici finali adæquato non subordinata.

Probatur ex Divino oraculo Matth. 6. *Non potestis Deo servire, & mammonæ.* Idest nihil facere potestis propter Deum, & propter pecuniam: ergo nulla actio nostra potest finalizari à duplici fine, non subordinato. Si tamen subordinentur, potest, ut patet in Canonicis, qui intersunt horis ecclesiasticis propter Deum principaliter, & propter emolumentum, & horaria stipendia minùs principaliter.

Ratio sumitur ex diffinitione finis, & ex verbis P. August. in Psalm. 54. dicens: *Quare finis dicitur? Quoniā quidquid agimus, ad illum referimus.* Finis est propter quē, fit quidquid fit: sed positis duobus adæquatè diversis, neuter est talis, ut propter ipsum fiat quidquid fit; in nullo enim ultimatè ter-

terminaret ordo effectus, sed transiret in alium, propter quem etiã fieret, quod fit: ergo uterque, & neuter esset finis, quod est implicatoriũ.

10. Quæres 5. Quomodo causalitas finis, quę immediatè est respectu primi a quo is, extendat ad actus subsequentes intentionis, consultatio is, electio i & .Respondeo ex dictis hìc q. 13. n. 9. Quòd causalitas finis ad primum, & similiter ad ultimum, est actus interpretativus, ubi explicatur; & ob id vocatur forsan à Philosopho causalitas metaphorica. Posito primo amore finis, per istum amorem movet finis ad actum intentionis. Ex eo enim quòd quis amat bonum, movetur intendere consecutionem boni amat .Posita intentione, per illam finis movet ad quærenda media. Qui enim desiderat, & intendit consequi finem, cogitat de medijs opportunis. Hæc cogitatio est consilium, vel consultatio.

Hac posita, per illam primam intentionem movet finis voluntatem ad eligenda media opportuniora, & eis electis, movet ad actum imperij, quo voluntas imperat, & movet potentias exteriores, ut exequantur media electa ad finem. Quo executo, & fine jam possesso, ipse finis est causa fruitionis, gaudij, delectationis, & quietis. Sic concatenantur actus humani, qui incipiunt à motione finis usque ad quietem voluntatis, nec cessat ubi causalitas finis mediata, vel immediata, ut visum est. Ob id P. August. primũ amorem finis vocat pedem animæ, ita Psalm. 9. dicit: *Pes animæ rectè intelligitur amor; amore enim movetur, tanquam ad locum, quo tendit.*

11. Quæres ultimò. An Deus finis ultimus moveat voluntatem, & omnia agentia in omnibus suis operationibus? Videtur quòd sic. Nam sicut est prima causa efficiens, sic est prima finalis. Sed quia est prima efficiens, concurrit cum omnibus causis secundis ad earum effectus, non solùm dando virtutem agentibus creatis, sed influendo immediatè in omnes effectus creatos: ergo ad omnia opera creata concurrit ut finis, non solùm dando creaturis bonitatem creatam, quæ possunt finalizare, sed immediatè movens per suam infinitam bonitatem.

Contraria sententia videtur probabilior. Nam finis non movet, nisi cognitus: sed sæpè non cogitamus de bonitate increata, sed de creata in nostris operibus: ergo tunc non movet Deus finaliter immediatè, sed mediatè, nempe media bonitate creata, quę est participatio bonitatis Divinæ.

Constat etiam in nostris peccatis, quorum actiones fiunt ferè semper nihil cogitando de bonitate Divina. Immò ipsa formalis malitia, quæ nihil est, & non fit efficientia, sed deficiens ia; hæc tamen deficientia tollit affective a Deo rationem ultimi finis, quæ ponitur à peccatore in creatura: ergo actio illi malitiæ annexa nõ fit nisi propter bonum creatum: unde non finalizatur à Deo immediatè.

De brutis, & inanimatis est perspicuum, quoniam vel nil cogitant, vel purè apprehendunt finem immediatum creatum: ergo ab illo moventur

tur immediatè, & mediatè solùm ab ultimo fine.

12. Potest tamen dupliciter defendi quòd Deus sit immediata causa omnis actionis creatæ. Primò sic. Deus est prima causa efficiés omnis actionis nostræ, immò principalior: sed Deus eam causa propter semetipsum immediatè: ergo attento principaliori agente, omnis actio nostra causatur finaliter immediatè à Deo. Sic discurrit Suarius ubi suprà.

Secundò sic. Nulla est actio circa bonum particulare, quæ etiam non finalizetur à bono in communi; latro enim, & peccator dat operam furto propter pecuniam, aut aliud, quærunt beatitudinem, sed errant, quia eam quærunt, ubi non est, & per media, quibus non comparatur, sed disperitur: ergo nulla est actio quæ non finalizetur à Deo sub ratione communi boni, & beatitudinis objectivæ. Sumitur discursus ex P. Augustino ubi suprà quæst. 12.

QVÆSTIO XV.

An sit, & quid sit causa exemplaris?

§. VNICVS.

Decidituir quæst o, & explicantur quæ pertinent ad hujusmodi causam.

1. QVOD nunc dicimus causam exemplarè, vocatur à Theologis *idea*; nomen græcum, sed à Latinis usurpatum, & à Platone primò inventum, ut testatur P. August. lib. 83. qq. q. 46. quæ tota est de ideis. Ibi S. P. docet, eas latino vocabulo exprimi posse, dicendo esse formas originales, & species rerum factibilium, aut rationes intelligibiles rerum faciendarum. Ante Platonem de illis disputavit Socrates, & ut ait P.N. Antiqui *Tantam vim in ideis posuerũt, ut nisi eis intellectis, Sapiens nemo esse posset.* De exemplari causa plures putant Aristotelem nunquam dixisse; alij dicunt eum nominasse illud cum formali. Quidquid sit, justa est talis, & jucunda, ut benè advertit Suarius in Metaphysica disp. 25. per totam.

Exemplar differt, *Forma, quam effectus imitatur ex intentione agẽtis, qui determinat sibi finem.* Ita D. Thom. q. 2. de Veritate art. 1. & traditur eisdem ferè verbis à Seneca Platonico Epist. 66. Pro cujus intelligẽtia nota, quòd causa exemplaris solùm datur in agentibus per intellectum, quia isti soli operantur modo artificioso; & exemplar dicitur illa forma, quam artifices mente concipiunt, ut ad ejus instar efforment suum artificiatum. In quo sensu forsan locutus est Aristoteles Metaph. cap. 7. dicens: Sanitatẽ corporis fieri à sanitate, quæ est in mente. Nisi forsan locutus est

de

de causa finali, quæ prout in mente, causat finaliter media ad acquirendã eam in re.

2. Hinc duo colliges 1. quòd causa exemplaris assimilatur finali taliter, ut difficile sit dare discrimẽ. Vtraque enim causat, ut cognita; utraque petit similitudinem, nam sicut exemplar facit sibi similem effectum; ita finis ut moveat, petit similitudinem; nam solùm simile appetit sibi simile.

Nihilominus discriminantur clarissimè, tum quia causa finalis locum habet in omni agente; omnia enim agunt propter finem: at non omnia agunt secundùm exemplar, sed ea sola, quæ agunt per intellectum, & sibi determinãt finem in suis operationibus. Rursus causa exemplaris in omnium sententia est causa effectiva, & influés, ut videbimus: cetertùm de finali quam plures negant esse effectivam, ut dictum est suprà. Præterea: Licèt aliquã do eadem res sit finis, & exemplar, ut de sanitate dictum est; aliter movet ut finis, ac ut exemplar: nam ut finis movet gratia sui, ut quoddam bonum assequibile & amabile; ut exemplar movet ut forma effectiva suæ repræsentationis in effectu.

Colliges 2. Quòd agentia intellectualia, ut homo, & Angelus, non semper operantur concurrente exemplari ad suos effectus, sed solùm, quãdo agunt artificiosè. Hinc dum homo generat substantiam alterius, non producit secundùm exemplar. Tum quia non agit tunc per intellectum, sed per potentiam animalem. Tum quia exemplar solùm deservit ad effectus indifferentes, ut determinentur ad certam formam, mente præconceptam; ut domus quæ pro libito artificis potest fieri sic, vel aliter, per exemplar mentis præconceptum, determinatur ut fiat sic. At substantialis effectus ex natura sua determinatus est, nec pendet ex arbitrio generantis, quòd fiat talis, vel talis. Deus autem, qui omnia creata facit per sapientiam, & juxta ideas, quas habet in mente; ille solus utitur exemplari causa in productione substantiæ. In hoc sensu potest explicari P. August. à nobis allegatus suprà q. 9. n. 16. pro sententia docẽte, solum Deum producere effectum substantialem. Intellige modo artificioso, & secundùm exemplar; causæ autem creatæ producunt modo naturali, & determinato, ut instrumenta artis Divinæ.

3. Exemplar potest esse internũ vel externum. Nam imago, vel scriptura, quæ oculis objicitur ut imitanda, illa exemplar est. De illa sic potest intelligi illud Exodi 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exemplar internum est illud, quod intra mentem artificis efformatur. Differentia est purè materialis, quare Seneca ubi suprà dicit: *Nihil autem referri, utrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus quo ibi ipse concepit, & posuit.* Revera causalitas realis, quam Philosophi, & Theologi dant exemplari, verius convenit interno, quàm externo; licèt forsan nomen *exemplar* ex prima impositione conveniat externo.

De

De interno, quod verius causa est, dubitatur an sit in mente ut conceptus formalis, an verò ut objectivus? In 1. Sent. dist. 36. q. 5. ad 2. docet B. Ægidius esse conceptum objectivum. Idem docent communiter Thomistæ cum D. Thoma, & Cajetano 1. p. q. 16. art. 2. & Ferrara 1. contra Gent. cap. 54. Hi docent quòd exemplar in mente Dei est Divina essentia diversimodè imitabilis à creaturis, & ad eam Deus attendit, dum supremus artifex creaturas ad extrà producit. Agentia autem, & artifices creati formant in mente quamdam speciem expressam, quę est veluti imago effectus artificiosi efficiendi, cum qua conformant exemplar externum, dum eo utuntur; vel effectum ipsum dum utuntur solo exemplari interno.

Contrariam sententiam docuit Alensis 1. p. q. 23. membro 4. art. 1. S. Bonavent. in 1. Sent. dist. 35. art. 1. q. 1. Capreolus in 1. dist. 36. q. 1. art. 1. cum quibus P. Suarius ubi suprà, docet exemplar, & ideam rei factibilis, non esse conceptum objectivum in intellectu, sed formalem, vel actu ipsum intellectus, quo Deus sapiens est, & quo creatura intellectualis cognoscit effectum artificiosè faciendum. Res est difficilis, & quòd attinet ad Deum, Theologica, nam ad Theologos spectat examinare constitutivum Divinarum idearum.

4. Id nobis sit certissimũ, ideas Divinas non esse quid creatum, nec creaturas ipsas objectivè existentes in mente Dei, sed quid Divinum de linea intellectiva, quod est ipse Deus, permanens, & invariabile, factivumque effectus creati. Sic habetur in D. Dionysio cap. 5. de Divinis nom. dicente: *Exemplaria & rationes substantificas existentium, esse singulariter præexistentes.* Vocat *rationes*, eo sensu quo idea vocatur à P. August. ratio, dum loco laudato dicit, alia ratione factus est homo, alia equus, ideſt alia, & alia idea, alio & alio exemplari. Vocat *substantificas*, quoniã in se substantia Dei sunt, & factivæ sunt substantiarum inferiorum.

Ad idem plura P. August. q. 46. citata; & 11. de Civit. Dei cap. 29. ait: *In Verbo Dei esse causas, rationesque rerum, secundùm quas factæ sunt, incommutabiliter permanentes.* Hìc duo habes, nempe, exemplar esse causam, nam ideas vocat causas. Rursus has ideas esse in Verbo Dei; quo denotatur non pertinere propriè ad cognitionem, & conceptum formalem Patris æterni, sed ad terminum productum, vel objectivum conceptum, quod est Verbum Dei, à cognitione Patris expressum. Vnde non leviter confirmatur sententia B. Ægidij de conceptu objectivo. Nec licet illam nũc nostris philosophicis intermiscere quæstionibus.

Rursus P. N. tractatu 1. in Ioan. ad illa verba *Quod factum est in illo vita erat*, aliter exponit ac alij Patres. Sensus Augustinianus est, *Quia quod factum est, in Deo habet rationem, quæ vita est.* Ideſt ideam, quæ est vita Dei. Quod declarat exemplo artificis, qui in mente, & arte sua habet arcam, *Quæ in arte vita est, quia vivit anima-*

ar-

artificis, ideſt opus vitæ in artifice, quia eſt imago quædam producta per intellectionem, quæ eſt actus vitalis.

5. Dubitatur, an exemplar cõſtituat quintum genus cauſæ, an verò reductivè pertineat ad aliquod ex quatuor, jam explicatis? In hoc ferè conveniunt omnes, exemplarem cauſam reducendam eſſe ad aliquod ex quatuor generibus cauſæ, numeratis ab Ariſtot. Conveniunt etiam non reducendam ad genus cauſæ materialis, aut finalis. Vnde dubium eſt, an reducatur ad formalem, an verò ad efficientem.

Prima ſententia reducit exemplaria ad genus cauſæ formalis, quam dicit extrinſecam, eò quòd exemplar non eſt forma intrinſecè informans, nec cauſat ſic, ſed extrinſecè manifeſtata ad dandam ſpeciem effectui, ſibi aſsimilatò. Hanc ſententiam docet B. Ægidius propoſ. 37. de Sacram. Altaris, N. Argentinas in 1. Sentent. diſt. 45. art. 2. Albertus Magnus in 1. diſt. 20. art. 1. Cajetanus 1. p. quæſt. 6. art. 3. & q. 44. art. 3. videtur deſumi ex Ariſtot. qui cauſas numerans, exemplarem ſimul cũ formali nominavit.

Fundamentum præcipuum eſt, quia exemplar concurrit ad effectum artificioſum per modum objecti cogniti, & imitandi: ergo nullum habet influxum, ſed unicè ſpecificat, aut dat ſpeciem effectui, modo quo objectum ſcientiarum, ſcientias ſpecificat. At objectum ſcientiarum eſt cauſa formalis extrinſeca: ergo talis eſt exemplaris cauſa. Et urgetur ex dictis à nobis in Logica lib. 1. quæſt. 4. num. 31. ubi tenuimus Logicam, & quamcumque artem, non concurrere efficienter, ſed purè directivè ad effectus artificiatos: ergo exemplar artificis purè directivè concurrit per modum objecti, ut opus ei conformetur; ſed non influit in opus. Ergo eſt mera cauſa formalis extrinſeca, & non efficiens.

6. Contrariam ſententiam tenet Suarius ubi ſuprà cum D. Bonavẽtura, Alenſi, Hervæo, & alijs. Eam probat ex Ariſtot. qui artem vocat, & diffinit factivam. Dicitur enim ars *Cognitio factiva, quæ poteſt aliter ſe habere.* Sed ars præcipuè reſplendet in exemplari: ergo hoc eſt activum, & ſic efficiens. Id etiam patet ex P. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. ubi ideas Divinas vocat effectrices rerum. Noſtra autem exemplaria ſunt quædam participationes idearum Divinarum. Accedit D. Thomas ſæpè inſinuans cõcurſum iſtum effectivum, & pro eo adſunt rationes, quas in Suario videbis: ergo exemplar ad genus cauſæ efficientis reducendum eſt.

Breviter me abſolvam ab hoc dubio, utramque ſententiam conciliãdo ex doctrina B. Ægidij, data hìc q. 12. §. 2. ubi dictum eſt finem concurrere efficienter ad actus voluntatis, eò quòd actus tum intellectus, tum voluntatis, non ſolùm fiunt effectivè à potentia, ſed à ſuo objecto. Data doctrina iſta, patet quòd B. Ægidius docens exemplarem cauſam concurrere ut objectum, & ut cauſam formalem extrinſecam, non negat efficien-

cienti in exemplaris ex emplatum. At non refertur exemplaria ad genus causæ efficientis, sed ad causam formalem extrinsecam propter duo. Primò, quia concursus effectivus exemplaris non est concursus potentiæ, sed objecti; & hic benè vocatur formalis, ad differentiam potentiæ, quæ est merè effectiva, non specificativa. Tum quia efficientia objecti est ad speciē, efficientia potentiæ est ad individuū, ut ibi dictum est. Exemplar autem dat speciem, dum influit: ergo influit specificando: quare est causa formalis extrinseca; ly *formalis*, quatenus dat speciem, & est forma, à qua venit species: ly *extrinseca*, ut videas non causare speciem informando, sed efficiendo. Et hæc de prima parte nostræ Philosophiæ, quæ cedant in laudem Dei omnipotentis, Virginis Matris, P. Augustini, & omnium sanctorum.



INDEX.

QVÆSTIONVM, ET §§. QVÆ IN HOC PRIMO PHILOSOPHIÆ TOMO CONTINENTVR.

Quæst. 1. Proemialis Quodnam sit objectum formale Philosophiæ?

§. 1. EXplicatur quid sit Philosophia, an sit ic entia, aspeculativa, & una in specie? fol. 3.

2. Deciditur quid sit objectum Philoſoph æ, u i al qua d ſ alternatione ejusdem Metaphysicæ. fol. 6.

Quæst. 2. Proemialis. Quid sit primum cognitum ab intel ectu nostro?

§. Vnicus. Deciditur breviter quęstio ex principijs Ægidianis. fol. 15.

LIBER 1. PHYSICORVM.

Quæstio 1. Quot sint principia entis naturalis in fieri?

§. 1. QVIbusdam notatis, referuntur, & refelluntur opiniones antiquorum Philosophorum. fol. 20.

2. Sententia communis ad mentem Aristotelis explicatur. fol. 26.

3. Expenditur doctrina Cardinalis Aguirre circa principia entis in fieri. fol. 33.

4. Vrgentiora argumenta contra communem doctrinam proponuntur, & dissolvuntur. fol. 37.

Quæstio 2. Quæ sint pr ncip a ent s juxta Magn. P. N. Augustinum?

§. 1. Numerantur principia Augustiniana, & explicatur quid sit ratio seminalis. fol. 39.

2. Probatur dari in rebus rationes seminales, additas virtutibus activis, & passivis rerum. fol. 45.

1. Ostenditur quot titulis sententia Augustiana præferenda sit Aristotelicæ. fol. 49.

4. Solvuntur argumenta cont a sententiam Augustinianam. fol. 52.

Quæstio 3. An sit, & quid sit materia prima?

§. 1. Probatur auctorita e & ratione existentia matcriæ primæ. fol. 56.

2. Traditur cum Arist. diffinitio materiæ primæ, & confirmatur ex doctrina P. N. Augustini. fol. 61.

Quæstio 4. Vtrum materia prima includat in se actum entitativum?

§. 1. Proponunt_r sentętiæ cum suis fundamentis. fol. 64.

2. Nostra sententi- pr b tur, & contraria fundamenta expenduntur. fol. 66.

Quæstio 5. An materia includat actum Metaphysicum?

§. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 70.

2. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 74.

3. Expenduntur fundamenta contrariæ sententiæ. fol. 78.

Quæst. 6. An materia Cælestis & sublunaris sint ejusdem speciei?

§. 1. Proponitur mens P. Aug. & B. Æg. concordaturque cum sentętia

&

& D. Thomæ. fol. 83.
2. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 90.
3. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 94.
4. Expenduntur fundamenta liu sententiarum. fol. 100.
5. Expenditur an sit possibilis materia diversę speciei. fol. 109.

Quæstio 7. An materia habeat propriã existentiam?

§. 1. Quibusdam notatis proponuntur sententiæ cum cuis fundamentis. fol. 114.
2. Nostra sentétia proponitur & probatur. fol. 122.
3. Expenduntur fundamenta aliarũ sententiarum. fol. 126.

Quæst. 8. An materia habeat propriam existentiam, suppositа identitate essentiæ cum existentia?

§. 1. Ratio dubitandi proponitur, & in utramque partẽ quæstio disputatur. fol. 137.
2. Refertur sententia negans & probatur auctoritate & ratione. fol. 142.
3. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 147.

Quæstio 9. An materia possit existere divinitus sine forma?

§. 1. Probatur hoc esse impossibile naturaliter. 152.
2. Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis & sententiæ negantis materiam posse divinitus existere sine forma. fol. 158.
3. Nostra sentétia proponitur & probatur. fol. 161.
4. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum. fol. 172.

Quæstio 10. Quas formas & qualiter appetat materia prima?

§. 1. Referuntur sentiæ cum suis fundamentis. fol. 183.
2. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 186.
3. Quædam solvuntur contra nostram sententiam, & aliarum fundamenta expenduntur. fol. 190.
4. Deciditur quęstio circa formas amissas. fol. 195.

Quæstio 11. An sit & quid sit forma substantialis?

§. 1. Ostenditur existentia formæ substantialis. fol. 199.
2. Traditur diffinitio formæ substãtialis. fol. 201.

Quæstio 12. Quæ formæ educuntur de potentia materiæ?

§. 1. Explicatur prolixè quid eductio sit, & quid creatio. fol. 202.
2. Deciditur quæst. circa formas substantiales, accidentales, supernaturales, artificiales, & intentionales. fol. 210.

Quæst. 13. An anima rationalis fiat per eductionem?

§. 1. Expenditur quid in hoc dubio senserit Magn. P. N. August. 213.
2. Propositis sententijs, vera proponitur, & probatur. fol. 218.

Quæst. 14. Vtrum formæ cælorum & elementorum in prima productione ferint eductæ?

§. 1. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 223.
2. Nostra sententia probatur, & fundamenta contraria expenduntur. fol. 226.

Quæst.

INDEX.

Quæst. 15. *An plures formæ substantiales possint informare eãdem numero materiam?*

§. 1 Aliqui errores,& aliquæ sententiæ antiquatæ referuntur & refelluntur. fol. 231.

2. Quid dicendum de forma corporeitatis fol. 234.

3. Vera sententia negans formam corporeitatis probatur. fol. 236.

4. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 240.

Quæst. 16. *An duæ formæ substantiales possint divinitus informare eandem numero materiam?*

§. 1. Ostenditur hoc esse naturaliter impossibile. fol. 244.

2. Proponuntur sententiæ circa potẽtiam absolutam Dei. fol. 246.

3. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 256.

4. Expendumtur fundamenta primæ sententiæ. fol. 260.

5. Expenduntur fundamenta sententiæ affirmantis. fol. 266.

Quæst. 17. *Per quid constituatur privatio?*

§. Vnic. Ostenditur ex Magn. P. Aug. privationem esse nihil & distingui ab omni ente positivo. 269.

Quæst. 18. *An in composito substantiali unio sit ab extremis distincta?*

§. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 276.

2. Nostra sententia proponitur, & probatur. fol. 283.

3. Expenduntur fundamenta aliarũ sententiarum. fol. 289.

Quæst. 19. *An compositum differat à partibus unitis?*

§. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. fol. 296.

2. Nostra sententia proponitur & probatur, & contrariæ dissolvuntur. fer. 300.

Quæst. ultima An in creaturis essentia differat ab existentia?

§. 1 Explicatur quid sit essentia, existentia, subsistentia, suppositalitas, & possibilitas rerum. fol. 305.

2. Proponuntur fundamenta sententiæ identificantis essentiam cum existentia. fol. 312.

3. Proponuntur fundamenta sententiæ distinguentis essentiam ab existentia. fol. 316.

4. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 323.

5. Solvuntur fundamãta sentẽtiæ negantis distinctionem essentiæ ab existentia fol. 330.

LIBER II. PHYSICORVM.

Quæst. 1. *Quid sit & quibus conveniat ratio naturæ?*

§. 1. Traditur diffinitio naturæ, & quædam dubia circa illam dissolvuntur. fol. 337.

2. Quibus & qualiter cõveniat ratio naturæ explicatur. fol. 341.

3. Inquo conveniant, & in quibus differant ars,& natura, explicatur fol. 343.

4. Quid sit violentum explicatur, & qualiter differat à natura, & naturali. fol. 346.

5. Explicatur an sufficiat pro violentia motum esse contra inclinationem passivam fol. 347.

Quæst.

Quæst. 2. *An Deus in miraculis inferat naturæ violentiam?*
§. 1. Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis. fol. 349.
2. Sententia negans traditur, & probatur ex P. August. D. Thoma, & Beato Ægidio. fol. 351.
3. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 355.
Quæst. 3. *Quid & quotuplex sit causa?*
§. 1. Traditur & explicatur diffinitio causæ in communi. fol. 358.
2. Explicatur quot sint genera causarum. fol. 360.
3. Explicatur an divisio tradita sit adequata, & quid sit idea. fol. 363.
Quæst. 4. *Quot sint, & quæ alia requisita in causis ad causandum?*
§. 1. Explicatur quid sit causa in actu primo. fol. 367.
2. Explicatur requisitum ad causandum in actu primo. fol. 370.
Quæst. 5. *An in omni causa prærequiratur existentia ad causandum?*
§. 1. Probatur solam causam efficientem prærequirere existentiã. 371.
2. An causa efficiens debeat existere in instanti quo causat. fol. 374.
3. Nostra sententia proponitur & fundam. aliarum expenduntur. fol. 376.
Quæst. 6. *An causa materialis & formalis sint veræ causæ, & quid sunt earum causalitates?*
§. 1. Explicantur, quæ pertinent ad causam materialem. fol. 379.
2. Explicatur vis, causalitas & effectus causæ formalis. fol. 380.
Quæst. 7. *An effectus formalis formæ realiter distinguatur à forma communicata subjecto?*
§. 1. Relictis sententijs, expenditur singularis P. Vazquij cum suis fundamentis. fol. 383.
2. Proponuntur fundamenta sententiæ negantis. fol. 385.
3. Affirmativa Beati Ægidij sententia probatur authoritate & ratione. fol. 387.
4. Solvuntur fundamenta contraria. fol. 391.
§. ultim. Quid sit, & quibus conveniat modus. fol. 401.
Quæst. 8. *Quænam sit causa materialis accidentium?*
§. 1. Proponuntur fundamenta sententiæ docentis sit solam materiam primam. fol. 403.
2. Proponuntur fundamenta probantia subj & accidentiu esse ex tm compositum. fol. 405.
3. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 408.
4. Expenduntur fundamenta utriusque sententiæ. fol. 413.
Quæst. 9. *Quid sit & quotuplex & quid requirat causa efficiens ad operandũ?*
§. 1. Probatur existentia causæ efficientis, traditur ejus diffinitio, ejusque variæ divisiones explicantur. fol. 419.
2. Explicatur causalitas causæ efficientis, ejusque requisita. fol. 424.
Quæst. 10. *An substantia creata sit immediatè operativa?*
§. 1. Quibusdam notatis explicatur quid sit principium radicale, & proximum. fol. 425.
2. Proponũtur fundamenta sententiæ negantis. fol. 428.

Pro-

3. Proponuntur fundamenta sententis affirmantis. fol. 436.
4. Proponitur sententia P. Suarij cum suis fundamentis. fol. 440.
5. Nostra sententia proponitur & probatur. fol. 442.
6. Solvuntur argumenta contraria. fol. 447.
7. Reliqua argumenta solvuntur, & explicatur quid sit dimanatio fol. 453.

Quæstio 11. *quid sit, & quid requirat causa instrumentalis?*
§. 1. Traditur diffinitio & divisio causæ instrumentalis. fol. 458.
2. Explicatur quomodo instrumenta elevantur ad operationé. fol. 461.
3. An sit necessaria propria actio in instrumento, ut elevetur? fol. 463.

Quæstio. 12. *Quænam sit rat formal s finalizandi?*
§. 1. Explicatur quid sit finis, & quoduplex. fol. 465.
2. An finis movéat efficientem, explicatur. fol. 469.
3. Explicatur an malum possit movere voluntatem. fol. 475.
4. Proponuntur sententiæ circa rationem formalé finalizandi 478.
5. Nostra sentétia proponitur, & aliorum fundamenta expenduntur fol. 480.

Quæst. 13. *Quæ sit causalitas finis, & quis ejus effectus.*
§. 1. Alsignatur constitutivum causalitatis finis. fol. 484.
2. Qui actus sint effectus finis, explicatur. fol. 492.

Quæst. 14. *Quænam agentia operentur propter finem?*
§. 1. Deciditur quæstio de omnibus agentibus. fol. 498.
2. Quædam dubia circa finalem causam dissolvuntur. fol. 498.

Quæst. 15. *An sit, & quid sit, exemplaris causa?*
§. unic. Deciditur quæstio, & explicantur quæ pertinent ad hujusmodi causam. fol. 502.

FINIS.